*CR



S. Lenox L. Bigger.

LIBRARY
21 JUNE 1935

Digitized by the Internet Archive
in 2015 with funding from
Jisc and Wellcome Library

https://archive.org/details/b2136574x_0003

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS RUSSIAE AUTHOCRATORIS CONSIL. STATUS ACTUALI ET MEDICO, ACADEMIAE J. VILNENSIS PROF. EMERITO, ACADEM. R. GOETTING. MANTUAN. SOCIET. MEDIC. PARISIENS. ARGENTORAT. VENETOR. HELVET. VILNENSIS, BERNENS. PATRIOT. MEDIOLAN. PHYSICO - MED. MOSQU. ERLANG. AC AGRICULT. BRIXIENS. ACAD. ET COLLEG. R. MATRITENSIS SODALI, CIVE BRISGOV. FRIBURG. HONORARIO.

LIBER VI. DE RETENTIONIBUS.
PARS I.

TUBINGAE MDCCCXI.

Sumtibus J. G. Cottae.

22636

PRAEFATIO.

Cum octodecim abhinc annis, in Italia, quatuor prima hujus operis volumina Auditorum nostrorum in usus comparuissent, gaudebamus, et Viros exteros, in arte medica conspicuos, his nostris conaminibus adplausisse. Crebro interim, quod iisdem in libris conscribendis, stylo quidquam contracto, brevitatis studio inducti, uteremur, discipulis quidem nostris hos nodos ex cathedra et aegrorum ad lectulos solvere, et quae minus clara videbantur, exemplis prolatis illustrare potuimus; aliis

virorum claram, nos contulimus. Hic, recuperatis, pro aetate, viribus, non modo humanissime excepti, sed pro incliti magistratus in bonas literas favore, civium etiam numero honorifice adscripti, omne quod in nobis est, in continuandis et perpoliendis operibus scientificis, partim jam editis, et in ordinandis quas novem spatio lustrorum instituimus, et ad rei medicae incrementum contribuere opinamur, observationibus, impendimus.

Hoc unum hic nobis deesse, graviter sane ferimus: librorum scilicet, cum cura quondam indefessa et magnis cum impensis undequaque a nobis collectorum (maximos tamen ob sumtus, quos eorum ex Russia in patriam transvectio induxisset, venditorum, Augustissimi vero Imperatoris et totius Russiae Authocratoris munificentia academiae, quae Casaniae in Asia non

ita pridem erecta fuit, dono collatorum) et numerum, et indolem. Est quidem et Albertinae, quae Friburgi ſloret, Academiae conspicuus librorum utilissimorum, praecipue classicorum, thesaurus et magna Virorum, qui huic bibliothecae praefixi sunt, clarorum, in communicandis istius divitiis erga nos humanitas; temporum vero injuria factum est, ut inclita haec doctrinarum sedes, conspicuis proventibus per viginti jam annos spoliata, operum recentiorum sensibili prematur penuria. Hanc celebris chirurgiae hac in Academia Professor, Eckerus, quoad privati hominis vires concesserunt, in rebus medicis et chirurgicis cum optimorum selectu librorum non supplevit modo, sed etiam, propria sibi comitate ac singulari qua nos prosequitur amicitia, istorum nos participes reddidit. Sub labore interim, quem nos adgressi sumus, per omnes

medicae scientiae campos extenso, quantacunque nostra esse queat in multis experientia, plura tamen, ne quis ex illis desertus et incultus jaceat, requiruntur, quae nunc nobis subtracta esse dolemus, instrumenta.

Condonabunt igitur eruditi ac majore chartarum doctarum opportunitate instructi viri, si forsitan, hac sub rerum positione, et quod pluris est, sub infracta jam, ob aetatis multique laboris peracti rationem, oculorum acie, vel una hoc in opere, vel altera nos fugerit recentior quidquam observatio.

Multa etiam, quae circa materias hac in epitome pertractatas notatu digna experti sumus, ne librorum, in usus academicos coscriptorum volumina luxuriose turgerent, aliud in opus, quod potioris momenti observationes ad expositae a nobis doctrinae illustrationem spectantes com-

plectens, propediem publicabimus, consulte conservavimus.

Quod saepe in progressu hujus operis doluimus, et quod tam studio brevitatis, quam adfectatae citationis multiplicis fastidio nostro tribuendum venit, est praescriptum nobis, sub primorum voluminum editione, de auctoribus, quorum observationes praeterire non potuimus, silentium. Non exigua abhinc Lectoribus, nisi illis forsitan, qui nostris quondam praelectionibus interfuerant, difficultas nata est, cui demum aliorum observationi, absque Scriptoris hanc ipsam referentis designatione modo breviter tactae, propria nobis innixa sit sententia? Non reparandam facile absque nova hujus operis editione omissionem in eo aliquatenus supplere conati sumus: quod saltem Populi, apud quem haec vel illa observatio instituta esset, mentionem injiciendo, tum suum cuique Nationi

tribuere, tum virorum eruditorum memoriam refricare quaesiverimus. Aliis, nostra, nullius amplius, ut speramus, testimonio indigens, in rebus tum aliorum, tum nostris adducendis fidelitas sufficiet.

Dabamus Friburgi in Brisgovia, die 16. mensis Novembris anni MDCCCX.

DE

CURANDIS RETENTIONIBUS.

LIBRI VI. PARS I.

CLASSIS SEXTA.

RETENTIONES.

GENERALIA DE RETENTIONIBUS.

§. 694. De humorum, ad corporis humani vitam ac integritatem facientium *fuga* locuti, convertimur ad morbos, qui liquidorum animalium, aut copia, aut indole peccantium, rerumque aliarum, sanitati infensarum, *retentionem* pro causa agnoscunt. Non minor quidem istorum, quam quos *profluvia* inducunt, est numerus; sed quae de expositis hucusque morborum classibus docuimus, ea, quamvis de re summi momenti ac simul ardui laboris hic agatur, majorem dictionis contractionem nobis concedent. Transitio.

§. 695. Cum vero de illorum, quae excerni debuissent, *retentione* est sermo; meminisse juvabit, *obstructionum* quidem sub Definitio.

nomine hanc in Scholis doctrinam hucusque pertractari soluisse. Interim quod latior nobis sit morborum, qui ex interrupta secretionum, excretionum functione nascuntur, significatio; nec ea semper *obstructionem* pro causa agnoscat; *Retentionis* nobis, pro classe horum adfectuum denotanda, praeplacuit vocabulum. Quotiescunque scilicet humor animalis secretus, aut lege sanitatis, habitudinis, secernendus qua debet ratione non abducitur: *Retentionem* id vitium vocamus.

Differentiae. §. 696. Etsi vero plerumque solidorum magis, quam proprio ex vitio humores corporis remorentur ac stagnent; — quamvis non tam simplex sit succorum, tam animalium, quam vegetabilium indoles et compositio; licet nulla universi systematis corporei particula, vel fluida sit, vel solida, separatim, ceu extra suum cum aliis et cum toto nexum considerari bene queat; — et non obstante ratione, quod liquores animales *necdum secretos*, pro *retentis* declarari, haud licere videatur; primo tamen, ex ipso principiorum, ex quibus humores animales (quousque hoc pernoscimus) conflantur, cohibita combinatione, secretione, — secundo, ex

liquoris secreti, qui retinetur aut sistitur, indole, non iniqua prorsus *retentionum* desumitur, generalis saltem, aut quae minus forsitan ac aliae claudicet, divisio. Nunc scilicet aer, aeriformis materia, nunc humor limpidus, serosus, nunc mucoso lymphaticus, adiposus, puriformis, purulentus, nunc sanguineus, nunc denique materiae heterogeneae retinentur; ac ideo retentiones generatim in *aereas*, *serosas*, *mucoso lymphaticas*, *adiposas*, *cruentas*, et in *heterogeneas* distinguimus. Prout vero, quae excernenda sunt, aut citius, aut tardius coercentur: ita vel *acuta*, vel *chronica* dici meretur retentio. Majoris vero momenti causarum (§. 697.) et hic est ratio: ut quibus contingit, ea, quae canales, cava corporis sine damno continere non possunt, vel *totius systematis* ex culpa, et quidem nunc ex nimio virium vitalium *vigore* (*R. activa, hypersthenica*), nunc ex *inertia* istarum (*R. passiva adynamica*), vel ex *vitio*, ut vocant, *locali* retineri. Non raro morbi alterius imperio subnascitur retentio (*R. symptomatica, secundaria*); aut partis consimilis, amicae, consensu (*R. consensualis*) producitur. Est vero, ubi causa retentionem inducens, ipsam, quae occluditur, partem invadat et occupet (*R. primaria*).

Diagnosis difficultas. §. 697. Signa quidem factae retentionis, ex cohibita liquidorum evacuatione consueta facile deduci posse, minus in arte versatis videbitur. Est interim, ubi satis ambiguum hoc de objecto reddatur judicium. Nec etenim omnis secretio, excretio, sub oculos mox cadit; nec leges earum ubique tam constantes sunt, ne ab aliis aliquamdiu suppleri, vel ne saltem imminui, vel et prorsus suspendi per tempus sine damno majore queant. Quodsi hoc forsitan contigerit quo tempore causae aliae morbum aliquem induxerint: *retentioni* hic adscribetur; quae tamen ipsa aut partem illius non agnoscit; aut ejusdem magis effectus est. Exempla copiosa hujus rei in promptu sunt. Insensibilis transspiratio non minus, quam sudor, medio sub fluxu haud raro supprimitur; circa quod objectum, si solo a frigore admisso feratur judicium, cum saepe absque noxa sub gelu versemur; non firmo satis fundamento id innititur. Secretiones, excretiones viscerum, pulmonum, pancreatis, tunicae mucosae ventriculi, intestinorum, saepe languent, aut non parum imminuuntur, quin *retineri* aliquid vel a longe quidem ex morboso phaenomeno suspicari valeamus; nec ipso adeo in

ictero, bilis fluxus omnis ex hepate semper, ut alvum illa non tingat, suspenditur. Saepe aliorum morborum sub adventu, cauteria, fonticuli, ulcera antiqua, impetigines, profluvia habitualia morbosa exsiccantur ac disparent; quae suppressio haud raro magis inter morbi approximantis satellites, quam ejusdem inter causas, numeranda est. Non omnis etiam retentio aut tumorem in parte, quam obsidet, evidentem mox excitat; aut fluctuantem, compellente sub digito, per undam se manifestat: vel quod osseam in specum effusa liquida, distendere hanc nequeant; sed interiora versus pressionem suam magis exserant; vel quod profundis in locis sedem elegerint; vel quod longo tempore a tensa quadam aponevrosi obtegantur; vel quod bursis, folliculis, aut hydatidibus involuta, stringantur nimis; vel quod fibris cellulosis, a lympha coacta generatis, intersecta coerceantur ac haereant immobilia, vel demum, quod, tenuiore parte prius resorpta, spissescant et pigre restagnent.

§. 698. Non prorsus inanem in eruenda retentionum *origine* operam posuerunt Ve- Causae.

teres; nec eos latuit, cavitates a materia spissiore nunc *obstrui*, reddi impervios (Emphraxis); nunc membranis propria crassitie auctis *arctari* (Stenochoria); nunc *comprimi* (Thlipsis); nunc *collabi* (Synizesis); nunc vero *coalescere* (Symphysis). Ad vitalis interim rationes potentiae non satis respexit antiquitas; atque hinc tardius a scholis superaddita fuit his causis spontanea cavorum *contractio*; cui, si vitium contrarium, non facile cum *synizesi* confundendum, *atoniam* scilicet, aut vis vitalis *inertiam* jungamus: non iniquam nobis de retentionum originibus imaginem formabimus.

Congestio. *a*) *Obstructio* vera, in venis ac in vasis lymphaticis, vix unquam in arteriis, nisi aneurysmate adfectis (§. 567.), sedem figit suam. Antequam vero talia contingant, tardior esse incipit in vase humoris decursus, colligitur cruor, aut lympha: *congestionem* dixerunt.

Infarctus. Sub motu fluidi lentiore, nec tamen penitus cessante, obstruendus majorem in diametrum extenditur canalis, farciminis in modum repletur, ac functio, quae libero a cursu pependerat, labescit (§. 573.): *infarctum* vocarunt.

Si humor, sic in vase collectus, pigrum tandem suspendat cursum, densetur et coeat; quod scilicet opus morbosum nunc citius, nunc lentius absolvitur: in totum facta est *obstructio*. Obstructio.

Obstruuntur nempe canales partiumque spatia, vel ubi corpus peregrinum his committitur: exemplo globuli, pisi, fabae, catheteris vel cereoli abrupti, turundae non satis custoditae, narium, aurium, urethrae cavis, sinui vulnerique profundo intrusorum, pulveris terrei, metallici, cum aere inspirato bronchiis copiosius advecti, et cum muco istorum solidam in massam compacti; — vel ubi materia liquido naturali impervia, canalibus, cavis corporis illabitur: offae, rei alterius, a pharynge epiglottidis per rimam in tracheam aut in bronchia aberrantis imagine; — vel ubi corpus compactum per canalem minus cedentem, inertem transmittendum, in eodem immobile defigitur: ut a cibi portione, ab osse grandiore in oesophagum depressis, a polypo ex cordis, aneurysmatis cavo in arterias coacto, a calculis renum in ureteres, vesicae in urethram, cystidis felleae in ductum cysticum, choledochum expulsis ac ibidem haerentibus con- Differentiae.

tingit; — vel ubi aliena specubus animalibus innascitur progenies: quod a vermibus, intestinorum viscerumque aliorum in cavo nidulantibus, angustiorem in locum repentibus vel magnos illinc in glomeres convolutis fieri consuevit; — vel ubi viscus, membrana intima istius, per canalem sibi continuum aut ad nexum descendit, prolabitur: quod de utero, de vagina muliebri, de tunica recti intestini, vesicae, imprimis muliebris, interna notum est; — vel ubi in se ipsum revertitur canalis: volvuli testimonio: — vel ubi liquida in spissitudinem, coagulum prona, aut quieti diuturnae, subtiliorum resorptioni, aut chemicae corporis alterius actioni, aut morbosae secretionis imperio submissa, solidam in massam densantur et coeunt: quod in muco, humore lymphatico, sinus frontalis, antri maxillaris, cavi tympani, tubae auditoriae, sacci lachrymalis, bronchiorum, in cryptis glandulosis, in vasis lymphaticis aliisque, praecipue venosis, intestinali in tubo a collectis, exsiccatis hic loci faecibus, in superficiebus secernentibus tam viscerum, quam telae cellulosae, a phlogosi correptis, aut modo quocunque, ut exhalantium, secernentium actio

vasorum mutetur, irritatis, lacessitis, locum invenit.

Obstructio, voluminis in parte adfecta augmentum saepissime non adfert; sed interdum adeo, provecto sub malo, imminuit. Insignem saepe ad molem viscera spongiosa et laxa, imprimis lien et hepar, nec inconspicuos in tumores glandulae lymphaticae augentur, et ab incautis pro maxime obstructis declarantur; sed instituta in cadavere horum viscerum injectio, majorem quidem vasorum hac in parte diametrum, ab omni vero infarctu, obstructione immunitatem subesse ostendit. Nec ubi illa manifestam aliis in partibus se reddit, tumoris igitur deteguntur ubique vestigia. Quo diutius scilicet, sine recentis afluxu liquidi, stagnat in vase, vel cavo non amplo materia; eo magis haec densatur, siccescit, ac tandem adeo cum ipsius canalis lamellarum cellulosarum superficie interna concrescit, ut in speciem ligamenti, aut membranae spissioris convertatur. Est interim, ubi canales obstructi volumine augeantur: exemplo ureterum, colli vesicae, urethrae, inhaerente a calculo ampliorum, oesophagi ab osse aut bolo, — intestinorum, vermi-

um a glomere, a volvulo, vel a faecibus collectis turgentium.

Affluxum humorum non auget, sed tollit ad partem adfectam simplex obstructio. Quodsi venulae ad basin tumoris ampliores et varicosae decurrant, ac interdum rumpantur; non ad centrum obstructionis, sed in cute aut in textu celluloso vicino, cujus necdum arteriae obstructae sunt, ast venae debiliores profundiore a tumore comprimuntur, cruor colligitur. Ipsa certe caloris sensusque ratio, quae affluxus humorum in parte majoris et signum est et causa, in loco obstructo imminuitur; nec aliter, quam si a stimulo majore, vel externo, vel a corrupta demum materia intus stagnante oriundo, inflammatio inducitur; et dolor circa partem obstructam nascitur, et calor augetur. Verum quidem est, telam cellulosam in parte sana, quam corripit inflammatio, ab humore puriformi repleri, ejusque cava obstructa sub aucti affluxus aspectu tumere; sed inflammationis *effectus*, non causa est haec obstructio: qua plurimum adaucta, et sensus tandem, et calor, et functio partis, sub indurationis, vel ipsius gangraenae sub imagine, suspendentur aut protinus peribunt.

b) Diverſos in modos membranarum, quae canales componunt, aut cava corporis viſcerumque efformant, augetur craſſities, illorum inde lumen imminuitur, et retentio inducitur. Minor ſcilicet membranarum, canales et cava partium formantium, incremento, tumoribus reſiſtentia opponitur a fluidis, vapore, contentis, quam ſolidis, quae eaſdem circumdant, a partibus. Atqui cum innumera has ipſas canalium cavorumque aliorum membranas, ex pluribus lamellis compoſitas ſubintrent vaſcula, et cum ſimul tot his glandulae accedant; ex infarctu, obſtructione tumore iſtorum, ipſius lumen canalis aut cavi imminuatur oportet. Sic tenuis illa tela celluloſa, quae intimam inter et muſcularem arteriarum membranam jacet, ac frequentis ſedem inflammationis conſtituit (§§. 118. 206. 565.), non raro ab humore in oſſeam duritiem tendente repletur, in tumores, abſceſſulos elevatur, ſuoque viam liquori claudit. Sic ab ipſo puriformi humore ampla aneuryſmatis interna ſuperficies pluribus pſeudomembranae ſtratis haud raro obducitur (§. 571.), ac ut paries oppoſitum vix non attingat parietem, denſatur. Sic inteſtina inflammata, vel quemvis per ſtimulum, ut per Arctatio.

ipsos clysteres, clari quondam jussu viri continuo injectos, lacessita, similes frequentes pseudomembranas interna superficie concipiunt, et vel erronea *infarctuum* sub imagine excernunt; vel arctiorem ita diametrum assumunt (§. 243.). Sic in cynanche laryngea, tracheali (§. 173.), densa saepe viam ad pulmones aeri occludit membrana. Similia ad pleurae, pericardii superficies internas inflammatas (§§. 187. 205), sed maxime ad collum vesicae urethramque (§§. 267. 534.), nec raro ad pharyngem (§. 177.), oesophagum et ventriculum (§. 664.), contingunt. Est vero, ubi vasa per internam canalis superficiem ludentia, diametri capacitatem vel maxime imminuant: exemplo venarum in recto intestino, circa collum vesicae, in urethra, vagina, tumentium. Alias ex eadem cavorum canaliumque superficie luxuriante, relaxata, erosa, ulcerata, polypi, tumores alii, carunculae exsurgunt, ac lumen illorum replent, quod in cavis aurium, narium, sinuum frontalium, palati, oesophagi, ventriculi, intestinorum, tracheae, bronchiorum, cordis ipsius, tum uteri, vaginae, urethrae, frequentius occurrit.

Compressio. *c*) *Comprimuntur* canales et cava ex cau-

sis mechanicis, has in partes molliores et flexiles agentibus. Hac scilicet potentia non modo parietes canalium sibi mutuo apprimuntur; sed saepe adeo vasa, cava viscerum, propria e sede, aliam directionis ut lineam describant, urgentur, distrahuntur in longum, arctantur, tandemque clauduntur: exemplo aortae gibberoso in homine vertebras dorsales, lumbares, quousque aberrant, miro et serpentino saepe ductu sequentis. Non raro uterus in virgine rachitica, ex forma pelvis morbosa, positionem obliquam, futuro partui perfacile funestam, assumit. Luculentissimum vero malorum ex compressione orientium specimen habemus in ea, qnam vestes arctiores, thoraces angusti, trabeculae ex ferro aut ligno paratae, in vasa cutis, et in viscera pectoris, abdominis, quidquod in foetum utero contentum, exercent. Alterum est copioso in adipe, qui tam sub cute, quam in omento, mesenterio, cordis adeo ad basin, aut medio interdum in mediastino, steatomatis sub forma, colligitur; ac tertium in hydrope subcutaneo, aut in aquis in tela viscerum cellulosa, vel corporis in cavis diversis stagnantibus. Specialis compressionis ac retentionis ab ea deri-

vandae argumenta habentur gravido, retroverso, prolapso in utero, et foetus in capite, vesicae collum, aut urethram, aut rectum intestinum arctantibus; in ossibus fractis, luxatis, vicinas sibi arterias venasque comprimentibus; indurata, scirrhosa in prostata, et urinas, et faeces, et sanguinis e venis haemorrhoidalibus refluxum continente; in magno glandulae parotidis, thyreoideae tumore, quo et sanguinis a capite reditus, et ipsa respiratio intercipitur; in tumore glanduloso vel alio, ductum thoracicum aut vasa lymphatica coercente; in herniis, ac centenis aliis in morbis, maxime chirurgicis.

Collapsus. Stricte quidem loquendo, nullum est in statu sano spatium inter partes inane; et quod tale a morte comparet, hoc in vivente animali, nisi aliquo saltem vapore repletum, contiguos sibi parietes agnoscit. Vapor est aut liquidum aliud, quod partes vita instructas, ne inter se concrescant, impediat; ac nullibi solidorum mollium tam exiguus elater est, quin remota distensionis moderatae, cohaesionis cum partibus vicinis, ac vitali imprimis potentia, in mutuos, quos densitas et forma concedit, rapiantur amplexus. Maximum inter viscera cavo instructa, ventriculus,

culus, nisi cibo, potulentis, aëre, vel simili materia dilatetur, collabitur, paries parietem, ingrato inediae sub sensu, hinc inde tangit et perfricat. Plenitudo vasorum est, quae, sub vitalis integritate *vigoris*, suam corpori formam, torositatem, elegantiam largiatur, et quae magno motus, subactionis liquidorum, secretionum, necessarius ut *stimulus*, praeposita sit operi. Atqui illa ipsa plenitudo tam a vi cordis, arteriarum, quam a *copia* humorum ac indole, qua sese expandi sinunt, dependet. Utraque vero potentia vel in toto, vel in parte, ob longas inedias, ob copiosas evacuationes, ob magna, subitanea profluvia, ob metum, terrorem, moerorem, ob frigus, ob animi deliquium, imminuta, detracta, canales et cava singula ob contentae in illis materiae defectum, subsidunt, languet secretio, *retentio* paratur. Similia contingunt, ubi ultra quam vires ferant, canalis aut cavum quodcunque extenditur suoque celeriter humore orbatur. Evacuatis brevi tempore in hydrope anasarca fluidis sub cute stagnantibus; cutis vi elastica non minus quam contractili, vitali, fere penitus amissa, illico collabitur, saccique in formam pendet ab artubus. Ab aquis ope

paracentesis abdominis cavo proruptius subtractis, — a foetu grandiore, gemello, vel amnii liquore copioso, sub partu faciliore, artificiali, celerius exclusis, nisi manus aut fascia collapsarum vires partium sustentent, syncope, circuli humorum suspensio, vel si cordis vires quodammodo continuent, haemorrhagiae, facile letales, sequuntur. Vesica copiosum per lotium nimis extensa, hoc citius per artem educto, madidi adinstar lintei, in se ipsam flaccidissima mox concidit. Alvus sub victu parco, et exiguo intestinorum ab hoc stimulo, plerumque obstricta, sicca, caprina; vix autem ea cum impetu expressa est, ac foeminae hystericae, aut et viro delicatulo, lipothymia jam imminet.

Concretio. *e*) Vel plurimum *arctata* (b.), vel longam per moram compressa (c.) fuerint cava partium, canales; — modo vivae, satisque nudae mutuo se tangant superficies, sub aliqua quiete, in unum mox coeunt. De vulnere recente, cujus labia, sine temporis jactura, perfecte junguntur, hoc vulgo est notum: ut et partes minores vel plurimum, vel adeo ex toto recisae, — quidquod peregrinae, vel ex alio animali exsectae (exemplo cristae

galli unius, alterius in cristam insertae) modo promptius suaque necdum *vitalitate* destitutae, intimius uniantur, rami arboris unius, trunco alterius commissi in morem, illico concrescant partemque unicam constituant. Quod *callo*, seu mortua quasi superficie, utrimque obtegitur, labrum, ut vocant, leporinum, — aut vulnus, quod aeri diutius expositum fuit, vel quod cruore, lympha, per hunc ipsum atmosphaerae attactum, aut ob alias rationes, jam plurimum mutatis, *extinctis*, *impurum*, abundat; haec, donec calli recisio illinc, hic vero aliqua suppuratio praecesserint, mutuam constanter unionem recusant. Ipse sanguis propriis e canalibus in telam cellulosam, vel in cavum corporis quodcunque effusus, quas partes inundat ac implet: has, nisi sua prius in principia separatus, nunquam inter se conjungit, coadunat; nec jungere videntur materiae in vase *infarcto*, *obstructo* (a.) jam *emortuae*: quae forsitan est ratio, cur hae ipsae materiae, diuturnam etsi temporis per moram stagnantes, nisi prorsus exsiccatae et calculi duritie jam praeditae, excitato per stimulum ad motum vasorum vigore *vitali*, saepius adhuc *resolvi*, educi queant; cum

illinc, ubi per *vivam* quasi partibus interpositam materiam absoluta jam est cohaesio, *concretio*; quaecunque demum *resolventia* incassum subministrantur remedia. Hoc vero *mutuae concretionis* ad opus, sicut non omnis quae stagnat aut immota haeret, materia, — ita nec simplex quidem vasorum cavorumque aliorum *collapsus* sufficere, — sed, pro illa, *pathologicae secretionis* officium, — in istis vero vitalis potentiae incitatio requiri videntur. Integram per hiemem prae gelu in totum rigent sensuque omni privata, mumiae collapsae, contractae adinstar, sepulta jacent quam plurima insecta, reptilia, aliaque non pauca animalia; — in *asphyxia* coeterorum, ac hominis ipsius, per dies interdum extensa, motus humorum, respirationis, fere nulla comparent vestigia; admoto interim his adaequato caloris aliove stimulo, cordis vasorumque ex somno quasi evigilat potentia; movetur, *nec interea cum vasorum parietibus concrevit* massa humorum. Triginta pluresque per annos conciderunt jam in vetula corrugati mammarum ductus lactiferi: quos interim concessa ob pietatem sitienti puero frequens papillae suctio aperuisse est visa. Ipse urachus animalium, a longo jam

tempore collapsus, urinis in vesica retentis viam per umbilicum hinc inde concessisse conspectus est. Cujus igitur partis vitale obmutuit principium: hujus, contiguae licet, superficies, cum humore, non ex vasis ipsius actione, sed ex ejusdem inertia condensato, *cohaerere* ac *obstrui* quidem possunt; sed vere intimeque *coalescere*, *connasci* ignorant. Ubicunque scilicet hoc ultimum contingit; in humore hoc fiat oportet, qui ex *lympha*, secretionis ope mutata, et animalem jam magis ad naturam perducta, in tremulam primum *gelatinam*, ex ista, in *pseudomembranam*, seu polypum conversus, *organicam*, ut ajunt, ipse structuram assumat, ac novis seu propriis nunc vasis dotatus cum canalis aut cavi superficie, deposita peregrini quasi corporis indole, unam eandemque in partem coalescat.

Canales igitur, qui a prima hominis aetate ad ipsam usque senectam, sensim oblitescunt, — alios, per materiam, quae in cavo illorum condensata et *emortua est* (non aliter, quam anatomica post obitum ab injectione accidit) cum reliqua tamen diu canalis obstructi vitalitate, *infarciri*, — alios, dempto illis ac subtracto, quo pridem scatebànt, fluido, exsiccati arborum florenti-

um ut rami solent, collabi, et vitali principio plus minus exhaustos, in se ipsos concidere, *corrugari*, — alios vero cum fluido sibi commisso, pathologicae ope secretionis, in *solidum vivens* converso, in unum coire, *concrescere*, dicendum est. Ubique istorum exempla ad manum sunt. Ipsa scilicet *obstructio* (a.), venarum in antiquas varices ampliatarum, cum cruore contento, grumescente, compactio (§. 573.), — sebum animale in extensis folliculis collectum, ac istorum per ductus excretorios facile, sub verminculi figura, exprimendum, — bilis sua in cistide in spissiorem amurcam condensatio, primae specimen conditionis canalium cavorumque nobis exprimunt. Alterum in ductu foetus arterioso, venoso, vasisque umbilicalibus mox a partu, — non certe quod tam celeriter *concrescere* potuissent, sed quod, aliuc directo humorum flumine, conciderint, — vasorum in senibus plurimorum *corrugatio* praesentant. Tertium denique, de quo maxime hic sermo est, ubique occurrit, et jam saepius adductum est *vivae concretionis* exemplum. Quoties nempe admoto a stimulo insolito pars corporis vivi lacessitur, inflammatur, toties opus secretionis in ea invertitur, novaeque creationis orditur illud.

Tunc etenim blandi loco vaporis aut muci, *puriformis* e canalis aut cavi superficie propullulat materia, quae, nisi promptius vasorum resorbentium ab ostiis suscepta, vel aliter remota, brevi temporis mora, parte sui serosa deposita, coit, in massam organicam solidescit, ac suis demum instructa vasculis, cum parte vicina concrescit. Sic nimirum erosae, nec saepius apertae, mox inter se coalescunt oculorum palpebrae; sic, quae mutuo se tangunt, alae narium, variolarum ab ulcere sauciatae, — sic sua epidermide spoliata labra, nisi linteo interposito, aut saepius ab invicem remota, mox inter se coeunt; sic puncta lacrymalia, si phlogosis haec teneat, — sic ab ulcere venereo vel alio, obsessa, quae in fauces hiat, tuba, non raro clauduntur in totum; sic vena sauciata, si per internam ejus superficiem proserpat inflammatio, concrescit hinc inde, ac media concretionis inter puncta, plures per venae longitudinem nascuntur abscessus (§. 573.); sic intestina visceraque alia inflammata, tum inter se ipsa, tum vicino cum peritonaeo, aut alia cingente membrana nectuntur; sic ipsum os uteri, vagina muliebris excoriata, suos inter parietes

arctissime junguntur hinc inde; ac sic demum ipso hoc naturae beneficio utitur in tollendis, quae claudi juvat, cavis morbosis chirurgia.

Contractio *f*) Humorum per vasa circulo, et alterius secretioni, susceptioni, excretioni liquoris remoram quoque ponit inducta per vim ipsam vitalem canalium contractio (§§. 563. 564.). Nunc vero ab ipsa voluntate haec pendet: urinae, faecum, excerni urgentium, ac incauto istius jussu, retentarum exemplo; nunc animo invito, aut, quod frequentius est, inscio, succedit. Haec morbosa canalium cavorumque aliorum *contractio*, nunc a stimulo majore quam par est, nunc a minore quidem, sed in partem jam nimis irritabilem, sensibilem, impetuosius agente descendit; et vel breve temporis per spatium, vel diutius continuat. Inflammatoria in febre (§. 116.) ac sub maximo corporis fervore, vasa cutis, multo licet cruore repleta, vix tamen prius ac major stimulus cessaverit, sudores transmittunt. A calculo in vesica detento, continua istius circa hunc ipsum contractio est; et quae carnem spina pungit, hanc arctius illa ipsa amplectitur. Quam ingens saepe uteri circa foetum inique posi-

tum, circa caput istius in illo relictum, vel et circa placentam, angusto subinde illius in angulo detentam, ut aduci haec per manum admotam vix queant, constrictio est! quam valide partes pridie tam flexiles, a stimulo contractae, luxato forsan humero aut femore, ut ossa reponi vix possint, resistunt! quam arcte vel solos per spasmos, et maxilla maxillae adprimitur, et oesophagus, et pylorus, et anus, et vesica, ut nec tenuis tunc fistula immitti his queat, clauduntur! a frigore, terrore, cutis vasa contracta disparent, cadunt annuli ab illo, ab hoc, urinae aquosae suisque principiis crassioribus spoliatae minguntur.

g) Quid vasorum *atonia*, *debilitas*, produ- **Atonia.** cendis in *profluviis* possit, jam pluribus docuimus (§. 584.). Sed non alia *retentionis*, quam profluvii in multis origo est; et utrique huic vitio, quamvis, ad aspectum, sibi contrario, eandem saepe causam subesse, docet tum ratio, tum facilis unius in alterum conversio, tum virtus roborantium: quae venientem ex vitali vasorum tenore infracto *retentionem* non minus solvunt, quam nascens eadem ex culpa *profluvium* dispellunt. Non certe solus vasorum *collapsus* (d), qui ipse

atoniae effectus esse potest, tam frequentis in debilibus retentionis rationem suggerit; et si ferrum aliaque sic dicta roborantia hanc tollant: non collapsos erigendo canales, sed vim insitam vitalem in omni systemate stimulando, id faciunt. In crurum oedemate, quod sola post morbum graviorem debilitas producit, — in venarum varicibus, potissimam haud raro *fasciae*, ne ultra vel serum, vel sanguis restagnet, opem largiuntur. In vesicae paralysi, etsi ea, si vacua est, omnino in se ipsam collabatur; non tamen retentionis urinae in *collapsu*, sed in fibrarum hujus visceris *atonia*, aut nervorum, qui hos adeunt, compressione, origo quaerenda est: ut ipsa adeo cavorum *nimia extensio, dilatatio* non minus, quom opposita huic illorum *obturatio*, retentionis interdum pro causa declaranda sit.

Pars major sane retentionum ex universi culpa systematis venientium, si medendi rationem frequenter illis proficuam, spectemus, non aliam, quam debilitatis ac inertiae solidorum, rationem in se continet: sic ut ipsa istorum violenta, spasmodica contractio (g.) intestinorum in tubo haud raro cum partis vicinae cessione, extensione vel

maxima conjuncta sit, ac eandem quam illa rationem agnoscat. Quas nempe Antiquitas retardati aut suppressi humorum fluxus causas praecipuas admisit (a. b. c. d. e.) illae sane tum frequentius inter se ipsas *complicatae* sunt; tum saepius ejusdem, ex qua pendet retentio, causae *effectum* magis, quam primam originem, sistunt; tum denique *locale* potius, seu etiam organicum, ut vocant, — quam totius systematis vitium constituunt. Atqui tamen pars retentionum vel potissima, ex isto magis, quam ex illo, quod ex sequentibus doctrinae hujus capitibus ultro patebit, proficiscitur, et quousque mentis humanae perspicacia rerum causas assequitur, vel *nimiam*, vel *aequo minorem* solidorum in fluida actionem pro ratione agnoscere videtur.

Ex utroque vero, tum *contractionis* (f.), tum *atoniae* (g.) vitio, amplissimum *nervorum*, qui huic praesident, manifestum redditur imperium: ut cujus multiplici sub tumultu, solidorum, nunc tenduntur, nunc vero laxantur nimis habenae, ac secretionum vix non omne aliquando subvertitur negotium. Hinc tantus eorum, quae animum exagitant, convellunt, vel potius dejiciunt,

prosternunt, in cursu humorum mox suos extra limites divertendo, mox cancellis angustioribus, quam quibus sanitatis a legibus circumscribitur, retinendo, influxus est. Effrenis ira bilis cursum intercipit, et ad sanguinis massam hanc dirigit, menstruorum, lochiorum fluxum illico suspendit. Momentanea innocentiae verecundia, rosea mox vultum colore tingit cruoremque in vasis faciei coercet. Vel a solo moerore, latens in mammis scirrhus incrementum tumoris mox agnoscit, ac in cancrum pede celeriore properat. Summa dolorum, cujuscunque demum indolis, in augendis, coercendis, permutandis secretionibus potestas est. A vesicae, intestini paralysi, pertinax lotii faecumque retentio etc.

Vasa lymphatica, corpori sustentando non minus, quam a superfluis noxiisve substantiis liberando, et ne quid iniqui subintret, custodiendo, dicata, irritabilis admodum naturae esse oportuit. Saepe haec, vel a stimulo sollicite ab interioribus averso, vel in propriam perniciem admisso, tenduntur, dolent, rubent, inflammantur, ac affinibus sibi glandulis in consensum vocatis, aut vero infectis, tumores in istis, bubonum exem-

olo, et lymphaticae materiae retentionem, mutationem morboſam, interdum ſpecificam, inducunt. Hand raro abſorbentium ſyſtema vaſorum proprios ſibi ac longe extenſos tumores, haereditario plerumque jure, evolvit, per annos pertinaciter fovet, ac materiam in illis rodentem, viſceribus, ipſiſque oſſibus infeſtam, praeparat et maturat.

Ipſa corporis humani *fluida* non parum aliquando ad propriam in illo remoram, ſtagnationem, contribuere, tum aetas anterior, *pituitae*, *atrae bilis* exemplis praecipue innixa, docuit; tum aevum poſterius, majore ſane cum auſu ac ingenii acumine, praeter illas materias, *glutinoſi ſpontanei*, *corii pleuritici* phaenomenis fertiliorem in dies theoriam ſuperſtruens, defendit. Etſi vero ſcientiae tantae molis fundamenta in lubrico atque inſtabili prorſus ſolo locata eſſe, Recentiores tandem intellexerint; non tamen ſeſe, dum hypothetico huic tecto renunciaſſent, quin cum gente electa per loca deſerta vagante coturnices *Aegyptiacas* oppetiiſſent, impedire potuerunt. Nec mirum ſane, ſi proprii corporis ſolida, etiam duriora, genitali tamen ex aura vaporoſa, ad tantam firmitatem ſuccreviſſe, — ſi quercum tam molli glandis

germine, in lignum, caedenti securi vix non resistens, induruisse conspicientes, ad humores, medio per partes tumentes sub fluxu, *in vasis spissescentes* ac *fere coactos* concluserint; si ex abscessibus metastaticis, ex ulceribus, variarumque impetiginum a pustulis, tam foetidam acremve saniem depluere, ac partes vicinas ab hac corradi videntes, ad contractas in sinu vasorum *acrimonias* argumenta desumpserint, easque variis in morbis diversas, ac frequenter specificas, praesupposuerint. Etiamsi vero crassioris pathologiae humoralis theoria, ex eo sane non parum vacillet: quod fluida sine dubio plerumque *effectu solidorum* aegrotent; quod non ipsis facile in vasis, sed, vel ab iisdem morbose secreta, vel extra horum imperium diutius stagnando, vel, acri praeprimis exposita, chemicae lege combinationis, coagulum suscipiant, aut alienam a sanis, atque solida nunc irritaturam, id est, *acrem*, sibi indolem adsciscant; fateri tamen oportet, quod jam alibi monuimus; et quod hic uberius exponi nec loci nec instituti ratio concedit, *vitia fluidorum, etiam primaria*, non posse in universum negari. Hinc toties a *psora*, quae morbus prorsus localis est, sine habito

tum contractae jam cum ea habitudinis, tum resorpti tandem ex eadem ichoris, respectu, cum externis remediis incaute exsiccata, funesta visceribus illuvies, — hinc ab herpete crusta lactea, tinea, aliave impetigine praepostere ad cutem suppressa, — ex fonticulis, ulceribus, jam per annos apertis, — ex transpiratione insensibili, ex sudore pedum, axillarum, vel sanissimo in homine saepius admodum foetente, cohibito, — ex fluore albo jam chronico, adstringentis ope injectionis celerius coercito, — invetaratae ex arthritidis cura cum repercutientibus suscepta, aliisque similibus a causis, *retentiones* non minus innumerae, quam morbi alii, propullulant; quorum certe sanatio, sine fontis, ex quo haec scaturiunt, consideratione adhibita, vix unquam impetratur,

Humorum justo major abundantia, non solo in homine, sed in animalibus quoque domesticis, ac ipsa adeo in planta, fertiliore solo enutrita occurrit. In illo, ventriculus sat robustus, sub victu lautiore, succi nutrientis ultra quam par est, systemati sanguineo transmittit, *repletio* subnascitur. Huic tollendae, corporis exercitium, et auctae secretiones invigilant, aequilibrium restituunt.

Otium, ac imminutum sub isto secretionum opus, nisi partem pinguiorem ingestorum tela cellulosa suscipiat, quod ipsum jam *retentionis* (adiposae) nobis specimen offert: cor a massa cruoris indies crescente magisque vasorum actione compressa, condensata, obruitur, turgens vasorum systema pigrius movetur, venarum laxioribus in partibus infarctus suboritur, somnolentia, somnia terrifica, vertigo, cephalaea, pectoris, virium oppressio, cordis palpitatio, ac febris inflammatoriae, aut instantis haemorrhagiae, prodroma symptomata conspectui se offerunt. Promptius haec in illis, quorum ventriculus systemati vasorum debiliori, aut ramis conspicuis a praegressa membrorum recisione orbato, aut sua capacitate, vasculis innumeris per senilem aetatem jam occlusis, rigescentibus non parum imminuto, aut periodica sibi secretione naturali, habituali, privato, majorem succi nutricii, quam ferat, suppeditat, succedunt. Utroque vero in casu, praeter alia recensita jam incommoda, secretionum languor, aut perversa demum indoles, *retentiones* omnis generis, nec hydrope quidem excepto, in scenam provocant.

§. 699.

§. 699. Non omnem aequalia retentionem premunt discrimina. Saepe scilicet in sanis caeterum hominibus, unius humoris colatorio arescente, alterius, huic analogi, aperitur magis scaturigo; urinae, sudoris, — quidquod menstrui adeo cruoris ac profluvii sanguinei alterius, alternis saepe vicibus haud raro supplentium exemplo. Quo minus vero, aut quo loco minus opportuno, hoc succedit; — quo magis partium aliarum nutritioni, integritati necessaria fuisset liquoris suo itinere cohibiti susceptio; quo facilior materiae retentae mutatio, corruptio est; — quo celerius ejusdem augetur copia; — quo major ac citior est cavi recipientis extensio, et in partes vicinas, nobiliores, compressio; — quo facilius fibrae hujus, extensi nimis, cavi elaterem vimque contractilem, qua pollebant; amittunt; — quo nobilius et ad vitam magis necessarium est viscus a retenta materia oppletum; — quo difficilius collectae resorberi, abduci queunt materiae; — quo magis periodica fuit antehac excretio; — vel quo magis haec ob morbum praegressum, vel ob solam habitudinem conduxerit; — quo intricatior vasorum partis adfectae congeries est, et quo mino- Progn.

rem haec vasa cum aliis communionem agnoscunt; — in genere, quo vires vitales aut in omni systemate, aut in parte, in qua fit retentio, collapsae sunt, et quo minus causa istius ab illa potest auferri; eo potiora retentionem pericula exspectant. Mors ipsa senilis, canalium plurimorum in lumine, in spatiis fibrarum intermediis deletis, concretis, ac istarum in rigiditate vitalisque functionis jactura, partim consistit.

Cura. §. 700. Generalia *curandae retentionis* praecepta in sequentibus versantur. Ac primo quidem, num universi systematis, num unius modo partis a culpa, — num duplici ratione, retentio contigerit (§. 696.), videndum est. In primo casu; nunc morboso ex virium augmento; nimium per stimulum inducto; nunc hujus e defectu ac debilitate, expellenda retineri, jam diximus (§. 697.). In *energico* hinc malo, methodus debilitans, venaesectio imprimis, aer subfrigidus, victus parcior, alvi sine stimulo conspicuo subductio, quies corporis et animi, conducunt. Admotae parti, quae forte sanguinem morbose retinuit, hirudines; cruenta scarificatio, sanguinem communi alveo subtrahunt, et

vicariam illi, quae suppressa est, secretionem fere suppeditant. Hinc, secundo, non inutilis erit humoris, qui retentus fuit, et partis quae eundem retinuit, vel amicae, contiguae, vel et hujus, quae ab illo obsidetur, attenta consideratio. Sic *serosi* humoris negatam ex cute evacuationem, vel renum, vel intestinorum, similis secretio supplere consuevit, et vicissim. Secretionem morbosam in cute, ut putatur, per herpetem similesque impetigines inductam, pellis lenta, nec nimis impetuosa excoriatio fere imitat. Materiae puriformis, puris ipsius, exitu cohibito, aut facta sanguinis ad massam resorptione, nisi renes, intestina hasce educendas suscipiant; fonticulus, setaceum, ulcus artificiale quodcunque, in partis pridem adfectae superficie, aut vicinia inducta, has melius materias evocabunt. In *adynamica* retentione, quacunque demum a parte haec inducta sit, stimulus universo systemati, maxime vero isti, admotus, astheniae gradui adaptatus, indicatur. Nutriens hinc victus, aliarum moderamen secretionum, motus corporis et partis retinentis, vires non exhauriens, sed incitans, frictio, balnea, fomenta tepida, medicamina

erigentia, primum volatilia, postremo magis fixa, indicantur. *Locale* ubi *vitium* retentionem induxit: id ipsum, si per artem hoc liceat, quantocius, nunc medicis, nunc chirurgicis auxiliis auferendum est. Pro quovis fere humore retento, suis e colatoriis, vel aliis, educendo, propria quondam ac specifica remedia quaesivit, ac nimis venditavit antiquitas. Haec scilicet artis adhuc infantis desideria, pathologiae iterum humoralis, ac liquidorum animalium diversorum, antequam secreti forent, praeexistentium hypothesibus innixa, majorem certe, quam par fuit, quondam *hydragogis*, *emenagogis*, aliisque, hos vel illos humores educentibus remediis auctoritatem concesserunt. Sunt quidem, quae hoc magis, quam aliud organon secernens exstimulent, ac illius secretionem promoveant, medicamina; ast vero non his modo in partibus, sed universo magis in systemate plerumque, retentionis morbosae latet, nec stimulis specificis, localibus, sed habito ad morbi causas respectu reseratur origo. Minus nempe curationis momentum saepe est, *retentam materiam educere*, quam causam impugnare, qua illa retenta fuit; et donec id opus absolutum sit, vix sublato humore

stagnante, mox novus repullulat; aut sub majore, retenta movendi, expellendi, conamine, vitium *retentioni* contrarium, ac eodem saepe majus, *profluvium* hoc vel illud, vix amplius coercendum, provocatur. Non paucae retentiones, vel acum, vel cultrum chirurgicum satis promptum sibi vindicant; sunt tamen aliae, quae manum chirurgi vix non semper recusent: tumorum lymphaticorum, articularium, hydropis saccati, ovarii, exemplo; quos sectio, et partim sequens hanc taediosa suppuratio plerumque exasperat, vel plurimum praecipitat.

ORDO I.

RETENTIONES AEREAE.

PNEUMATOSIS.

Nature oeconomia.

§. 701. Qualiscunque sit orbis terrarum vetustas, et incolarum, quos unquam illa nutrivit et alere continuat, quantus fuerit, et in hanc usque diem quantus sit numerus; nihil tamen de suis divitiis communis illa parens hucusque amisit; sed quas, prodiga in suos, indulsit, — quas hi avide rosisse, divisisse, consumpsisse, atque in semet ipsos convertisse videbantur: has, aut a vivis, aut a mortuis resititutas, mox amplectitur, approximat, recomponit; ex quo, rapta, sub forma longe diversa, prodierunt, regno restituit, et futuros similesque, vel alios in usus coadunat, redintegrat, disponit, conservat.

Cum vero haec de fluido illo elastico, transparente, in quo vivimus, respiramus, movemur, suffocamur, seu de *aere atmosphaerico* non minus vera sint: mirabimur utique, illum tamdiu *elementi* nobis sub specie venisse, nec sua in principia dividendum denuoque componendum apparuisse, donec recentior chemicorum industria utrumque, in magnum rerum physicarum, medicarum splendorem efficere didicerit.

§. 702. Ea quidem, quae aerem atmosphaericum constituunt, principia, *azoticum oxygenium*, et, exigua portione, *carbonicum*, ut vocant, praeter *physicam* potestatem, quam diu jam novimus, et *chemicam*, *attractionis* scilicet, *combinationis*, *decompositionis* illam, ac multiplices istorum effectus, in corpora exercent; sed his omnibus subjiciuntur et illa. Hac nempe ratione, *aer atmosphaericus*, sui nunc partem qualemcunque nobis ipsis impertitur; ac eadem spoliatus, aliam mox induit naturam; nunc vero nostris eandem a partibus recipit ac pristinum illico habitum assumit. Aer atmosphaericus.

§. 703. Atqui ipsis animalium in partibus, tum solidis, tum fluidis, singula certe aeris atmosphaerici principia (§. 702.), prae- Ejusdem principia in partib. hom.

ter illud, quod hunc ipsum dominatur ac fluidum conservat, *caloricum*, et illud, quod, cum *oxygene* combinatum, aquam largitur, *hydrogenium*, continetur; nec mirum alicui videbitur, haec ipsa principia, sub variis positionibus, posse evolvi, inter se coire, ac aerem atmosphaericum, in ipsius corporis humani penetralibus componere.

Origo varia. §. 704. Nec sola certe putrida, vel alia fermentatio, magno huic operi praefigitur; sed varia quoque particularum animalium combinatio, affinitas reciproca, nunc illud, nunc istud aeris atmosphaerici principium liberat, excludit, noviterque cum aliis componit.

Cum vero caeteri humores, quos organa secernentia plorant, et quos vasa resorbentia partim reassumunt, modo varia principiorum, communi ex alveo prodeuntium, societate, mistione inter se differant; dubitari amplius non licet, *gas* quoque quodvis, seu *aeriformem materiam*, non minus *secerni*, quam sua in principia decomponi, ac demum *resorberi*. Ille nempe aer atmosphaericus, quem cum ingestis ventriculo, intestinis committimus, inormem illam aerifor-

mis materiae quantitatem, quae hisce in canalibus, nunc illico evolvitur, nunc, minime explosa, rejecta, citissime disparet, largiri haud potest. Nec primis a viis aerem in massam humorum communem transire, aut in ista, sine totius interitu, subsistere dicendum est. Atqui, vel sine omni laesione externa, et sine praevia putredine, — quidquod sub statu salutis integerrimae (ut in *piscium vesica natatoria*) haud raro inflationes aereae, vel aeriformes in corpore animali nascuntur. In tubo hominis cibario tres hucusque fluidi elastici transparentis species, *carbonica* nempe, *azotica*, et *hydrogenia*, repertae fuerunt: quarum prima, ventriculum, tertia vero, crassa intestina potissime occupasse sunt visae. Saepe tamen, vel quod loco non opportuno haec contingant, vel quod in canali, quo expelli evolutae materiae deberent, hae nimis remorentur, vel quod eadem majore, quam par est, quantitate evolvantur: statum morbosum, in quem hic inquirimus, inducunt.

§ 705. Est vero hic, *Pneumatosis*, vel aeris atmosphaerici in telam corporis cellulosam, vel in cavum organicum introductio, Definitio.

susceptio, expansio; vel fluidi qualiscunque elastici in istis evolutio, secretio, et plerumque cum partis halituosa inflatione, retentio.

Specier. consideratio. §. 706. Nunc scilicet *aer atmosphaericus* in telam cellulosam subcutaneam, vel aliam, per continui laesionem, aut satis manifestam, aut vero *ambiguam*, indroducitur (Emphysema a vulnere) nuncupatur. Nunc *fluidum aliud elasticum* diversis in locis, nec cerebro quidem, nec corde, nec vasis sanguineis exceptis, sub morbo alio symptomatice evolvitur, secernitur, expansum detinetur: *pneumatosin spontaneam, symptomaticam*, appellamus. Nunc vero aer atmosphaericus, cum cibis, potulentis ingestus, per enema, vel certos in fines injectus, — vel gas quodcunque ex iisdem, vel aliis e materiis fermentantibus, aut etiam effervescentibus, hic loci evolutum, aut morbose secretum, *ventriculum, intestina, cavum abdominis, uteri*, vel febrili et acuto sub morbo (meteorismus), vel *periodice*, vel modo hic inde (flatulentia vaga), vel peculiari cuidam loco *affixum*, constantius et longius in tempus, sine febre primaria (tympanitis) distendit, *pneumatosin in-*

estinalem, *abdominalem*, *uterinam* compellamus; t cum nulla pars corporis, in qua talia non ontigissent, habeatur, quidquod pluribus n locis simul aliquando aer colligatur; sub-nde vero alio cum morbo, imprimis cum ydrope, hic idem *complicatus* incedat; a se-le maxime nomen cuivis ex his pneumato-is varietatibus conceditur. Nunc etenim aec succedunt in cavo cranii, in dura ma-re, in pia meninge, plexu choroideo, in oculo, in oesophago vulnerato, in thorace, pleura, mediastino, in pulmone, pericardio, corde, ipsis adeo in vasis, tam sanguineis, quam lymphaticis, in omento, mesenterio, vesicula fellea, in scroto, nunc aliis in par-tibus, quas, prout ad morbi cognitionem magis faciunt, speciatim considerabimus. Singulae autem pneumatosis species, vel lo-cali, ut diximus, ex vitio, vel totius culpa systematis, atque tunc vel ex aucto nimis (P. energica), vel ex depresso virium vitali-um tenore (P. adynamica), *nervorum* impri-mis influxu morboso, — utroque vero in casu, ex rationum chemicarum mutatione, descendunt. *Epidemicae* adeo pneumatosis exempla in fastis medicorum adnotata fue-runt. Nec *fraudulentae*, *simulatae*, vel et ad

morbos sanandos, seu *medicae* pneumatosis casus deficiunt.

P. Traumatica. §. 707. *Pneumatosis traumatica*, si externis a partibus orditur; earundem, vel sensim totius corporis intumescentia est, cuti concolor, elastica, gravitatem haud inferens, sub manu crepitans; in expansionem, propagationem ulteriorem vel maxime nitens. Si ab internis exit hic morbus, nisi extus tandem se prodat, signis fide dignis destituitur. Vulnus cutaneum, maxime obliquum, loco, cui tela cellulosa laxior subest, aut viis aereis vicino, inflictum, — vel modo cutis attenuationem, hiscentiam fibrarum, insensibilem licet, inducens, contusio, distensio hunc morbum praecedunt. Haec loca aer atmosphaericus intrat, eadem, a calore rarefactus, ob collapsas tamen vulneris oras redire impeditus, pervadit; per spatia cellulosa in longum et latum divagatur; ac, donec decompositus naturam mutet, a manibus compressus, crepitat. Sic, modo certe nauseoso, lanio, animalia mactata, ut pellem eorum a carnibus facilius separet, cum anima propria, saepe foetente inflat. Pinguefaciendos ad boves, jam Veteres eosdem in-

labant; nec deest inter recentiores, qui hoc experimentum repetierit, et qui lac ipsum vaccarum hac ope adauctum observaverit. Sic a castratione, aer receptus, totius corporis pneumatosin induxit: ut etiam mesenterium; et venae, et cor ipsum denique aere plena fuerint reperta. Post vulnus penetrans laryngis frequentia, etiam manuum pedumque emphysemata. Ex dissecta aspera arteria, et ex fracta costa, emphysema universale. A tussi phthisica, stupendae amplitudinis tumor aereus. A tussi convulsiva post mensem vehementissima, tumor ad tracheam, aeriformi materia extensus, respiratio difficilis sibilansque, et universi mox corporis emphysema. Aliquando aer per ipsos pulmones diffusus observatur: quo in casu difficillima respiratio per periodos ingravescit, atque suffocationem minatur.

Sed et absque vulnere conspicuo, similia prorsus contingunt. A magno pondere vertici superimposito, tumor hunc corripuit elasticus crepitansque, pulvinaris adinstar elevatus. A lapsu in latus sinistrum, pneumatosis oriebatur, primum in hoc, deinde in omni corporis superficie, ita ut aeger omni momento de suffocatione periclitaretur; P. ambigua.

tota enim superficies telam cellulosam habuit ad minimum septem pollicibus turgidam. Sub partus labore aliquando emphysemata nascuntur; quando aere in pectus ducto, capiteque retrojecto, facta, ut videtur, laryngis, aut tracheae interna laesione, ille subintrat. Sic, sub tali positione, primum, jugulum, dein facies, caput, et corporis pars superior in parturiente ab emphysemate correpta fuerunt, post duodecim dies dissipato iterum tumore. A percussione costarum violenta, ubi nec costae fractura, nec alia laesio externa comparuit, mox tantus ad partes corporis supremas exortus est tumor: ut et album oculorum turgeret, et collum, et pectus dolerent, tussisque urgeret; quae tamen symptomata, ut priore in exemplo, vel sponte abacta fuerunt. Ab instrumentorum cum flatu exercitatione, apud inexpertos, genae dolent tumentque ab aere cellulosam ingresso.

P. spont. febrilis.

§. 708. Sed ipso sub febrium decursu, quin gangraena has circumdet, pneumatosis interdum occurrit. Talis anno 1789 in *Italiae* loco *Bobbia* vocato, epidemica febris fuit, cujus exitum frequentius *emphysema* notavit. Si-

milis quondam (a. 1772) in *Germania* grassata est. Subito nempe in febre regnante nascebantur *emphysemata*, nunc ad genua, nunc ad faciem, collum; aliquando etiam totum ad corpus. Aspectus erat horridus; artus vix adeo dolebant, quam rigebant. Palpebrae saepe a tumore prorsus claudebantur; labia hiabant; ita ut similia hoc in morbo, ac in *Austria* quondam vir clarus obvervavit, ac sub emphysematis nomine descripsit, occurrant. In ipsa peste, post mortem tamen, emphysemata descripta fuerunt. In cynanche, emphysema ab egregio *Angliae* quondam medico descriptum fuit. Venaesectio fiebat; vesicans ponebatur; versus octavam tamen diem, ad faciem, nucham totumque, praecipue dextrum, pectus, nascebatur magnum, sonitumque a percussione reddens, emphysema. Ex febre suppressa, universi corporis et penis adeo emphysema in puero describitur. In bobus, a dysenteria epidemica adfectis, familiaris est pneumatosis non tamen universalis, hippiatris probe nota. Diversas ea dorsi lumborumque partes obsidet. Si manu haec pars prematur: dolet animal, et pars ita tractata, edit sonum leviorem. Sectis istorum animalium

cadaveribus, pulmones reperiuntur emphysemate distenti. Quinquies virgini, sub accessione febris tertianae, ventris tumor recucurrit, apyrexiae vero tempore subsedit. Cum erysipelate emphysema in clinico Instituto *Wirceburgensi* incessit. Simplex adeo corporis *refrigerium*, ad pneumatosin, in qua mammae adeo sororiabant, occassionem porrexit. Summus quondam in Patria chirurgus, emphysema a mento ad collum descendens, et, a digitis compulsum, resonans, descripsit; quin alia causa, quam quod aeger tres integros per dies aurae frigidae ac humidae expositus fuerit, pateret. Ad scrotum frigori expositum emphysema describitur.

P. tuberosa. §. 709. Tumores *ventosos* aliquando inter tendines et sub periostio nasci, qui per vices accedant et membra disrumpant, jam *Graeci*, et *Arabes* adnotarunt. Flatum in ambitu corporis furiosum vocavit clarus quondam *Mantuanus* medicus. Summi pridem medici germani observatio est: in spatia corporis, quae partes cohaerentes intercedunt, *flatus* non nunquam, nunc *solos*, nunc *sero junctos*, irrumpere, illisque inclusos, *extuberantiam*

rantiam aliquam, vel *tumores* parturire: ita ut, sub cutem undique delati, intumescentiam illam corporis generalem, quae interdum subito invadit, cutemque distendendo, a subjectis sedibus aliquousque elevet, producant. „In musculorum externorum invicem incumbentium spatia ferri flatus, illic quoque *prominentias*, quamdiu haerent, spasmumque flatulentum simul procurare, ab alio fuit animadversum. Tumor ad omnes quidem partes subinde in hystericis, sed ad *tibias* praecipue oritur, qui non, ut oedemata, versus noctem, sed matutino tempore protuberantior est, nec digito prementi cedit, aut vestigium ullum retinet; caeterum autem oedemati in omnibus similis est." Hanc pneumatosin, cum ptyalismo in hystericis alternasse, et ab his solutam, suppressis vero reversam fuisse, vir celebris adnotavit. In puerpera interdiu, sub ipsa abdominis superficie, tumores, varia magnitudine discurrentes, nec sine strepitu sese dilatantes, sub vespera vero evanescentes, describuntur. Aegri, a juventute sua, dum ab alio, vel manu, vel brachio radius attrectabatur, quamvis id fieri conspiceret, vel sciret, ructus mox quam plurimos propellentis historia ex-

stat. Nos ipsi, triginta abhinc annis, *Bruchsaliae*, virginem causidici filiam, conspeximus, hystericam, fortiter (ut parens credulus putabat, a *daemone*) convulsam. Collum hujus aegrae, antehac tenue, pauca inter minuta turgebat adeo: ut ipso cum capite, ad pectus usque, unam quasi columnam crassissimam simularet. Ubera, huic virgini antehoc non magna, stupendum in modum aucta, et durissima fuerunt. Saepius in hystericis guttur et collum, aliquando ex uno modo latere, intumuisse, iterumque sat cito subsedisse, animadvertimus. Virgo nobilis *vindobonensis*, consilium nostrum efflagitans, postquam diros ac diuturnos abdominis dolores passa esset, mediis sub choreis, cum saltationis a socio volutaretur cum impetu, inexspectato ructus copiosos et maxime sonoros, prae verecundia summe confusa, explosit. Eo vero a tempore, haec ipsa, toties ac aliquam corporis sui partem perfricaret, vel alterius manus perfrictione utebatur: mox flatus sibi ad ventriculum resonare persentiebat; qui flatus magno dein cum fragore per oesophagum prorumpebant. Virgo haec, antehac a chlorosi adfecta, usu vero chalybis restituta, parum nunc palloris nobis obtulit,

menstruis modo parcis instructa, spasmodicam saepe faucium constrictiònem patiebatur, fluorisque albi vestigia accusabat. A dolore quasi rheumatico, vehementer pungente, saepe illa partes, quae dolebant perfricare cogebatur: qui membrorum cruciatus, a perfrictione, explosis pluribus mox flatibus sonoris, illico cessabat. Quare *flatus sibi ex ea parte, quam perfricuisset, venire*, firmiter infelix asserebat. Ructus aegra, pro voluntate explodere non poterat; nec plures ea flatus per anum, quam alii, constante tamen cum levamine, reddere solebat. Obstructionum in ventre, quidquam tumidulo, nulla fuerunt vestigia; explosi ructus minime foetebant. Ciborum appetentia somnusque naturales; neque unquam sub hoc ultimo, dolor ille ac ructus aegram molestarunt. A nucis vomicae tinctura, per mensem symptomata cessaverant; redeuntibus vero nunc iisdem, medicina haec opem ulterius non tulit. A corticis tinctura cum opio, morbus augmentum habuit. Altiore loco nata mulier, quotiescunque sibi crines ac pilos pectebat, trahebat, quacunque demum in parte hoc ultimum tentabat, copiosos mox ructus ex ventriculo cum impetu excutiebat. Tum dictae

vix virgini, tum alteri faeminae *Viennensi*, pulsus ad carpos tangi, quin plures sonorosque mox ructus exploderent, non potuerunt. Simile exemplum vir quondam celebris *Hamburgensis* adnotavit. Duodecim abhinc annis, mercator *Vindobonam*, nostrum consilium petiturus, accessit. Vir hic quadragenarius longiore jam tempore hypochondriasi laboraverat et flatibus. Quoties vero ab istis angebatur: mox manum ad caput, seu ad ossa parietalia, quibusdam tumoribus non magnis, sed duris, obsessa, ferebat. Hos vero tumores, cum digitis, vel ad murum, fortiter comprimendo, centum, ducentosque adeo flatus per anum, nunquam vero per oesophagum ructus, magna cum violentia explodebat; quod praestare non poterat, quin sibi dicto modo caput comprimeret. Senatoris *Russiae* uxor, cum juvenis esset, *taenia* laboravit, a qua, radicis polypodii maris ac salis amari ope, alvo fortiter purgata, liberata fuit. Ante haec vero dolorem in brachio sinistro, quasi rheumaticum, persentiens, cum hoc sibi brachium perfricuisset contigit mox ructuum, aegrae antehac insolitorum, sonora explosio, evanescente illico brachii dolore. Ab eo tempore, etsi taenia

qua pridem laboraverat, omnis fuerat expulsa, nec ullum aegra vermis hujus symptoma obtulerit, mox ad calvariam, mox in facie, ut plurimum vero ad jugulum, dolores persensit, qui, suscepta partis dolentis perfrictione, illico ructus copioses excitabant, his cum fragore explosis, evanescendos. Copiosa nobis, in haec nunc magis attentis, ab eo tempore, similis naturae exempla obvenerunt; ac non ita pridem virginem *Petropolitanam* nobilissimam, aspectu robustam, pertractavimus, quae ad ubera, et totum ad corpus, artubus non exceptis, saepe mirum quantum intumuit, a flatibus simul vix non suffocata. Quamprimum vero illa, hanc vel alteram partem perfricaret: flatus illico permulti, cum levamine, per oesophagum assurgebant.

§. 710. Diversis omnino in morbis, corporis, aut et viscerum internorum ad superficiem, haud raro *phlyctaenae* oriuntur: nunc *sero*, mox resorbendo, gravidae, nunc ad aspectum quidem vacuae, sed certe materia aeriformi, necdum chemice examinata, repletae. Variolae siliquosae, aquosae (§. 332.), miliaria (§. 323.), scarlatina (§. 295.), P. Phlyctenosa.

et pemphygus (§. 359.), has offerunt. Sub extimis hepatis, lienis, et mesenterii praesertim, membranis, innumeras variaequae amplitudinis quasi vesiculas, *Italiae* medicus celebris reperiit. Fellis adeo vesiculam aeriformi materia, sub exteriore tunica inclusa, turgidissimam detexit ejusdem scriptoris filius eximius. In trium aegrorum, ante mortem dyspnoea, orthopnoea afflictorum, pulmonibus, acervus vesicularum pellucidarum, ab aere expansarum, nec tamen cum trachea communicantium, repertus fuit. Vir, ut legimus, diarrhoea cum suspirio extinctus, pulmones obtulit flatu adeo turgentes, ut omnem thoracis cavitatem implerent.

P. Saccata. §. 711. Sacci fluido elastico repleti, mesenterio adhaerentes, in porcellis aliquando reperiuntur: quos in saccos aer atmosphaericus penetrare haud potuit. Proprio in filio, cujus caput in pelvi materna oblique ac diu haeserat, tumorem ad os parietale, primum materia densiore, fluctuante, paucos vero post dies fluido elastico, sub digitis evidenter crepitante, plenum observavimus. *Cysticum* ad suturam sagittalem, tumorem aereum descriptum possidemus. *Apostemata ven-*

toſa, — ſimilem tumorem flatulentum, falſo pro abſceſſu tractatum, faſti medici loquuntur. Tumorem in *Veneto* tonſore, ſub communibus abdominis integumentis, non anguſtum, circulari ambitu, ab incluſo aere progenitum, ſummus *Italiae* anatomicus deſcripſit. Omenti ab aeriformi materia inflati exempla exſtant.

§. 712. Inter pneumatoſis ſpecies hucuſque recenſitas, potiſſimam conſiderationem meretur illa, quam ſcholae hucuſque *flatulentias*, ac ubi ſummum ad gradum hae pervenerint, in febribus quidem morbiſque acutis, *Meteoriſmum*, in lentis vero *Tympaniam*, *Tympanitidem* vocarunt. P. Tubi cibarii.

§. 713. Nulla pars tubi ſuſcipiendis alimentis, et poſteaquam haec plus minus ſubacta ſunt, excernendis illorum reliquiis dicati, a nimia extenſione, inflatione, eſt libera. Ipſe adeo *oeſophagus* in faeminis hyſtericis frequenter per ſpaſmos duplici in loco conſtringi, in ſpatio vero intermedio mirum quantum, et ad ſuffocationem uſque inflari, ac ructibus demum, copioſe exploſis, vel et ſine iſtis, ut jam diximus, detumeſcere P. Oeſophagea.

observatur. Quotiescunque oesophagus vel a scirrho, vel a tumore vicino, vel a paralysi, vel alia quacunque demum ex causa, quin ciborum descensum permittat, diutius impeditur; supra locum impervium, diameter ejusdem a cibis hic haerentibus multum augetur, et ab aere ex istis evoluto distenditur in saccum, viribus, quibus illum expellat, vix non omnibus spoliatum, resolutum. Oesophagi mox sub pharynge, — alio vero in subjecto mediam ad partem, dilatatio conspicua, quam et nos conspeximus, describitur. Inter cordis et diaphragmatis regionem viri admodum veracis oesophagum quasi alterum ventriculum, dilatatum fuisse legimus. In viro septuagenario ad pharyngem saccus, quinque pollices longus, tres pollices latus, oesophagum inter atque colli vertebras propendens, descriptus fuit. Sacci morbosi a pharynge in thoracis cavum descendentis exemplar in celebri *Angliae* museo conservatur. Caeterum in hominibus perfecte sanis, qui vel cibum vel potum per horas non assumpserant, in superiore parte oesophagi, subinde levem aliquem *sibilum*, ab exigua fluidi elastici, inter mucum stridentis, quantitate, vel diu stagnante, vel

secreta, a *ructu* prorsus diversum, saepe audivimus. In oesophago vulnerato emphysema nascitur, ubi manui chirurgicae nullus, aeri quamplurimus, sub deglutitione, datur accessus.

§. 714. Sed ad *ventriculum* haud raro sedem suam pneumatosis figit, aliquando adeo *epidemicam*, saepius tamen *sporadicam*. Symptomata potissima sunt: tumor sub sterno convexus, elasticus, cum dolore quasi cordis, hujus pulsatio, anorexia, dyspnoea, oppressio pectoris, morsus ventriculi, cardialgia atrox, ad omnia rebellis, ructus sublevantes, summae circa praecordiae anxietates, inquietudo, extremorum frigus, ingens virium collapsus, interdum difficilis deglutitio, faucium constrictio, vertigo, subinde tussis, momentanei calores, sitis. Multoties autem *ventriculosa* pneumatosis cum *enterica* simul occurrit; etsi quoque in hac ultima stomachus saepe manserit intactus. Sub tam varia ventriculi in hominibus ejusdem aetatis et sexus, forma et positione, vel maxime sane hujus visceris *amplitudo* variat et extensio. Enormis magnitudinis ventriculos deliniari curavimus, museo patholo- P. Ventriculi.

gico *Ticinensi* a nobis quondam commissos. Extensi super intestinis, et ad pelvim usque protensi ventriculi et nos vidimus, et alii descripserunt, specimina. Immanis adeo fuit ventriculi distensio: ut contiguam jecinoris partem et diaphragma non modo altius compulerit, sed quoque descendere prohibuerit, aegrumque in id periculum conjecisse credita sit, ut praesentaneum adhuc auxilium exposceret quo aeri confestim exitus pararetur ope acus oblongae per sinistrum hypochondrium in ventriculum demittendae. Ac revera exstincti subito juvenis ex tympanitide stomachali, postquam ille crudis vegetabilibus copiosis ventriculum nimis onerasset, exstat exemplum. Mulieris ventriculus ad hypogastrium prolapsus, ut vix quatuor digiti transversi inter ipsum pubemque intercederent, adnotatus fuit; ita ut foeminae ejusmodi facile aut pro gravidis, aut pro asciticis potuissent haberi. Ventriculi singula intestina obtegentis, — alterius vero ulnae *Parisiensis* longitudinem habentis, traduntur historiae. Quodsi vero tantae molis hac in parte ratio plerumque in *pylori angustia*, vel compressione quaerenda sit: quo in casu, ructus quamplurimi, vix tamen per

num flatus, secedunt; exempla tamen non
auca existunt, in quibus haec via ex sto-
nacho in duodenum intestinum perfecte pa-
ebat. Elasticos, protuberantes atque so-
oros sub percussione tumores in regione
pigastrica, hypochondriacos apud homines,
pud virgines chloroticas hystericasque apud
nulieres, frequentissime, nunc somme pro-
ninentes, nunc vero, explosis per oesopha-
um ructibus, jam insipidis, jam cibos po-
umque olentibus, rancidis, acidis, foeten-
ibus, jam satis tacitis; jam sonoris et fra-
orem teli ignivomi aemulantibus celeriter,
ec tamen integre, collapsos reperimus. Sae-
e spasmus in istis, utrumque ventriculi
stium constringit, flatusque, continuo ma-
is magisque rarefactos, et ad medii ven-
riculi vix non rupturam expansos, hoc ipso
n cavo; quin aut viam oesophagi petant,
ut per anum, sub *peditus* nomine, tacita
uffugiant; vel sub *crepitus* adpellatione, ex-
lodantur, coercet; ac repetito multoties hoc
nsultu, vel cibis durioribus ultra modum
uotidie devoratis, contractionis hac in parte
otentiam infringit, aut penitus delet. Prin-
ipem, ingluviei perdeditum, *Vindobonae* ob-
ervavimus, quem dolores ad ventriculum

acerbi per annos molestarunt. Incredibilem vero ille ructum foetidissimorum, et verum sulphur olentium copiam, qui quatuor, sexve palatii cubicula perambla foetore intolerabili infestabant, quotidie, imprimis horis matutinis eructabat. Sectio cadaveris vastissimum ventriculum, in saccum lateralem quasi *bipartitum*, exhibuit, ac in isto ulcus carcinomaticum, exhibuit. Similis ad ventriculum sacci, et monetarum in hoc repertarum exemplum apud eximium scriptorem reperimus. Sunt qui in ructibus sibi per oesophagum provocandis, incauti, omnem fere operam ponant, ac musculorum acdominalium et diaphragmatis inter prela, intestina sibi fere continuo in stomachum emulgent, motumque peristalticum in propriam perniciem foeda consuetudine invertant, hypochondriaci hystericique imprimis homines. Tantus vero per hanc, flatuum in istis ad ventriculum confluxus fit, ut impedito, vel negato illorum consueto ascensu, descensu, stomachus amplum in utrem distentus, respirationem sub magna anxietate vix non praescindat; continuato vero ructuum ab opere, *ruminationis* (§. 654.) ponantur fundamenta. Sub respiratione, ut legimus, tam difficili, ut

nec in dorsum cubari concesserit, regio epigastrica in ægro plurimum intumuit, et corpore ejus commoto, sonus, quasi aquæ in lagena fluctuantis perceptus fuit. Hydrops pectoris subesse videbatur; evacuatis interim primis viis, postleves ventris dolores, tanta flatuum ex alvo fuit explosio; ut ventris tumore illico collapso, de hydrothorace nulla amplius quaestio esse potuerit.

Num aër subinde ipsius ventriculi inter tunicas sese insinuet, ac pneumatosin ejusdem *externam* constituat, etsi hoc nobis probabile videatur; sectionis tamen pathologicae auctoritate destituti, non audemus asserere. Quod vero a curvatura ventriculi majore pendet, *omentum*, illud, sicut *hydropi* (§. 743.), ita quoque *pneumatosi*, hinc inde subjectum est. Virorum, ut celebris *Parisiensium* anatomicus observat, melancholicorum, ac faeminarum hystericarum aliquando hic morbus est. Variis nempe in casibus utraeque omenti laminae aëriformi a fluido adeo a semet ipsis separatae fuerunt: ut spatium epiploon longe amplius in abdomine occupaverit; ut elevatis in ea parte musculis abdominalibus, ad regionem epigastricam tumor internus, sub varia corporis positione ex

Omenti.

hac parte in alteram sese volutaverit, et pro ratione ventriculi aut repleti, aut vacui, vel ascenderit, vel descenderit.

P. Enterica. §. 715. De *intestinis* vero, ad quae sedes pneumatosis in genere frequentissima est, haec de ventriculo mota, dubia nos minime Externa. premunt. Haud raro scilicet tam in tela cellulosa externa, quam inter membranas illorum, aëriformis materia tetri foetoris, — nunc ad tubi hujus cibarii portionem minorem, nunc per omnem ejus ambitum, ita quidem detecta fuit: ut illius volumen tam extus, quam (separata tunica intestini interna ab aliis), versus cavum istius, assurgeret, insigniter tumeret, et istud penitus occluderet. Interna membrana recti intestini adeo inflata pependit ex ano, ut ejusdem prolapsum sistere medico videretur.

Saepius tamen fluida elastica ipso intestinorum in *cavo* habitaculum figunt. Tenuia quidem intestina, in quibus *carbonicum* praevalere consuevit, rarius longe, quam crassa, flatus concipiunt; visa tamen fuit in viro pars intestini *jejuni* ad coxae magnitudinem dilatata, a genuina sede depulsa, atque in decliviore parte siderata. Saepius ad inte-

stina tenuia, quam ad crassa, *diverticula* re-
perire est, congenito quidem structurae vi-
io magis, quam extensioni primum adscri-
benda facile tamen haec ipsa constitutio,
morbosae intestini, conicos plerumque in
saccos, expansioni favebit. Inter crassa in-
testina, et *coecum*, et *colon* praecipue, flatus,
ta ut obstructiones latere quis crederet, do-
minantur. Valvularum nempe in illis con-
stitutio, faecalis materiae stasi diuturnae,
— ligamentorum vero indoles, vehementi
ac spasmodicae contractioni praecipue fa-
vent. Sed et rectum intestinum subinde
acutissimo cum dolore a flatu distenditur; et
in juvene illud ipsum, colo continuum, so-
lito magis distentum, colon vero, sacci in-
gentis potius, quam intestini forma, ad anum
descendisse legimus. A tanta extensione
intestina posse dirrumpi, si modo haec gra-
datim ac lente expandantur, ob indolem eo-
rum extensilem, tam facile tinendum non
erit; exempla tamen aliqua descripta sunt,
quo in casu, ut in illo dirupti ventriculi, aër
in his visceribus contentus, cum rebus aliis,
in ipsum cavum abdominis simul penetrat.
Aliquando interim, qua ratione extenditur,
ea quoque incrassatur, intestinum. Sic co-

lon intestinum, nimis ab aëre distentum, sed simul quoad structuram tunicarum summe incrassatum observavit summus anatomicus. Puerorum petulantia, diu ante chemicorum recentiorum circa indolem *hydrogenii*, in crassis intestinis contenti, experimenta, tensis circa nates feminalibus, flatus ano explosos *inflammabilis* naturae esse, admoto lumine, docuerat; interim qui primus de *gas*, seu *spiritu sylvestri* locutus est, jam dixit: „Ructus sive flatus originalis in stomacho, prout et flatus illi, exstinguunt flammam candelae;" — „stercoreus autem flatus, qui in ultimis formatur intestinis atque per anum erumpit, transmissus per flammam candelae, transvolando accenditur, ac flammam diversicolorem, iridis instar, exprimit. Qui vero in illo, sive intestinis gracilibus formatur, nunquam est inflammabilis."

Flatulentia. §. 716. Hi flatus igitur, vel a faecibus, spasmis, aut alio obstaculo, intestinis inclusi, vel continuo sursum deorsumque, quasi *acoli* in antro, oberrantes, sensibilem, hunc tubum ad contractiones violentas, inaequales exstimulant: angustiores per fistulas, *bor-*

borborygmorum sub nomine, decurrunt, sibillant, canunt, mugiunt, ranarum ad morem garruli coaxant, et nisi lusus *daemoniaci*, latentis saltem in abdomine *bestiae* cujusvis, ideam vulgo obtrudunt. Viri *colon* intestinum duris a stercoribus adeo repletum, et aër infra hoc obstaculum ita expansum fuit: ut vi ejus membranae illata, non nisi extima intestini tunica superesset; quo proclive est intelligere, quantillum tandem restaret, ut cavo tubi cibarii, in cavum abdominis erumperet. Ad insignem omnino gradum quandoque intestinorum, maxime crassorum, dilatatio, et inducta abhinc distorsio, ascendunt: ut coecum et colon saepenumero brachium, quin et femur humanum, molle sua aequaverint; quidquod *rupti* a tanta extensione intestini exemplum non desit.

Apud multos interim, vel abdomine minus sensibiles, et quod laxiora ipsis intestina extensioni minus resistant; vel sensim sensimque succedente magis istorum expansione, flatuum congestio non tam atroces quidem dolores, quam alia, taedio plena tamen, symptomata, per vices, et maxime sub vita magis sedentaria, vel post usum ciborum potulentorumque fermentantium, le-

guminum crudorum, producit. De *flatibus* nimirum multo magis, quam de incommodo quovis alio, conqueruntur hypochondriaci; ac licet illi effectum magis, quam causam morbi sistant; continuo tamen *carminativa*, ut vocantur, a medicis remedia efflagitant. Nunc etenim flatus sibi per oesophagum ascendere quidem, sed ibidem globi adinstar, vel quasi inter scapulas, haerescere, ac minime explodi posse, — nunc ad ventriculum, maximopere extensum, prominentem, defigi; nauseam, vomituritionem, morituri quasi hominis anxietates, sudores frigidos, excitare, — nunc ad costas, ad pulmones, sedem deligere, atque vel dolorem lateris, pleuritico similem, vel et asthma (*flatulentum* vocarunt), provocare, — nunc eosdem sibi, miro abdominis cum capite consensu, ad cerebrum, quasi fumum, ascendere, aurium susurrus, tinnitus, vertiginem, aliquando caducam, et prodroma ipsius apoplexiae symptomata excitare, — nunc sororiantes quasi mammas, — ad lumbos dolores quasi nephriticos, calculosos cruciatus, vel etiam ad artus, articulos, dolores pungentes, lancinantes, hinc inde divagantes, nunc cordis veluti inversionem, ro-

ationem, palpitationes, cum pulsu inaequali, intermittente; in sinistro hypochondrio, tumores renitentes, lienis quasi infarctus, pulsationes evidentes, cinguli, ex uno hypochondrio ad alterum transeuntis, tactui adeo manifesti et vix non suffocantis, sensatio, — in pelvi vero symptomata haemorrhoidalia, dolores, longitudinem ureterum sequentes, testium distractiones, penis ipsius retractionem, producere, — singula vero haec mala, sicuti plerumque subactione ciborum necdum penitus absoluta praecipue comparere: ita quamprimum vel ructus, vel flatus copiosos expulerint, extemplo dissipari, eloquenter exponunt. Est tamen, quod probe notandum venit, ubi plenus *flatu* venter, quin vel per oesophagum, vel per anum hic proruperit, illico subsideat, tantaeque abdominis turbae, sine cognita causa, omnino dispareant.

§. 717. Majore tamen sub malo, et extenso *citius* in parte nunc hac, nunc illa, canali cibario membranoso, tot vasis nervisque instructo, primum quidem, et antequam tumor manifestus reddatur, ad hypochondrium sinistrum, ubi colon transversum in colon **Enteralgia physodes.**

descendens abit, mox vero in lumbis, et circa umbilicum, dolores scenam aperiunt. Hi dolores, subinde remittentes, et a compressione ventris quidquam moderandi, continuo tamen aucti, ac frequentius reversuri, tandem vix non fixi, omni saepe humana patientia superiores, non certe in solo intestino *colo*, unde *colicae flatulentae* nomen habuerunt, sed omnem aliquando intestinorum per ambitum, nascuntur, *enteralgiae physodes* magis nomine digni. Sub his cruciatibus, venter tandem, pertinaciter clausus, nunc in una modo, nunc et in altera regione protuberans, inaequalis, ad solum adeo attactum sensibilior fit; nunc omnis turget; plerumque a percussione resonat, ac descriptum jam alibi *meteorismum flatulentum* offert. Vehementiorem colici doloris insultum, pulsus admodum contractus, vacillans, inquietudo, anxietas, virium lapsus, vultus mira mutatio, distractio, pallor, extremorum perfrigeratio, sudor frigidus adnunciant. Adductis abdomini cruribus aeger adventantem lenire dolorem studet. Suppresso protinus quovis, desiderato licet per oesophagum ructu, flatus illi saepe quidem profunde per pelvim descendere viamque recti intestini legere vi-

entur; sed alvum obstippatam mox iterum i superiora versus fugiunt, ac sub diro lumborum, coxarum dolore, sub mictu frequene, aquoso, ardente, vel etiam sub urina tranguriosa, fere nulla, saepe sub nausea, omituritione, aut ipso sub vomitu, singulu, vel pristinum in locum, vel in alium, nxio, desperante, ac suffocato vix non aero, cum strepitu recurrunt. Ubi vero inestina per annulum abdominalem egressa unt, et hic fortiter constringitur; interceptus sic aer intestinum summopere dilatat, xstimulat, et omnem fere in vasis ejusdem anguinis decursum supprimit, gangraenam rovocat, praecipue si *herniae* fomenta calida, nclusum aerem magis expandentia, imponantur, et caetera artis negligantur subsidia.

§. 718. Si, cum ventris inflatione, borborygmis, pertinaci adstrictione, torminibus, laterum et lumborum dolore, sursum et deorsum simul, violento cum impetu explodatur flatus: *choleram siccam*, a parente medicinae quidem sollicite depictam, nobis interim nunquam conspectam, vocarunt. Cholera sicca?

§. 719. Quodsi rerum ille status (§. 715. 716. 717.), funesto sub omine, rebellis in P. perennis intestinor.

longum trahatur, summum ad gradum evehatur, et, nulli cedens remedio, constanter perseveret: nascitur tandem morbus, quem *hydropem ſiccum*, *tympaniam*, *tympanitidem* scholae vocarunt, nos vero *pneumatoſin*, nunc *inteſtinalem*, nunc, longe certe rariorem, *abdominalem*, et quidem *perennem*, appellamus. Non quodvis nimirum abdomen flatu quidquam turgidum pneumatosi hac graviore laborare discendum est. Mulieres, quae partum frequentiorem expertae sunt, vel gemellos semel aut iterum pepererunt, cum ventre saepe magno et elastico sat diu, libere tamen ac sine labe valetudinis conspicua incedunt. Vetulae exsiccatae, macilentae, abdomine tumente instructae, aquis, quod pluries quondam in thermis *Badenſibus* experti sumus, supernatant, nec fundum petere queunt, cœterum satis sanae. Si *acutae tympaniae* exempla a Viris claris referuntur; de nominibus hic lis est, nec certe, tacita interdum et clanculum serpentia tympanitidis principia, subito aliquando non posse deflagrare praetendimus; atque si *meteoriſmi* appellatione illa nobis veniat; non igitur negabimus et *perenni pneumatoſi* febrem tandem posse accedere.

Est igitur pneumatosis, de qua loquimur, tumor abdominis anterioris ac medii praecipue, tensi, a decubitu supino vix subsidens, nec mutabilis, perennis, elasticus, percussione sæpe resonans, ascite plerumque levior, cum alvo ut plurimum sicca, urinis non tam paucis, inani fere ad ructus, flatus, nisi tacitos, deponendi conamine, dyspnœa, tussi sicca, singultu violento, anxietate, lassitudine. Definitio.

§. 720. Flatulentiae (§. 716.) igitur symptomata jam exposita, ad gradum majorem evecta, constantius tamen, quam in illa, hominem prementia *perennis* faciem *pneumatosis* exprimunt. Dolor, quem aegri ab initio diutius cum tensione circa regionem lumbalem sinistram, circa praecordia et umbilicum, tensivum, rodentem, punctorium persentiunt: veterascente morbo, splendente tunc prae summa extensione abdominis cute, fere silet, non tamen in omnibus. Sic etiam flatus sub fine morbi vix ulli secedunt; sed plerumque dum ad sinistram regionem iliacam perveniunt, dolore interdum acuto, punctorio, exorto, mox illi cum strepitu versus hypochondrium recedunt. Famem Symptomata.

his aegris esse perpetuam. ac cibos quoscunque ab iis sine ullo levamine, ut Vir gravis monuit, ingurgitari, nos quidem non observavimus. Si extenuationem faciei, pectoris, brachiorum manuumque, quam certe et nostris quibusdam in aegris conspeximus cum aliis, inter signa hujus morbi characteristica omittimus; est quod homines eodem detenti longe non omnes habitum cacheticum præ se ferant. Coeterum in ipso ascite hæc *macies* frequenter occurrit. Non sonoram hic semper esse abdominis intumescentiam, experientia haud raro docuit. Quidquod abdomen, in quo non nisi *aquae* stagnaverant, percussum, tympani quasi sonum ediderit; sicut ipsam *fluctuationis* in abdomine perceptionem, falsitatis, cum a solis intestinis flatu distentis illa venisset, tum suscepta praepostere a viris etsi celebribus paracentesis, tum sectio anatomica convicit; ut igitur nōn tam facilis sit tympaniae ab ascite, per fluctuationis absentiam distinctio, quam quidem Vir clarus praetendit. Ventris cum utriusque manus vola sustentatus et quasi ponderatus tumor, in pneumatosi longe certe *levior*, quam in ascite, est. Aquarum vero, aut conspicuae visceris obstructi molis, aut

ecum plurimarum in intestinis, simul cum
re, praesentia, hoc signum utique elidit.
entrem, supino aegroto, in tympania non
bsidere, verum est; sed ubi in ascite aquis
e plenissimus est, mollescit quidem tumor;
on tamen subsidet. Pulsum hoc in morbo
eniorem esse atque duriorem, quam in as-
ce, monente alio, percipimus; sed certe
ultimo hoc morbo pulsus aliquando vi-
antes ac plenos observavimus. Coeterum
pneumatosi perenni quidquam provecta;
aestus internus, et sitis, oculorum cali-
, vertigo, dyspnoea, suffocatio, cordis
lpitatio, lipothymiae, singultus, vomitus,
us ipse, frequenter occurrunt. Alvus ple-
mque certe pertinaciter, et octo, aliquan-
et plures per dies obstructa est; in dua-
s interim aegris *Viennensibus* hoc a morbo
ehensis, alvus fuit liquida; a flatu et fae-
us extensa maxime intestina, non modo
rtes vicinas, sed vasa quoque propria,
m periculo gangraenae, atque ductum ali-
ando choledochum, ut et *icterus* abhinc
nerit, coomprimunt. Secretio urinae, quam
ascite, abundantior in genere; etsi, prout
ibi monebimus, non in omni hydrope lotii
cretio imminuta sit. Urina tamen pauca

saepe, rubra; stranguriosa. Vitam aegri, tam flebilem, amare, mortem vero, etsi tantarum finem miseriarum, quam maxime abhorrere sueverunt.

P. perenn. abdominalis. §. 721. Pneumatosin, in qua fluida elastica *in ipsius cavo abdominis*, extra canalem cibarium, nisi forsitan laesum, exesum, erosum, perforatum, gangraenosum, haererent, Viri celebres negarunt. In multis nempe hoc a morbo defunctis, instituta paracentesi, nec flamma vulneri admota *regrediente* ab aere moveri est visa; nec subsedit abdomen; intestina vero erant flatu turgidissima. Quodsi tamen per cutem externam, contusam, attenuatam, aer atmosphaericus, quin fibrarum in illa separatio pateret, multoties penetraverit (§.707.), cur denique membranaceus ille tubus, qualicunque demum a causa, maxime vero a praecipiti ac inaequali per flatus extensione violentiam passus, spatiola fibrarum intermedia his ipsis constanter permeanda denegaret? Nemo etiam ea, quae supra retulimus (§. 715.) pneumatosis intestinalis *externae*, unde facile contentus in cellulis aer sibi viam in abdominis cavum parare potest, exempla in dubium revocabit. Nec, dum

liis in cavis corporis aeriformem materiam vel secerni, vel etiam sine putredine evolvi concedimus (§. 704.), ratio subest, cur soli cavo abdominis hanc ipsam facultatem tribuere recusemus. Neque etiam aer externus, in cavum abdominis, in vivo adeo homine, sub paracentesi irruens, unquam aut sonum edidisse, aut tympaniam induxisse visus est. Ad hepatis partem convexam, bullas copiosas, — ipsam fellis vesiculam aere repletas culter anatomicus detexit, ex quibus diruptis, eidem abdominis in cavum via iterum patebat. Ex foeminae tympaniticae aperto abdomine aer cum sibilo exivit, venterque illico subsedit. Viri egregii testimonio, ex aperto ventre tympanitico non solum flatus statim *erumpebant*; verum etiam intestina tantopere ab illis erant distenta: ut femoris crassitiem certis in locis adaequare viderentur, a compressione tandem dirupta. Cum acu apertum abdomen ex pneumatosi tumens, post magnum satis sonum quem edidit, in totum subsedit. Singula vero haec et illis tympaniticorum in cadaveribus, quorum intestina sine omni laesione reperta fuerunt, locum invenerunt.

Fallacia signorum.

§. 722. *Pneumatosin abdominalem* cum resonitu evidentiore, cum tumore magis aequabili incedere, flatus vero rariores minusque levantes, dolores abdominis exteriores, ac tandem alvum minus pertinaciter adstrictam hic esse, posuerunt graves Nosologi. Additur his ab alio: nec rugitus, nec ructus, nec crepitus hic subesse; et ab alvi, aut flatuum depositione, nec molem abdominis, nec morbi symptomata imminui. Eo magis interim veremur, ne repetita satis experientia distinctiones has ipsa stabiliverit; quo certius est, tam *intestinalem*, quam *abdominalem* pneumatosin frequentius *complicari*. Inaequalem ac protuberantem, a tumore flatulento unius vel maxime extensi intestini, fieri ventrem, et nos sumus experti; quin tamen, praeter unum hoc, verae tympaniae symptomata coetera comparuerint. Senex *Bruchsaliensis* herpetica impetigine a prima juventute obsessus, quoties haec a cute disparuisset, ad intestini coeci regionem expertus est tumorem capite infantili aequalem, renitentem, elasticum, sub digitis crepitantem, saepius coaxantem, a percussione resonantem; comparente iterum ad cutem herpete, venter hujus viri aequalis, tractabilis, nec mole pec-

ans, tanti nobis morbi vestigia vix ulla amplius exhibuit. Facile etiam ventriculi, vel intestini saccus amplissimus atque elasticus, abdominis se fornici sat late accommodat, coeteraque intestina, ut aequale satis abdomen videatur, a se repellit; ac, si omnis fere intestinorum canalis flatu quam maxime turgeat: non est, cur venter universus aequaliter non tumeat. Accedit, quod in vera etiam pneumatosi *intestinali* frequentius aut pauci aut nulli, quam multi flatus secedant; quod in casu etiam, quo aër in cavo abdominis haeret, alterius fluidi elastici per intestina rejectio ventris molem ac symptomata morbi imminuere non minus possit, quam debeat; quod infidum satis sit aegrorum de doloris sede plus aut minus profunda judicium; et quod tandem vel in ipsa tympania *intestinali*, prout supra (§. 719.) innuimus, alvus aliquando fuerit ac saepe sit adstricta; ut igitur, quod dolenter fatemur, *abdominalem* inter ac *intestinalem* pneumatosin adhuc claudicet diuque claudicatura sit diagnosis.

§. 723. Sub ipso *hydrope*, elasticum hinc inde fluidum, etsi hoc rarum satis esse nos Hydropneumatosis.

quoque fateamur, in cava corporis telamque cellulosam evolvitur (*Tympanites asciticus Sauv.*). Cum hydrope anasarca pneumatosin, licet nec putredo adesset, nec aer externus accessum habuerit, vidit egregius *Angliae* Pathologus. Cum uteri hydrope, ejusdem simul pneumatosis (*Physometra humida Sauv.*) observata fuit. Tympaniam, statu suo peracto, in asciten aliquando degenerare, seu potius hanc sibi consciscere, ante saeculum et ultra clarus *Angliae* anatomicus jam docuit. Subtilior leviorque materia aerea tunc superiora ventris loca tenet, et ibi hic percussus, plerumque resonat. Quare, si ventrem, utraque cum manu, loco aquis superiore, amplectimur: vesicae quasi ab aere extensae mollitiem tumor hic habet. Mutata etiam aegri positione, qui locus antehac levior videbatur, ponderosior nunc est, atque vicissim. Tympanitica dissecta, vix admoto cultro, plurimi mox se flatus, cum impetu exitum quaerentes, postea vero aquosus humor, obtulerunt. Fluidum illud elasticum flammam admotam exstinxit. Frequenter interim sine aquis effusis intestina sunt tympanitica: exemplo etiam pueruli, cujus ventriculus flatu distentissimus, intestina vero admodum

ellucida fuerunt, acuque puncta, illico col-
apsa sunt. In puellae novem annorum, tym-
aniticae, abdomine, nec guttam quidem
quae repertam fuisse, testimonium exstat;
t igitur magni quondam *Galliae* Pathologi,
icentis: „vix sincerum flatum sub abdomi-
e, citra humoris permistionem unquam
isse animadversam," assertio fundamento
estituta collabatur.

§. 724. Si loci respectu pneumatosis di- **P. Genitalium.**
isionem illustrando prosequamur, praeter
artes, quas hucusque nominavimus, ac in-
er quas intestinorum tubus, a faucibus ad
num usque extensus, nec non tela subcuta-
ea, frequentius pneumatosin patiuntur; *ge-
italia* tum *virorum*, tum maxime faeminarum
inc inde, ac saepius, quam medicorum ad
ognitionem id veniat, hoc a morbo (*Aedoe-
osophia S.*) detinentur.

§. 725. Ac *virilis* quidem sexus inter- **Virilium.**
um, non modo sub coitu, loco seminis, fla-
us per urethram ejaculat: sed sub nisu
uoque ad alvum urinasque deponendas foe-
dam, his similem in omnibus aeriformem
ateriam expellit: aut per fistulas atque

ductus, ex vesica cum perinaeo communicantes, amittit. Tres viros nos ipsi tractavimus, atque alii quidam consilium nostrum petierunt, ex quorum urethra, ut in oratione academica *de vesica urinali ex vicinia morbosa aegrotante* fusius quondam exposuimus, flatus non minus quam per anum, foetidissimi, secedebant. Viri exemplum exstat, qui colicis doloribus aliquoties in anno, cum borborygmis, tensione abdominis, adflictus, flatus ex pene, quasi solenni et consueta e via, saepe cum urina, saepe sine hac, excrevit. Jam ipse medicinae parens exempla hominum adducit, quibus, dum Venerem exercerent, venter inflabatur; aliorum, quibus, eodem sub opere, strepitus elidebantur.

Faeminarum. §. 726. Frequentius certe viris, *faeminae* per vaginam, flatus diversae indolis, compresso, vel sub coitu, vel sub corporis ad anteriora versione abdomine, aut etiam corpore quieto, verecundae explodunt. **Vaginalis.** *Vaginalem* interim modo pneumatosin in multis sistit, et quidem *insontem*, si aer atmosphaericus, a vagina susceptus, ostio istius, quocunque demum modo maxime sub coitu, nunc hiante, nunc obturato, rarefactus, et cum

cum sonitu explosus, aures offendit. Vulvae garrulitatem poeta vocavit; — *morboſam*, vero, si flatus *inteſtinalis*, per ulcus, aut per fistulam, ex recto, vel alio intestino, vel adeo ex vesica simul exulcerata, per vaginam, foetidus, cum, vel sine strepitu, expellitur, auffugit.

Alias vero ipso *uteri in cavo*, vel aer atmosphaericus, vel fluidum aliud elasticum continetur, ac *pneumatosin uterinam* (*Physometra S.*) *efformat*. Parum satis de *oris uterini mutationibus* et lusibus apud faeminas non gravidas intelligimus; ac rudis nimis digiti obstetricii tactus est, quam qui ad sinum muliebrem de iis, quae in viis ex utero in vaginam angustis, sub diversa faeminae conditione, contingant, recte semper judicet. Patent uteri periodice sub menstrua secretione; quibuscunque morbosis aperti sunt profluviis; sub conceptionis opere, quidquid sit illud, de semine captant; sub coitu, etiam non foecundo, nisi desit voluptas, — sub masturpatione, de illis, quae vagina ejaculat, participant; et quamvis labia uterina *connivere*, tactus affirmet; certe nullo non tempore, mulieris, nisi gravidae, penetra li Uterina.

plus minus hiant. Copiosa igitur pneumatosis uterinae, non tam in virginibus, quam in mulieribus partum jam expertis, imprimis autem vetulis, etsi fuerit qui haec quondam negaverit, exempla, medicinae a primordiis ad nostra usque tempora, exstant. Post partum vel maxime, post abortum, vel tempore menstrui fluxus, post grandes uteri haemorrhagias, aer frigidus faeminam circumambiens, aperto adhuc satis ore uteri, — quidquod sub ipsa graviditate, ut exemplo constat, hujus visceris se cavo facillime, vel membranas foetus inter et uterum, quo loco *aquae* sic dictae spuriae in gravidis aliquando colliguntur, cum abortus periculo, insinuat (quod *spiritu flatulento repleri* medicinae fundator definivit), clausoque forsitan per spasmum, grumum sanguinis, tenacem per pituitam, prolapsum, callum, per distorsionem, vel alium in modum, ejusdem ostio, rarefactus, uterum distendit, ac citius, aut tardius, flexo ad anteriora puerperae abdomine, compressus aer, data porta, et saepe cum fragore, exploditur. Quin ullum vel in vagina, vel in utero vitium a morte patuisset, celebris quondam *Angliae* chirurgus, dum viveret mulier, aerem in iisdem latuisse ob-

ervat; tresque alias mulieres, quae, simili
ub statu, aerem retinere in utero non pote-
ant, commemorat. Aerem atmosphaericum
siphone alio cum liquido simul contentum,
que vaginae injectum, in ipsum uteri ca-
um penetrasse, — hoc viscus autem exin-
e, spatio quatuor horarum, ad tantam mo-
em, ac si foetum octimestrem gestaret, sub
loribus intumuisse, ac non nisi aere pu-
endis exploso tandem subsedisse, legimus.
lliud vero erit, si, ore uteri quidquam ma-
is custodito, *gas* quoddam, aut ex liquido
ic stagnante, quod sub fluore albo, ulceri-
us uteri venereis, facilius, duarum mulie-
um his affectarum exemplo, contingere vi-
etur; aut ex foetu, placenta, grumo san-
uinis, in utero relictis, putrefactis, evol-
itur; aut ex integra quidem, sed morbose
citata, uteri, vel forsitan et tubae, su-
erficie secernitur; aut ex recto, vel colo in-
estinis uterique pariete posteriore concretis,
esis, in cavum visceris prolifici proficisci-
ur. Exemplum *molae flatulentae*, cum impetu
x utero in terram propulsae, ac, prae levi-
tte, ex ista, pilae, aere distentae, instar,
silientis, Archiater quondam *Lotharingiae*,
e morbis *ex colluvie serosa*, bene meritus,

conservavit. Massam pinguem foemina *batava*, menstruis inordinatis aliquamdiu adflicta, innumeris *vesiculis*, partim aqua crocea, partim *solo spiritu repletis* instructam, ex utero excrevit.

Symptomata. In quovis tamen casu, tumor ac tensio in regione hypogastrii elastica, a percussione sonora, ardor, dolor rodens et pungens, versus inguina vaginamque tendens, interdum sitis, horripilatio, febricula, ad vesperas aucta, anxietates, oriuntur. Magni quondam uxor medici *germani* hoc morbo laborans, intolerabilem cruciatum et dolorem accusavit, qui a pectine, ob uteri inflationem, imoque ventre ad septum transversum et inguina excurrebat, ut pene dolore enecaretur, nec posset vel crus, vel se ipsam in ullam partem movere. Post flatuum explosionem tumor hypogastrii imminuitur; iisdem per dies suppressis, mox denuo augetur. Cum fragore vero et cum tetro foetore, quarundam ex uteris flatus prorumpunt, sequente istos subinde ichorosa, flocculenta materia. Levitas uteri, unius manus cum digito explorati, alterius vero cum apice ad fundum et exterius perculsi, differentiam

neumatosis uterinae a graviditate, nisi hac
rsitan, vel abdominis etiam hydrope, prae-
nte, aliquando constituet; et quando ab-
omen, ab ascite necdum completo, sub de-
bitu mulieris, quodammodo subsidet atque
collescit; contrarium cum utero tympanitico
cum habebit. Non paucae mulieres, ute-
sic adfectae, menstruis aut parce, aut
nquam fluentibus, ultra praescriptum gra-
ditati terminum sese gravidas putantes,
odo flatus, aut aquas ex pudendis internis
creverunt. Archiatri quondam *Austriaci*
stimonio, duae mulieres, a pluribus annis
boraverant fluore albo. Effluens materia pe-
itus ichorosa, putridissima, vaginam et
dendorum labia corrosit. Continuus ad-
rat ardor dolorque rodens et pungens in hy-
ogastrio. Variis intervallis magnae anxie-
tes, tenesmi uterini, et dolores versus in-
uina et uteri vaginam tendentes accesse-
ant. Post has anxietates hosque tenesmos,
rtum fuit leve animi deliquium; a quibus,
lures, foetidissimi flatus, magno cum stre-
itu et summa cum violentia per anteriora
x utero explodebantur; mox vero sequeba-
ur materia saniosa, flocculenta, ignis instar
odens, corrodens. Post mortem, uterus,

scalpello dissectus, magnus, durus, elasticus, aerem dedit cum violentia prorumpentem, ut unus ex adstantibus mox in animi deliquium inciderit, ac aeruginosa vomuerit. In utero vero fuit exulceratio. Ejusdem orificium penitus fuit induratum, concretum; ex ea vero parte, quae cavum spectabat, corrosum. In altero cadavere, sanguis grumosus, polyposus, os uteri obstruxerat. Lac adeo secretum fuisse in mammis mulieris, cui modo uterus inflatus fuit. Vir summae dignitatis cum exemplo comprobavit. Dignum attentione est illud, matronarum scilicet duarum agri *Patavini* nobilium, quae, diu infecundae, tandem concepisse, expertis viris sunt visae, sed *flatus* copiosos quidem, loco foetuum, ex utero excluserunt; ab eo vero tempore mox *prolem* utraeque conceperunt. In ipsa uteri *substantia* non minus, ac ejus in cavo, emphysemata nascuntur.

P. ulcerosa. §. 727. Sed non solo in uteri cavo, verum etiam in quovis alio, vel ab ulcere maligno, vel a carcinomate obsesso, ex his ipsis gas hepaticum animale excerni, docent pneumatosis hac ex causa generatae exempla. A tussi violenta, convulsiva, lethale

mphysema exortum, cujus tamen causa, ost mortem, in *ulcere* pulmonum reperta uit. Quodsi ad *traumaticum* emphysema hoc nagis spectasse videatur; in vivo adeo homie, Viri *Angli* consilio, pectoris paracenteis instituta fuit: sub qua ingens fluidi elatici copia e thorace explosa, et sanitas, doec febris hectica ex ulcere latente succedeet, restituta videbatur. Abscessus aeriormi materia repleti, a celebri *Angliae* chiurgo descripti sunt.

§. 728. Sub specierum expositione, pneunatosis causas partim jam adduximus, quas, um aliis, saltim hucusque cognitis, hic in num contractas, ordine clariore exponi juabit. Causae.

Duplicis naturae *emphysema* esse diximus (§§. 707. 708.), cujus unum, atmosphaerico b aere, alterum, ex fluido elastico alio oriinem trahit. Magna hinc utramque inter peciem diversitas intercedit; ac si illa inter *raumaticas*, ac locales laesiones primum loum obtinet; altera ex morbo vel totius ompagis, vel partis, et ex *chemicae* mistiois mutatione scaturit. Secundae hujus spe- Emphysematis.

ciei exemplum, simplex in animali sub *antlia pneumatica* inflato, et ad cutis diruptionem turgente habetur, sublatae nempe pressionis atmosphaericae effectu, quoad indolem aeriformis materiae sic obtentae, necdum, quod sciamus, satis examinato. Alia hujus specimina, secundum fluidi elastici morbose secreti, vel etiam evoluti, diversitatem se habent. Pneumatosi telae cellulosae *traumaticae* subjecti magis sunt homines macilenti, ac partes adipe modo pauco instructae. Hinc capitis pars posterior, lateralis, ambo latera thoracis, a vulnere suscepto, aeris insinuationi magis apta sunt; quando et brachia, et femora, et nates, et fornix abdominis, ejusdem ingressui, repleto jam ab adipe textu eorum subcutaneo, magis resistunt. Vulnera obliqua, sinuosa, aeri magis patentia, aerem aliquando susceptum, ne denuo auffugiat, coacervant, ac loci calore rarefactum, coeteris, per spatia cellulosa, partibus transmittunt. Cutis contusae, extensae, distractae, nimia tenuitas fibrarumque dehiscentia, oculis quamquam vix manifestae, telam cellulosam haud satis custodire, ac prementi atmosphaerae transitum cedere observatur. Nec partes internae, quas aer atmos-

aericus, — exemplo uteri, a partu adhuc erti, allidit, — aut quas post illatam jam olentiam, fluidum elasticum transparens rmeare continuat, exemplo tracheae, bron-iorum, sub tussi fortiore, — intestini, r vermes, venena, drastica, abscessus, ul-ra, — urethrae, vesicae, per praegressas ppurationes, ad internam superficiem lae-rum, exesorum, satis tutae sunt. Trans-ant autem flatus faciliore modo ex intesti-) recto in vaginam, aut urethram exesas, m illis sphyncter ani potentius resistat. ub maxima intestinorum extensione per atus, interna illorum membrana findi, la-rari, et aeriformis materia in cavo intesti-i contenta, in hujus telam cellulosam in-are, et pneumatosin *enterophysodem*, ipsam-ue *abdominalem*, producere potest.

Cum cibis non minus, quam cum potu, eris pars atmosphaerici, quantacunque sit, liqua saltem ad stomachum descendit. Ma-or illius quantitas huic organo inducta, ad omitum idem, vel sano in homine, con-ellit. In hujus cavo aer partim rarefactus, xpansus, viam legit aut oesophagi, aut py-ori; partim, novas combinationes expertus, Aer in Ventric. sano.

pristinam cum aliis indolem commutat. Non solum animal, quod aerem sub media valetudine per oesophagum eructat, est homo; atque hucusque id, si modo cum moderamine fiat, morbosum esse censendum non erit. Subactionem ciborum a *fermentatione* vel minime pendere, nunc notum est. Sub illa tamen et aeris atmosphaerici, ciborum interstitiis latentis, portionem liberari, et alias, pro ciborum indole diversas, aeriformes materias evolvi, legesque chemiae animalis, sola tamen conjectura difficulter eruendas, hic sequi, indubium est. Aerem requiri atmosphaericum, qui tubi cibarii actionem suo cum stimulo excitat, obsoleta nunc est hypothesis. Sed quae non ita pridem prolata fuit sententia: nullum sub statu sano aerem in illo viscere contineri, nisi perfectam valetudinem a conditione humana prorsus quis excludere contendat (etsi intestina in vivente animali diametrum tam aplam, ac in cadavere non offerant) admittenda non videtur.

Morboſus. Qualemcunque vero usum habeat vel paucus aer atmosphaericus per oesophagum non explosus, vel evolutae hic loci materiae aeriformis major, ut videtur, portio; si ob ven-

rriculi inertiam, ob bilis defectum, tenuitatem, ob copiam, indolem ingestorum peccantem, ob cibos nempe tenaces, mucidos, oleraceos, leguminosos, pisa, fabas, lenticulas, ob pulticulas, pisces maritimos, alios, exsiccatos, fructus horaeos, dulcia, mellita, pinguia, ovilla et vervacina, maxime si his frigidus superingeritur potus, vel alias ob causas, ciborum subactio languescat, retardetur, aut nulla sit; *fermentatio* nunc *acida*, nunc *putrida* succedit, ac ingens hic loci flatuum evolvitur copia. Praeter illam vero *saburralem materiam*, sub debiliore ac morbosa tubi cibarii actione, liquida hic secreta, stagnantia, facile nunc principium, ut vocant, *azoticum*, *carbonicum*, *ammoniacum*, *hydrogenium*, evolvunt, basin scilicet specierum aeriformium, quae non nisi caloris expansivam materiam, ut aeriformia fiant, requirunt. Hinc ex repressis alvi fluxibus putridis, imprimis per opium praepostere porrectum, toties *meteorismus*; ac a febre periodica, sine debito respectu sanata, *tympanitis*. Ex placenta diutius in utero relicta, putrefacta, ex lochiis retentis, ex vermibus corruptis, et a bilis vesicula laesa, et felle in abdominis cavum effuso, similia sequuntur. Potentissi-

mam simul ac communissimam fluidi elastici evolvendi causam, in *faece*, seu *fermento* positam esse novimus. Ex *putrida* quidem *fermentatione*, ubique corporis aeriformem materiam evolvi, ac in telam cellulosam, vel in cava corporis effundi posse, sat notum est exemplo corruptionis a morte submersorum, *gangraenae*, aut *sphaceli*, emphysema, meteorismum producentis. Post morbos acutos, variosque alios, defuncti homines saepe mora temporis brevissima sic turgent abdomine, ut feretro includi recusent. Post corruptum penitus in utero foetum, membranae hujus, a putrido vapore adeo, ut, matris e sinu eductae, dissilirent, distentae fuerunt. Foetus in totum putridus, octo per dies in pelvi materna haerens, ipsam parturientem in emphysema conjecit.

Ex humoribus mucosis, lymphaticis, plures sane fluidi elastici species evolvi queunt, quin corruptio, putredo hos pessumdet. Mucus, ab oxygenio accedente, in albumen condensatur, cui posthinc caloricum, et azotum, aut hydrogenium combinatum, in *gas* quoddam illud convertitur. Non sine ratione hinc gas illud, loco foetus, ex utero pro-

rumpens, interdum ex muco hujus visceris, tali modo chemico combinato, aliquando derivabitur. Aëriformis materia ex ulceribus malignis, carcinomaticis, ad loca gangraenosa, evoluta, *hepaticum* sistit principium, ab hepatico communi in eo diversum, quod non verum sulphur, sed substantiam albam, squamosam, acidi salis puri ope inde evolutam exhibeat. Nonnunquam vero gas hydrogenium, aut azoticum his ex ulceribus evolvitur; unde foetor ille tetricus flatuum, quos vagina interdum, vel urethra, vel fauces ulceribus obsessae, vel, absque manifesta superficierum laesione, sub morbosa secretione modo constitutae, — quo et foetorem ex ore puerorum, vermibus adfectorum referemus, exspirant, intelligitur; ut saepius ad partium superficies irritatas, internas, id ipsum, quod sub statu sanitatis in piscium vesica fieri notum est (§. 704.), contingat. In ipso contextu celluloso subcutaneo, ejusmodi secretionem fluidi elastici, foetidissimi, locum habere, exemplo puellae docemur, quae in morbo extremo, post inflationem corporis undatim crescentem, per omnem truncum extensam, a pressione crepitantem, ad cutem abdominis vix incisam,

intolerabilem ex vulnusculo foetorem mox sparsit, a quo tumor ille universus evanuit. Quodsi talia in ipso cavo peritonaei locum habuerint: nascetur pneumatosis, quam *abdominalem* nominavimus; quam rem vir clarus quondam, dicendo: „*convexum* intestini, non minus aptum esse generandis flatibus, quam ejus *concavum*," vel et „flatus non semper ex aere esse," succincte expressit.

P. energica. Hoc solo jam argumento elucet, qua ratione pneumatosis, in robustis coeterum hominibus, ex consueti aut naturalis fluxus sanguinei suppressione, sub pulsu pleno ac duro, *hypersthenicam* aliquando originem duxisse, ac a methodo debilitante auxilium assumpsisse potuerit. Non mirum hinc esse dicamus, quod ex ipsa *enteritide* tympanitis oriri sit visa; ut quae, *meteorismum* potius sistens, communissimum in *peritonitide* ac *febre* sic dicta *puerperali* symptoma est. Ipsa *colica*, seu melius *enteralgia*, hydropem aliquando reliquit, ac eodem ex fonte meteorismum: scilicet ubi phlogosis, saepe praetervisa, sub morbi principio intestina prehenderit. Sub ipsis ad haemorrhoides moliminibus, flatus magis urgent; ac sexui sequiori, ubi menstrua imminent, uti diximus, venter infla-

ss turget magis quam ex uteri volumine idquam tunc aucto turgere possit. Egre- e huc facit virginis tympaniticae historia, celebri *Edinburgensi* medicinae quondam ofessore relata: ut quae virgo, haemor- oidibus pridem subjecta, his suppressis, in avissimam pneumatosin, cuicunque reme- o rebellem, incidit; cum vero sanguis ite- m ex ano fluxisset, etsi non multus, a orbo in integrum restituta fuit. Non pau- , tympaniae, ex menstruis subito suppres- exempla sunt.

Fibrarum muscularium ventriculi, inte- norum, *atoniam* plerique scriptores medici causam pneumatosis potissimam conside- nt; ac reciproca sane est flatuum, in vi- um jactura inducenda potentia. Sexui fae- neo, citra hydropem, quam maxime fa- liaris est tympanites, et potissime in hanc idunt, qui ad hydropem asciten inclinant. ta sedentaria certe fertilissima *flatulentiae bitualis*, per vices redeuntis, mater est; et- apud homines debiliores, flatibus coete- m subjectos, exercitium etiam corporis sto vehementius, calore scilicet aucto, sdem magis provocet, ac turgere faciat. genere certe flatus, vel ex ingestis im-

P. Adynamica.

mediate, vel accedente stomachi tubique cibarii energia infracta, ex alimentorum in his remorantium fermentatione, atque ex relicta ab his *faece*, tam putrida, quam acida, in fermentationes renovandas tam prompta, oriuntur. Voracitas hinc ciborum, maxime, quos diximus, vegetabilium, farinosorum, leguminum, sub pauco exercitio quotidiana ingestio, neglecta vel ex aviditate, vel ex dentium jactura, corruptione, masticatio, potus nimis copiosi, ventriculum justo citius eluentes, bilis, succi gastrici, enterici, virtutem infringentes, cerevisiae tenues, non satis fermentatae, vini junioris, — materiae stercoraceae diuturna in crassis intestinis retentio, seu alvi pertinax obstructio, flatibus permultis apud eos, quorum languet ventriculus, a morbo convalescentes, excitandis, generandis sunt pares. Certae substantiae, quae, dum in stomacho, intestinis obviam sibi veniunt, sese chemice decomponunt, et sub ipsa effervescentia fluidum elasticum copiosissimum evolvunt: magnesiae non causticae exemplo, sub acido primarum viarum haustae, quae, evolutos per flatus debilioribus saepe molesta est. Non pauci sunt homines, qui nequidem aquis uti possunt

mine

mineralibus acido carbonico ditioribus, quin ventre non minus turgeant, quam caput obnubilari persentiant. Gas interim tale quidquam fortius citoque evolutum, ventriculi ac intestinorum fibras potentius, celerius stimulando, promptius ore exploditur, abigitur: vaporis ex vino campaniae, cerevisia probe cocta, haustu antemetico evoluti, et antiquos saepe flatus secum per oesophagum rapientis, exemplo; quando e contrario vapida cerevisia, vinum debilius, subacidum, permanentes diu gravesque flatus relinquunt. Animalis cujuscunque, magna cruoris jactura, vel casu, vel arte facta, exanimati cadaver, quo demum in loco dissecetur, *aerem in sanguinis receptaculis* offerre, praestans quondam *Galliae* academicus expertum se dixit; — Vena quacunque majore, veluti canis alicujus, incisa, et sanguine ad mortem usque depleta, in aperto cadavere varias arterias et venas *aere tumere*, ut recentior de his scriptor asseruit, — ulterioribus res digna experimentis videtur. Potatores, maxime spirituosorum, frequenter tympaniam incurrunt. Consuetissimum typhi gravioris, diarrhoeae, dysenteriae chronicae, colici doloris flatulenti, pertinacis ilei, veneni assumpti,

partus laborioſi, abortus, febris intermittentis, hypochondriaſis, hyſteriſmi, icteri rebellis, hydropis, *meteoriſmus* ſymptoma eſt. Evacuatis in aſcite, paracenteſis ope, aquis, inteſtina tamdiu compreſſa, flatu extenduntur; ac ſimilia in puerperis, niſi ventre quidquam per faſcias firmato, contingunt. Non exigui ſcilicet momenti muſculorum abdominis laxitas eſt, uti multarum matres prolium perſaepe oſtendunt. Contuſio abdominis tympanias induxit. Inſolitae originis, nec viſa nobis, emphyſemata ſunt, quae *ſuppreſſa cutis tranſpiratio* produxiſſe refertur. Sic emphyſema hac a cauſa adnotatum legimus, quo ipſae adeo mammae ſorori abant. Summus quondam *Germaniae* chirurgus emphyſema obſervavit, a mento ad collum deſcendens, quin alia cauſa pateret, quam quod aeger tres integros per dies aurae frigidae ac humidae fuerit expoſitus. Similis fere caſus in medico *Galliae* diario recenſetur, His duobus tamen in exemplis, *gangraenae* emphyſema lethale ex frigore praeceſſerat.

P. ſpaſmodica. Fatemur interim, pneumatoſin inteſtinalem, praecipue habitualem, quod clari jam viri monuerunt, ſine *ſpaſmis* et convulſivis

ddfectibus vix posse explicari; qui tamen
pasmi, debilitatis vel effectus, vel causa
sse possunt: ut a quibus nempe aer inte-
tinis includitur, quominus vel sursum, vel
eorsum cedat, impeditur, et ut, continuo
aagis expansus, intestinorum membranas
ltra modum cum dolore extendat, induci-
ar. Enormiem flatuum copiam saepe homi-
es, qui multo a tempore cibos minime hau-
erunt, vel in casu, quo perfecta fuit cibo-
um subactio, emittunt. Vel sola iterum
ypochondriasis, hysterismi, non minus
uam asthmatis spasmodici, podagrae, ver-
iumque tot flatus excitantium, atque *perio-
ci* quorundam emphysematum decursus con-
deratio, hanc sententiam, nisi ultro quam
ebeat et omnes pneumatosis ad species ex-
ensam, abunde confirmat. Matronae exem-
lum refertur, cui semel iterumque de die,
ve jejunae, sive saturae, in magnam effer-
molem venter solebat. Flatuum eructatio
er oesophagum, haud parum *consuetudini*
ibuenda est, qua nempe hypochondriaci,
ystericae per horas interdum ventriculum
bi vix non emulgent, et non modo aerem,
uem hic continet, explodunt, sed et novum
uasi fabricant, et illum, quem intestina fo-

vent, superiora versus urgent, atque peristalticum sic motum cum damno haud exiguo invertunt. Sunt qui tantum hoc foedo in opere exercitium contraxerint, ut quoties de his cogitant, pleno gutture flatus centenos cum fragore expellant. Drasticorum remediorum actio non minus suo cum stimulo, quam quod vires, evacuando nimis, infringat, flatulentias, meteorismum producit. In genere, *nervorum*, animique pathematum, maxime deprimentium potentia in ventris turbis flatulentis provocandis prorsus insignis est. Sic mulier *Upsalensis*, ob domum in vicinia deflagrantem et falsum de conjuge simul in cineres converso nuncium vehementer perterrita, in syncopen et convulsiones postea vero in ipsam tympanitidem incidit. Quin ullum in victu errorem commiserint hypochondriaci, solo animo ingrate commoti flatus sibi ac borborygmos mirum quantum augeri, laeto vero sub nuncio fugari, vel sine omni explosione, evanescere persentiunt. Celebris *Parisiensium* medicus, in ventre mulieris valde extenso, aquarum fluctuationem se, alio cum medico, persensisse autumans, paracentesin abdominis fieri, alteram in diem constituit. Convenientes vero

unc in finem medici, omnem ventris tumo-
em, quin ulla evacuatio notabilis praeces-
isset, quasi subito collapsum admirati sunt.
Nimis diu *turgorem* genitalium, quem non
ola semper lascivia inducit, et mammarum
ororiantium, et papillarum erectiones, ex
anguinis has ad partes (non sufficiente ad
antum voluminis incrementum, affluxu) de-
ivavimus. Experientia tandem docuit, re-
ectos sub media erectione animalium penes,
rius fune constrictos, corpora cavernosa ob-
ulisse minime a sanguine repleta; atque si
oc phaenomenon per hypotheses de *vita pro-
ria,* de *inflatione spastica,* explicari haud queat,
ervorum saltem in secretionem vaporis ex-
ansivi influxum promptissimum id satis ma-
ifestat. Injecta *octavo* nervorum pari liga-
ura, ventriculus a flatibus summopere in-
umescit; ac in permultis flatulentiis, me-
eorismis, intestinorum paresis, non sola
tonia pro fundamento est. Venena plura,
xterius etiam, ut puta per ictum, morsum,
orpori adplicita, cum ventrem attollunt,
otissime nervorum id imperio efficere vi-
lentur. Haud inauditum est, huic impri-
mis pneumatosi spasmodicae successisse *icte-
rum*, a compressione scilicet inter tunicas in-

testini duodeni, valdopere extensi vel contracti, ductu choledocho. Impetigines cutaneae perversa cum methodo tractatae, vel sine causa manifesta dispersae, variolae, morbilli puerorum, haud raro abdominis in nervos agendo (senis, jam (§. 722.) commemorati, herpetici, non minus quam foeminae tympaniticae post psoram cum unguentis praepostere sanatae, exemplis) meteorismum inducunt. Huc certe tympaniae, quas consuetarum secretionum suppressio produxit, pertinent: exemplis virginis, cui fluor albus habitualis per balneum, in quo alumen solutum erat, cohibitus, flatulentam abdominis tensionem, expansionem causavit, et mulieris eodem fluxu laborantis, hoc vero per adstringentia privatae, gravidarum in morem ventre inflatae. Docent vero haec, *symptomatice* hinc inde oriri tympaniam; quod et mulieri contigit, cui ex utero purulenta fluxerunt.

Difficilis est pneumatosis tuberosae, hystericae (§. 709.) explicatio. Ad partes solidas, dum spasmis constrictae, imperium in fluida deponunt, corrumpendis humoribus et evolvendo aeri occasionem exhiberi est dictum; nec tamen supposita haec liqui-

orum corruptio tam celeriter, ac morbi notri phaenomena docent, nasci posse, clarum est. *Hydropem siccum*, ut quondam vocaunt, *non gigni ex vapore*, sed ex fibrarum rispatione auctove sic elatere illum oriri, — x effectu nervorum abdominis irritatorum andem descendere et *inflationem spasticam* sitere, hae certe hypotheses modo verba lue egena offerentes, rem minime definiunt. nterim nervorum actionem morbosam evienter hic morbi subesse, convenimus; ast apores, seu fluidum elasticum his in tumoibus non deesse, sed celeris secretionis, ab rritatione nervorum effectum offerre arbiramur.

De vitiis intestinorum organicis, quae iodo fere *mechanico* aeriformis materiae evoutioni ac retentioni favent, jam pluribus in ocis, maxime vero §. 698, egimus. Coartatio, imprimis ab *hernia*, compressio, reletio, obstructio constans tubi cibarii, quaumque ex causa inducta, vel maxime huc aciunt. Fit interdum, ut flexura coli in lextro hypochondrio, circa hepatis et ventriculi regionem, valde elevetur multumque reet molestiae: cujus causa, ut Viro magno am visum est, in principio coli, quod circa P. mechanica.

confinias ossis ilei, valvulae coli et intestini coeci situm est, residet, eo quod conveniente tono ac robore systaltico, quo *sursum* pelluntur excrementa, destitutum, eorum copia infarcitur, quae ingentem flatuum materiam suppeditat. In genere, viscerum abdominalium, imprimis *hepatis*, pancreatis infarctus, obstructio, fideles sibi comites flatus agnoscunt. Sub bilis effluxu negato, vel morbosa ejusdem, aquosae scilicet ac fatuae secretione, tum faeces retinentur, corrumpuntur, tum flatus, his perfecte exsiccatis, ut in *ictero*, vix olent. Insecuta ex praevia inflammatione intestini durities, canalis hujus diametrum imminuit, restringit, et faecum per illum descensum intercipit; superiora vero loca in saccum peramplum extendi cogit. Similem pseudomembranae, interno intestini parieti adhaerentes, effectum producunt. Qui aegri paulo antequam morbus evidenter inciperet, multa ingesserunt, aut non perpauca postquam incepit, porro ingerere perexerunt, si alvus, ut hic fieri solet, diu fuerit obstructa: intestina saepe habent enormi faecum quantitate, flatuum certe matre, repleta. Sic plena excrementis ex dimidia parte intestina fuerunt ab

io, — a nobis vero, in meteorismo lethali, er omnem tubum repleta simulque vermius infarcta, conspecta sunt. In tympanico puero crassa intestina faecibus adeo dienta fuerunt, ut colon sua mole jecinori im attulerit, referente id alio scriptore. Major intestini a tumore vicino compressio, olvulus, vermium glomeres, polypi, hernia ncarcerata, aequalem saepe effectum habeunt. Cohibendi flatus consuetudo non paucis, crassa imprimis intestina summopere exendit, illis nempe, qui flatibus per anum xplodendis a juventute adsueverant. Est eempe, quemadmodum de *ructibus* jam diximus, ita et in *flatibus* ex ano emittendis, vel maximum *consuetudinis* imperium. Nobilissima *Hispaniae* matrona, a nobis, num in morco, quo tunc laborabat, flatus sibi per inferiora secederent? interrogata; verecunde, nulli certe *Hispaniae* foeminae, nisi prima sub ducatione protinus neglectae, rem tam foeiam unquam succedere; atque sexus sui inantes, si hanc sibi permittant, ruditer a parentibus, nutrica, castigari," respondit. A vero certe illi, qui de flatuum quotidie ibi prorumpentium copia laetantur, valdopere aberrant. Mentionem hic meretur ca-

sus virginis, in flore aetatis constitutae, pro qua nostrum *Vindobonae* quondam consilium expetitum fuit. A sex jam mensibus eam et tormina, et flatus divexant. Saepe vero hi ultimi vel media inter amicarum consortio, quin id perciperet, vel si hujus rei sensationem haberet, quin illam impedire valeret, per anum secedunt, nec ullum ex involuntario hoc flatuum secessu levamen, sed majora potius incommoda, experitur. Non tamen ideo omne huic aegrae in flatus alios libere per anum expellendos imperium subtractum erat; nec faeces ei, aut insciae, aut nolenti secedebant; quam ob rem, sphincteris ani, non quidem paralysin, majorem tamen inertiam subesse credentes, decoctum corticis quercus vinosum, pro fomento, et similis indolis injectiones in anum, in genere vero quae vires, imprimis intestinorum excitarent, praescripsimus. *Ossis coccygis* sub partu laborioso, non adeo fractura, quam *luxatio*, ut flatus praeter voluntatem mulieri aufugiant, aliquando occasio est. Ruptura, vulnera, perforatio tubi alimentaris, oesophagi, ventriculi, intestinorum, cystidis felleae, gangraena, hinc inde aeri, sicut

bis, aut faecibus, aut bili, aditum abdo-
inis in cavum lethalem concesserunt.

§. 729. Pneumatosium *prognosis*, cau- Prognosis.
rum rationem sequitur. *Emphysematis* qui-
m *traumatici* ominosa saepe comparent sym-
omata; ac certe, si organa vitalia copio-
s aer allidat: magna erunt, ne illorum ab
to functiones opprimantur, pericula. De-
ta interim; ac mature satis adhibita sub
ethodo (§. 730.), aut vias ab arte apertas
ox legit, aut in cavis animalibus stagnans
ecomponitur aer. *Guinenses* medici, ad
orbos chronicos, ut hypochondriasin, ar-
ritidem, sanandos, *artificiali* adeo *emphyse-
nte* utuntur, ac inflatos sic aegros, potu
apnoico ingesto, quousque largus sudor
sequatur, dissipato sic tam emphysemate,
am morbo ipso, ad cursum strenuum sol-
itant. Ab extensa nimis per aerem tela
llulosa, dispositionem ad *pinguedinem* relin-
ui ex illis, quae (§. 707.) retulimus, veri-
mile redditur. Funestioris utique significa-
onis sunt illa, quae ex causis internis, gra-
oribus sub morbis, symptomatice nascun-
r, ac facile repullulant, emphysemata; le-
alia certe, quoties aut in vasis majoribus,

in illis cerebri, cerebelli, aut ipso in corde gas elasticum colligitur.

Flatulentiae, quas gastricae saburrae generarunt, eae, rejectis his quisquiliis, sat facili labore, sub debito regimine fugantur. Taedio verum plenae sunt illae, quas, sub vita sedentaria, literatis in hominibus, acido primarum viarum, vel et viscerum infarctu adfectis, aut quas major intestinorum laxitas, atonia, vel morbosa hujus canalis sensibilitas et spasmodica simul dispositio evolvit. Diuturna similium turbarum continuatio, aut frequens repetitio, intestina hinc inde sub magnis torminibus ac enteralgiis, amplos in utres distendunt, circulationem humorum per vasa illorum, ut diximus, pessumdant, et canalis cibarii atoniam et vix non paralysin, cum alvi adstrictione pertinaci, cum faecum in parte intestini debiliore collectione ac remora diuturna, et saepe haemorrhoidum molestissima symptomata inducunt. Colicam hinc spasmodicam frequenter excipit flatulenta; haec vero tandem post se trahere consuevit tympanitidem. Accedant his aut majora in regimine vitia, aut perversa irritansque medicatio; febris acuta inflammatio, meteorismus, vel ipsa gangrae-

na in promptu sunt. Hominem sub ipsa fla-
us largissimi emissione subito posse mori,
xemplis, magnae auctoritatis a viris nobis
conservatis, ac simul de fasciarum sub largo
atuum in fine hujus morbi, secessu, ne-
essitate (§. 730) edocemur.

Est interim, ubi morbus lentiores aegris
nsidias struat. Dolor, primum atrox circa
umbos, umbilicum, mitigari multum, —
enter minus obmurmurare, borborygmi ra-
iores fieri, — peditus, si aliquis, modo si-
ens ac placide trajici observantur. Ast ve-
o crescit indies anterioris, tensi magis, ac
lerumque a percussione digitorum resonan-
is volumen abdominis, alvus quotidie fit se-
gnior, tument magis dolentque in multis
naemorrhoides; flatus tandem nulli; conti-
nuus, sed vix non inanis ructuum edendo-
um nisus, singultus urgent, augentur dis-
pnoea, anxietas, debilitas; macies saepe in-
signis his miseriis per annos aliquando ex-
census, — frequens interdum vomitus, lipo-
hymiae, haemorrhagiae ex pulmonibus,
ventriculo, hydrops aliquando ipse, febris-
que tandem lenta, sitis, siccitas ardorque
cutis, urinae turbidae, stranguriosae stilli-
cidia, accedunt, ac optatum sub tantis aeru-

mnis vitae finem imponunt. Rarissime quidem, sed interdum tamen, intestini alicujus, nimium expansi, ruptura mortem praecessit. Quae vitio organico, aut visceris corruptioni superstructa est tympanitis: ea certe absolute lethalis censenda est.

Solvitur alias hic morbus subinde per alvum faeculentam, nigram, pessime olentem, per flatus, quos redeuntes borborygmi praesagiunt, foetidissimos, copiosos, ano explosos; vel, si uterus eorum sedem constituerit, ex pudendis prorumpentes; haemorrhoidum, menstruorum, fluoris albi, quondam suppressorum, per reditum; per impetiginis, a cute aversae, novam efflorescentiam; ac denique per abscessus ad partes externas benignos.

Meteorismi prognosin, saepe numero funestam, sed, quod frequenter observavimus, non ubique certe lethalem, alibi, pluribus in locis exposuimus.

Cura. §. 730. Pneumatosis impugnandae praecepta, ex causarum, quarum illa effectus est, natura eruenda sunt. His ipsis, in quantum id licet, remotis, vel saltem imminutis, liquidum aereum introductum, morbose se-

etum, retentum, quantocyus, ne ultra
vagetur, educendum; partes vero expan-
e, dilatatae, distractae, ne denuo huic pa-
ant, muniendae sunt. Summi pro chirur-
s momenti est, ut aerem, imprimis in ca-
tis, juguli, aut pectoris laesionibus, quo-
s modo a vulnere avertant, et illo caute ex
oc expresso, unionem labiorum perfectam
stituant, ac emplastro probe coadunent.

Emphysema igitur, quod aer atmosphaeri-
s per cutem sauciatam, contusam, dehis-
ntem, insinuatus produxit; etsi aliquot
st dies haud raro vel sponte disparuerit,
n sine magnis rationibus, promptissimam
jus liquidi expansilis, elastici, priusquam
ijores injurias struxerit, — aut easdem
r vias, forsitan obliquas, mox cum ferro
atandas, — aut per opportunas incisio-
s, — loca tumefacta, crepitantia, cum
a manus versus ostia patentia, permul-
ndo, stringendo, comprimendo, expulsio-
m sibi expetit. Larga satis suoque aere
hausta cucurbita, scarificatis his locis,
ita competit, superimposita, vel super
rtem tumentem, in directione ad vulnus,
ducta, vel tracta, non parum hunc in fi-
m conspirabit. Quodsi emphysematis a

Emphysematis.

signis summaque dypsnoea, anxietate, ae-
rem in ipso cavo thoracis delitescere conclu
di posset; vel per vulnus, vel alio modo is
illum intraverit; quamvis signo evidente a
certo destituamur, summum vitae pericu-
lum *pectoris paracentesim* indicabit, ab egregiis
Angliae potissimum, chirurgis, cum exitu
non semper quidem, sed variis in casibu
felici comprobatam. Ne omnis in cavo tho
racis contentus aer subito diffletur, exem
plum viri, ex costae fractura pectore intern
emphysematici et post operationem extinct
hortatur.

Spontanei. Emphysema *spontaneum*, a causis interni
ut alterius morbi symptoma, inductum, ha
bito ad illas potissime respectu, pertracta
dum est. Etsi vero lethalem illud exitu
ſrequenter habuerit; ne tamen, ob istum
aegri curam pusilanimes seponamus, exem
pla feliciora nos admonent; et cum talia pl
rumque in febribus asthenicis gravioribu
obvenerint: acetum vini, alcohol cum cam
phora, fomenta spirituosa, aromatica, co
ticis quercus peruviani decocto, aluminisq
solutioni nupta, exterius, — pro usu ve
interno, adaequata morbo principali remed
aliquando conducent. Coeterum nec in h
m

corbi specie, liquidi elastici alicubi stagnan-
s evacuatio, si loci natura hanc concesse-
t, quemadmodum in traumatico emphyse-
ate illam commendavimus, negligenda est.

Absoluta demum liquidi aerei evacuatio-
, partes externae, ab eodem nimis exten-
e, relaxatae, cum pannis laneis, fumo
omatico imbutis, perfricandae, ac fascia-
m ope aliquamdiu muniendae sunt.

Aeriformis materiae in tubo cibario ex P.Saburralis.
burris fermentantibus evolutionem, evolu-
e retentionem, hujusque multiplices effe-
us, prompta *faecis*, unde noviter ingesta in
otus consimiles tam facile rapiuntur, cor-
ctio, vel cita eliminatio, coercent. Nihil
, quae vano *carminativorum* titulo glorian-
r, potentiora aromatica, spirituosa, huc
ciunt; sed, praeter debitum regimen, quo
usae latentis augmentum arceatur, modo
a, quae crambem iniquam immutent, vel
iciant, conducunt. In viro *Antwerpiensi*,
volvulo, ut medici credebant, extincto,
si rarum sit, faeces in *ileo* intestino repe-
i, durum tamen stercus, sedecim digitis
pra monocolum haesitasse, multamque so-
am saburram per ileon desuper natasse,
antiquo de flatibus scriptore relatum est.

Emeticis, sub ventriculi ac intestinorum majore intumescentia, extensione, vix locum concedentes, ad sola hic confugimus catharctica. Mitiora tamen ex istis, et sic dicta *eccoprotica*, ne spasmodice contractum alicubi intestinum, drasticorum a stimulo in totum constringatur, praeferenda, atque nec ista quidem medio ac violento intestinorum sub spasmo, sed eodem, emolliente cum enemate, cum infusi chamomillae non calidi potu, jam quidquam infracto, et materia saburrali quodammodo praeparata, soluta, porrigenda sunt. *Acido* in primis viis, ea, quae cum illo coeundo, hoc idem decomponant ac salis speciem medii constituant, opponenda, inter hacc imprimis ea, quae, ut magnesia caustica, carbonico principio carent eligenda, haec ipsa vero simul cum pulvere radicis rhei, et cum grato ac levi stimulo volatili, olei nempe distillati menthae piperitae, vel seminum anisi una alterave guttula, vel radicis zinziberis granis aliquot, combinanda sunt. Aliis leve purgans remedium ex aquae laxativae *Viennensis*, unciis sex aquae melissae, unciis duabus, salis amari drachmis sex, liquoris anodyni min. guttis decem, syrupi corticum aurantiorum unci

midia, si omni hora dimidia, donec alvus
argetur, uncia una ejusdem sumatur, con-
ucit. Flatus ex fructibus horaeis nimis avi-
e devoratis evolutos, a sulphuris accensi et
ein condensati vapore, quod fermentatio-
em impediat, illico coerceri, nos quidem,
uod scilicet quae in *doliis* lege chemica con-
ngunt, ea vivente in corpore saepe locum
on habere noverimus, ex observatione pro-
ria (aliorum tamen experientiae minime
ontrarii) asserere non possumus. *Aqua*
igida, cui acidum illud sulphureum com-
istum fuit, magis forsitan, quam id ipsum
egris propinata, conduxit. *Putridae* prima-
um viarum colluviei, acidae magis naturae
vacuantia, tamarindorum nempe decoctum,
fuso rhei aquoso et aquae menthae jun-
rum, conveniunt. Huic ultimae etiam soli,
bi foetor ructuum et flatuum, saburrae pu-
idae latentis signum offert, spiritus nitri
ulcis cum fructu superadditur. Sub collu-
ie verminosa, tum praedicta remedia, tum
la, quae infra indicabimus, — mitiora in-
er cathartica vero in genere sal amarum in
qua menthae solutum, vel aquae hujus in-
olis soteriae, vel maxime commendari me-
entur.

P. hypersthenicae

Atque haec transitoriam magis, et ex gulae vitiis oriundam pneumatosin, seu brevioris morae, nec tam difficilis curationis *meteorismum saburralem* concernunt. Majoris vero momenti res erit, si ex causis in totum systema, maxime vero in partem tubi cibarii conspicuam, longiore influxu agentibus, venter perennis sedem pneumatosis vel intestinorum, vel abdominis constituat. Ac primo quidem de illa, quam *energicam* appellavimus (§. 728), dicendum hic venit.

Rara quidem avis morbus est, qui, longum in tempus extensus, maximi si chyli officinam is circumdet, de virium superabundantia testetur. Si tamen ex methodo medendi vel utili, vel noxia, longe tutius tandem, quam ex solo ratiocinio theoretico, de indole morborum feratur judicium; non modo de mensis unius vel alterius, sed de plurium annorum tympanitide, vere *hypersthenica*, testimonia, quorum interim partem nos nullam habemus, extant. Evacuationis scilicet cruentae, alterius, lege sexus, aut longae consuetudinis, maxime si communi et ipsis intestinis ex alveo pridem scaturiverit, suppressio, sanguinis in haec ultima torrentem perpetuo dirigit, vasa eorum re

llet, extendit, nervos stimulat, secretiones
ervertit novasque creat, halituosas certe,
t quibus, ut fluidi elastici, nunc hujus,
unc illius formam induant, sub ignotis con-
itionibus principia non desunt (§. 703.).
Non est hinc, cur miremur, ex fluxu san-
uinis per vasa uteri, haemorrhoidum tam
aterna, in subjectis robustis cohibito pneu-
atoses, quae de sthenica natura simul par-
cipent, oriri (§. 728.) easque debilitante
ub methodo, ipso teste *Hippocrate*, felicius
igari, aut per spontanea adeo cruoris pro-
uvia sanari. Sic tympania a fluxu men-
truo suppresso, per sex jam menses
oeminam divexans, comparente largissi-
io haemorrhoidum mucosarum profluvio,
andem disparuit. Aliam mulierem hoc a
orbo correptam fluxus lochiorum restituit.
inas aegras a tympanitide, cum pulsu du-
o, inaequali, remittente, cephalaea, dys-
noea correptas, antehac sanissimas, unica
: larga venaesectio salvavit. Eundem mor-
um in vidua, ab octo jam annis rebellem,
rga ex pede sustulit venaesectio. Septies
deo repetita sanguinis missio *Vindobonensem*
ulierem ab hoc morbo tandem liberavit.

Sicut ergo *hydropis hypersthenici* exempla,

propria etiam e penu desumpta, quondam referemus; ita et de pneumatosi quacunque dicendum est, nec saburras ei semper, aut vitia localia, nec astheniam, et spasmos ex ista oriundos, sed nimiam quoque virium vitalium energiam aliquando pro fundamento esse; quo in casu, non excitans sane methodus, sed ea, quae stimuli exorti causam moderent ac demant, effectus imminuant vel tollant, victum tenuem, potum aquosum alvi evacuantia mitiora, hirudines ad anum genitalia, vel generalem adeo sanguinis missionem indicari.

P. asthenica, et spasm. Frequentius omnino pneumatosis ex *atonia* et ex *spasmo*, in quam haec ipsa tam prona est, descendit; atque hic est, ubi major eorum, quae cum stimulo adaequato vire aut universi systematis, aut partis magi adfectae excitant, sustentant, volatilium carminativorum, tam interne, quam parti exterius administratorum, virtus compare ac amicat. Maximi vero momenti est, hypochondriacos hystericasve, ne in flatibu vel ore vel ano expellendis operam consu mant, sed qua possunt ratione aeris ad gu tur ascensum impediant, monuisse. Quod vero spasmodicae viscerum debilium adfec

oni succurrendum est, radix calami aroma-
ci, angelicae, valerianae, herba menthae,
laminthae montanae, hysopi, thymi, ro-
s marini, salviae, flores chamomillae, im-
imis romanae, semina anisi, cumini, foe-
culi, baccae lauri, juniperi, liquor anody-
us, aetheres diversi, olea stillatitia, alcali
latile, camphora, asa foetida &c. auxilia-
ices manus hic offerunt, quas tamen, si
inus caute debilioribus admoveris, inter-
orum eas incendium, gangraenam promo-
ere observabis. Eo magis vero haec, nisi
vus simul aperta servetur, metuenda sunt.
lysteres igitur (si modo propter spasmodi-
um saepe spincteris ani constrictionem,
ropter recti intestini repletionem, et propter
asorum haemorrhoidalium turgescentiam
ari queant) ex eo quoque argumento, quod
edes mali in crassis potissimum intestinis
uaerenda sit, tum simplices, ex infuso cha-
omillae, tum addita huic asae foetidae,
um vitello ovi solutae, portione, compositi,
inime tamen calidi, ne fluida elastica hic
oci stagnantia ulterius expandantur, fre-
uenter injiciendi sunt, Insignem meteoris-
um sub typho graviore, cum vino in anum
jecto promptissime sanavimus. Clyster

ex fumo nicotianae tabaci, ut legimus, ano viri tympanitici quotidie fere immissus, dolores sopivit ventremque aere deplevit. Calor interim suspectaque indoles hujus fumi, sensibiles magis apud aegros cautionem imperant. Clysmata ex aere fixo, a quibusdam scriptoribus laudata, experti non sumus. *Opium* quidem, quod alvum constipare soleat, multis hic minus indicari videbitur. Atqui tamen in *colica saturnina* hoc remedium, quod saepe observavimus, prae ipsis evacuantibus, alvum, quam spasmus obturat, solvere consuevit; ut igitur non sine duce experientia Vir in artis medicae exercitio quondam famosissimus, pilulas alvum purgantes cum anodynis hic conjunxerit; alter vero, tum similia, tum potissime exiguas pulveris *Doveri* doses hoc in morbo praecipue commendaverit; quamquam opiata modo caute ac nonnisi sub majore spasmorum insultu, atque tunc oleosis, mucilaginosis rebus conjuncta, adhibenda esse fateamur. Saepe nempe crispatis admodum intestinis, oleum recenter ex amygdalis expressum, oleum quoque ricini americani, magis amicum est, atque haec, quo faeces lubrefactas facilius relaxata transmittant, inducit. Nec minus

ea pinguia, volatilibus ut nucistae et cam-
iorae, unguenti sub forma, cum laudano,
ombinata, et ventri, sub ejus frictione, il-
a conducunt. Omnia vero tum potus fri-
dae, tum fomenta ex aqua gelida, nive,
ut glacie abdomini imposita, tum clyste-
eres ex frigida, flatulenta in colica, et in
ympania, quod nos ipsi quoque sumus ex-
erti, superant. Triginta urceos aquae fri-
idae effundi jussit *Hippocrates* supra corpus
iulieris robustae, quae a sumto medicamine
entre tumuerat cum dolore, dyspnoea, ani-
ii consternatione, vomitu. Quinquies ea
iortua videbatur, sed ab affusione frigidae
ublevata est. In equis etiam sanatae per
igidos clysteres Tympaniae exempla me-
ica *Parisiensium* Societas communicat. In
ieteorismo febrili interim fomenta plerum-
ue calida, aromatica, vinosa, cum optimo
ffectu abdomini perpetuo admovemus. In
ehemente abdominis inflatione fomenta sic-
a, et maxime arenam in igne vel sole sic-
atam, *Romani* quondam ceu magnum praesi-
ium habuerunt. Cucurbitarum siccarum,
i colica flatulenta, et in ipsa tympanitide
iagna saepe efficacia est. Ventrem hic ure-
ant veteres. Vesicantia ignis loco admota,

fotus quondam celebris ex pueri urina cum lapide prunellae diu cocta, lixivium cum sale, sulphure, ac alumine, ventri imposita fuerunt; quae subsidia per stimulum extus admotum, interiorem divertendo, praecipue quod abscessus hic aliquando morbum dissipaverit, utilitatem subinde habuerunt. Nec balneorum, maxime ubi impetigo a cute disparuit, et pellis sicca et arida de suo cum intestinis consensu molesto testatur, virtus est spernenda.

Sed cum insuperabilis saepe, in fluidis elasticis e ventre pellendis difficultas sit; tam de *siphone*, qui illa saltem, quae crassis intestinis immota haerent, attraheret, educeret, quam de *remediis flatum absorbentibus* cogitatum est.

Ad primum quod spectat, jam egregius parentis medicinae interpres, „saepius, inquit, vidimus aegros hujusmodi et colico dolore adfectos, plurimum levari flatu ex ventre per inanem clysteris fistulam in anum immissam, subinde retracto et expresso." Cum vero admodum incommoda sit tam frequens ejusdem siphonis in anum introductio ac toties repetenda ejusdem extra hanc depletio, valvula, quae huic malo mederetur

ſtulae fuit superaddita. Etsi vero hocce ..am subsidio, causa morbi aufferri haud ..eat; utilitatem tamen illius tum eventus ..petitio comprobavit; tum ratio ex eo qui..em illustrat: quod aere ex crassis intestinis ..c educto, coli valvula venienti a tergo ex ..nuibus fluido elastico resistentiam mino..em opponat; et quod magnum jam in eo, ..od intestinorum ad rupturam usque exten..o, pro tempore saltem, et donec aliud so..men ferri queat, minuatur, sit lucrum.

Quod vero *medicamina flatus absorbere* desti..ata respicit, quo scilicet magnesia calcina..a, aqua calcis, alcali volatile causticum, ..ulvis ex ligni carbonibus imprimis perti..ent, ex chemicis rationibus proposita; ea ..uidem sat speciosis ex rationibus haud mul..um promittere, anonymo sunt visa. Non ..tenim gas omne, inquit, intestina expan..ens, *carbonicum* est. Ex causticis, ne dam..um aegris inferant, exigua modo, mino..isque capax absorptionis portio potest inge..i; sub certis aegrorum conditionibus nec ..anc quidem licet adhiberi. Potioris mo..nenti est, causam flatulentiae, quam flatus ..ufferre. Pulvis carbonum hydrogenio ab..orbendo in anum injectus, simul ac intesti-

ni cum fluidis coivit, absorbendi potentiam amittit; nec absorbentia haec medicamina, ad loca, in quibus effectum exterere queant, immutata pervenire sperandum est. — Hae objectiones utique ad lapidem lydium experientiae ulterius explorari merentur; de alcali caustico tamen dicemus: nos illud in tympania mulieris graviore, quam in clinico Instituto *Ticinensi* pertractavimus, ad exiguas satis, sed saepius repetitas ad doses, tam evidenti cum rerum successu porrexisse, ut ventris moles, melioribus ex notis, volatilibus remediis antehac resistens, paucarum spatio horarum vix non omnis conciderit. Ventriculum vero a flatu turgentem, gas *carbonicum* plerumque, vix aliud, nisi ructus ille foetidiores explodat, expandere, est notum; et cur tali sub casu, vel alcali causticum quidquam dilutum, vel causticam magnesiam, vel aquam calcis reformidare debeamus, nos quidem non perspicimus. Non sub quavis aegrorum conditione remedium idem convenire, hoc quidem illius nihil detrahit, limitatae modo, efficaciae. Potior omnino est causae, quam, brevis modo, effectus dissipatio; ast vero ubi periculum in mora est; non parvi dicatur, effectus, fa-

lde lethalis, donec aliter succurrendi occa-
o concedatur, suspensio. Pulverem car-
onum paulo minus subtilem, liquida, quae
uca in recto et colo intestinis degunt, vix
tius, quam aer inflammabilis, penetratura
dentur; et flatuum ad sedem principalem
c pulvis injectus, non est, cur venire non
eat. Alio sub fine, quam ne, sub tanta
tis medicae paupertate, sine justis rationi-
s, oblatum illi remedium ad lectulos ae-
orum tentari saltem recusentur, haec mi-
me hic loci remetimur. Coeterum, si bi-
; inertia flatulentias ac ipsam tympaniam
duxerit; quae hanc suppleant, amara, de-
ctum ligni quassiae cum aqua menthae pi-
ritae, fel taurinum, cinnamomi cum pul-
ere, indicantur. Tympaniam diuturnam,
l plurima alia pertinacem, cum pulvere
liginis, ad tres cultri cuspides e jure calido
iquoties assumtis, mulier empyrica sana-
t. Nec tonica potentiora praepostere hoc
morbo, nisi fini suo jam propinquo, prae-
ribantur, vetat major partium sub decur-
ı illius sensibilitas et in spasmos dispositio.
onvalescentibus interim et aquae martiales
m guttis aliquot liquoris anodyini, et cha-
bis tinctura cum aqua cinnamomi vinosa,

et corticis peruviani infusum frigidum, — exterius vero, ut musculorum abdominalium infractum robur revocetur, ut ipsa intestina distensionis novae occasionem tam facile non admittant, *fasciae*, ut quae cursoribus, sub flatuum expansione dolentissima tam bene conducunt, et quae vel sub ipso pneumatosis asthenicae decursu jam mature satis indicantur, conveniunt. Ex fasciarum neglectu mortem derivavit vir de morbis exercituum clarus, in homine, qui ab aliquot hebdomadis tympaniam cum febricula passus, noctu repente exstinctus est, postquam a tribus vel quatuor dejectionibus, quas dosis pilularum aromaticarum cum scilla movit, venter subito subsedit. In cadaveris abdomine nec aqua, nec aer, colon vero amplum flaccidumque fuit, ut satis capax tanti aeris videretur, quantus tumori illi efficiundo par erat. Frigida etiam ventris lavatio, cum cautela tamen, ne subintret refrigerium, celeriterque matutinas ad horas suscepta, — equitatio vero et vectio e curru, vel maxime suadenda sunt.

P. Mechanica.

Parum admodum aut nihil ars medica in pneumatosi intestinali, ex vitio organico graviore oriunda promittit. Obstructiones

uidem viscerum conspicuas illa, debita et
ibi describenda sub methodo, interdum fe-
x solvit, ac pendentes ex iis flatulentias
mul dissipat; sed scirrhosae saepe ac ex-
ensae, vel ex polypis, pseudomembranis,
olvulo praegrandi, adhaerente inductae
ntestinorum coarctationes, sacci ampliores,
iverticula hujus canalis ex dispositione
ongenita persaepe exorta, calculi fellei ma-
ores atque durissimi, mesenterii tumores
ix non lapidei, conamen artis vix non
mne constanter eludunt, ac leve modo so-
amen ex victu tenui, minime flatulento, ac
milibus, mucilaginosis, oleosis remediis,
nematibus, exspectant.

Paracentesis?

Num a manu *chirurgica*, indomabilis arti
nedicae et suffocationem instantem mi-
itans, tum intestinalis, tum abdominalis
neumatosis auxilium admittat, nunc rime-
nur oportet.

Quodsi aeris in ipso ventris cavo haerentis symptomata tam fallacia non essent (§.
22.); — si pneumatosis abdominalis cum
ntestinali nunquam juncta incederet; — si
llam non ex ista venisse, compertum habe-
emus; — si aer, compuncto intestino infla-
o, tam prompta semper omnis e vulnere pro-

rumperet; — si flatu simul expansa et in suo pariete pertenuia reddita intestina peritonaeo tam vicine non adcumberent, aliquando vero huic adcreta non conspecta essent; quid propositam a viris claris paracentesin abdominis, vel et *ani artifitialis* subsidium, nuper quoque in *Gallia* propositum, excluderet, fatemur, nos minime concipere.

Tanta interim rerum obscuritate concessa, cum de morbo hic agatur, a quo certa pernicies imminet; cum impium foret, arti *chirurgicae*, limites, quos toties felices per ausus transiliit, ex solo ratiocinio assignare; cum de morbo hic agatur, ubi anceps etiam remedium melius, quam nullum, videri posset; argumenta quoque in favorem tentandae paracentesis loquentia reticere non possumus. Verum quidem est, pauca, quae in homine hucusque instituta fuisse novimus hujus indolis tentamina, felici ab exitu non fuisse coronata; sed neque silentio praetereundum est, cadavera paucorum, qui post hanc operationem perierunt, non fuisse aperta; hinc, num gangraena, vel ulcus intestina penetrans, fatalis exitus causam habuerint, minime posse definiri. Cum summo levamine, ut in medico *Galliae* diario refertur,

ur, bis eadem in muliere suscepta fuit abdominis paracentesis; et cum vi magna aer ex vulnere, non foetidus, explodebatur, venter concidebat, dolorque imminuebatur; sed cum cannulam in vulnere non reliquisset chirurgus; aegra, tertiam punctionem recusans, interiit. Certe si ad extremum usque halitum in tympaniticis differatur paracentesis, quod etiam de asciticis valebit; non adhibito culpa mortis adscribenda est auxilio. Felicior sane fuit *pectoris* paracentesis in homine, qui pus in thoracis cavo haerere putaverant, quo ex cavo tamen nec guttula quidem *puris*, sed *aer* cum strepitu prorupit, sanitate in integrum concessa. Thoracis paracentesin frequenter suo tempore *Parisiis* cum violenta flatus explosione factitatam fuisse, celebris memoriae medicus testatus est. Si tamen rem aliter cum *abdomine* constitutam esse objeceris; experimenta similia, quovis anno cum domesticis animalibus, tam felici cum eventu ad ipsum cavum *ventris* suscepta, quid in homine liceret, indicare tibi forsitan videbuntur. Boves scilicet non minus quam vaccae, tempore autumni, multa herba recente aut trifolii aut napi, ultra modum refecti, turgere, inflari ventre, vacillare, at-

que si nullum illis auxilium feratur, concidere, ac rupto demum aqualiculo, vitam agere cernuntur. Atqui tam tristi rerum sub statu, cum tricuspide, sinistro latere, ultimam costam inter et ossa pelvis, perpendiculariter abdomini intrusa, explosa per canulam in vulnere relictam, aeriformis materiae immensa quantitate, perituri alias animalis vitam cum sat magna certitudine, vel solis a rusticis, servari constat. Nec, si gas multum in ventriculo superfuerit: hunc ipsum perforare, atque viam illi pandere extimescunt. Nec etiam in homine, vulnera, cavum abdominis penetrantia semper sunt lethalia; nec intestinorum laesiones mortem semper et ubique post se trahunt. Milites innumeri, abdomine, intestinis aperte laesi, cum id primum nullus exspectasset, sanitatem recuperarunt. Plenus enim ac repletus semper in viventibus venter, — universalis, aequalis, et blanda simul omnium in eo contentorum, a diaphragmate musculisque abdominalibus, compressio est. Peritonaeum vel minime irritatum, in inflammationes promptissimum esse novimus. Cum hoc igitur intestinum vulneratum mutuo contactu per pressionem inducto, coadunari, unir

nclinat; ac paucis ab horis saepe opus adhaeſionis, concretionis jam orditur. Quodſi ſub prima inflammatione, faeces patente abdominis e vulnere auffugere cernamus, quo magis tamen iſtud clauditur: eo citius illae conſuetum ad anum iter reaſſumunt; vel, clauſo per artem vulnere, repetere coguntur. Ipſa ergo peritonaei inflammatio, quae tanta pericula minatur, ſolum hic vitae conſervandae praeſidium eſt; ac hujus beneficii effectum certe in muliere *Auſtriaca*, quam *Vindobonenſe* quondam ad clinicum Inſtitutum amplissimo ac horrendo cum ulcere epigaſtrii, largiter in ventriculum penetrante, ſuſcepimus, ab uno ex noſtris Auditoribus deſcriptum, longe ſumus admirati. Quidquod vulnera ventriculi, inteſtinorum, quibus nullus cum fornice peritonaei, ſed aliquis modo cum vicinis ejuſdem tubi alimentaris portionibus contactus fuit, ſub inſequente inflammatione, debitoque parciſſimo ſub victu, cum his ipſis, ſine faeculentae materiae effluxu, concreverint, mortemque ſic, ſolius compreſſionis abdominalis beneficio, averterint. Atqui, ſi minime haec eo fine hic retulimus, ut levis momenti eſſe ex laeſione inteſtinorum pericula praetendamus; ne tamen ex illa,

sub abdominis inflati punctione forsitan contingente. mortem, ut a morbo praesente, indubiam exspectemus, contribuunt. Si tamen tantus ab ista metus est, cur in casu, quo aerem in ipso cavo abdominis stagnare suspicamur, quin aut inflammationis, aut gangraenae symptomata praecesserint, solum peritonaei ad fornicem, *non punctio*, *sed incisio*, instituenda non foret? In *enterica* pneumatosi sola haec abdominis omnino nihil confert incisio; ast vero, inquiet aliquis, nisi, in domesticis animalibus cum successu tentata, nec vulneris intestino inflicti sibique ipsi relicti absolutam lethalitatem illatura, operatio auxilio sit; conclamatum est.

Quanti interim ponderis haec in favorem paracentesis adducta argumenta videri possint; et quanti in sola tympania *abdominali* (si modo satis certa foret ejusdem diagnosis) momenti esse fateamur; plures tamen, partim jam allatae, rationes, quin *intestinali* sub *pneumatosi*, eandem suadeamus, nos omnino absterrent. Animalium nempe domesticorum, in exemplum vocatorum, morbus, non *perennis* tympania, sed *acutus* modo *meteorismus* est: in quo ventriculus, bestiis his multiplex, robustiorque, intestina, *subito* exten-

a, non omnem sese, post evacuationem, ontrahendi potentiam amiserunt; cum *chro-ico* in adfectu, debiliora hominis intestina, *nte* in saccos peramplos extensae, vix non mnem elaterem ac vitalem renisum, quo ulnus sibi inflictum, forsitan nequidem ex-lluso multum aere, mox claudant, depo-uisse videntur. Non tam raro etiam me-hanica intestini, hac in parte vel illa, *coar-tatio*, expansi utris confines nec a faecibus, ec a flatu forsitan, ulterius transeundos, onstituit; ac demum hic non de *sano* in oeteris animali, sed de homine, per mor-um tam longum, viribus jam fracto, inte-tinis vulnerando, sermo foret.

ORDO II.

RETENTIONES AQUOSAE.

GEN. I. HYDROPS.

Vapor animalis.

§. 731. Morbus a *pneumatoſi* non magis, quam *aqua* differt ab *aere*, alienus, eſt *hydrops*; et quae de illa diffuſius expoſuimus, haec pro magna parte de iſto ſimul valebunt. Frequentia interim aegritudinis, in quam hic inquirimus, longe major; partium, quas illa conſtantius tenet, extenſa magis ratio; ac ſyptomatum in multis diverſitas, varietatum illius principalium conſiderationem ſpecialem magiſque ſejunctam ſibi expetunt.

Tela celluloſa et cava majora hominis viventis, *vapore* animali, arteriolarum per fines *ſecreto*, plus minus turgent. Hic vapor, alios

conspicuos praeter usus, partium dictarum vicinarumque inter se concretionem impediens, vel copia majore effusus, vel diutius his in locis detentus, certa principii calorici quantitate, stagnando, amissa, fluidi densioris indolem assumit, ac in *serum* condensatur. Ne tamen hoc facile contingat; vasculorum vis *resorbentium*, secernentium illa (exemplo scilicet aquae in cava thoracis, abdominis animalium viventium injectae, ac paucis ab horis jam resorptae) major est. Lymphaticorum vasorum trunco ligato, compresso, vel quemvis alium in modum impedito, resorptionis ulterius officium suspenditur, deletur; partesque, unde hae vaporem, vel serum revehere cessant, continuato interim istorum, pro cavi recipientis cessione affluxu, replentur, distenduntur, tument, ac partes sibi vicinas comprimendo, similem in istis humorum tenuiorum remoram, stagnationem, inducunt. Hoc vero modo, ex caussis adeo levioribus, frequenter partes aut a corde longinquae, aut, laxioris ope telae cellulosae, aliis adnexae, inflantur, ac in molem morbosam tumefiunt.

§. 732. Multa sunt interim, quae non Intumescentiae insontes.

tam simplicem *hydropis* naturam esse evincant. Horis matutinis, simulac experrecti sumus, facie omnes plus minus turgemus. Est nempe aliquis humani corporis, etiam sanissimi, sub certis vitae conditionibus, *vaporosus* quasi, atque non tam vasis, quam telae cellulosae proprius *turgor*, aetati juvenili communior; post horas saepe subsidens; sub animi perturbationibus majoribus, non ignoto *poetis* effectu, evidentior; sexui sequiori, priusquam menstrua compareant, vel sub ipsa graviditate, frequentior. Atqui haec singula in convalescentibus, in morbis non paucis, utpote in chlorosi, in febre intermittente, post insultus convulsivos, vel maxime se produnt; atque magis sane cum *pneumatosi*, quam *tuberosam*, *hystericam* vocavimus (§. 709.), quam cum ipso *hydrope*, conveniunt. Quidquod, monente jam summo quondam *Germaniae* medico, nequidem omnis *seri* ipsius in cavis cellulosis remora, mox tanto morbo, ac *hydrops*, etiam *localis*, est, indiscriminatim, ut species, subjuganda sit; ac modo satis insontem ab aquis *turgescentiam* constituat. Quoties non in faeminis, quae foetum utero quidquam obliquo ferunt, *oedema* cruris, qua parte compressio fit ab illo, sub-

ſitur? Altioris quidquam staturae homines, rr omnem vitam, ſimiles circa malleolos mores, quin id hydropem localem ſenſu rro dicere queamus, patiuntur. Vel a ſimci apum punctura, circa partem ab ictu igis diſſitam, — a latente in profundis ſceſſu, — a pure in cavo thoracis ſtagnte, in partibus externis, oppoſitis, tur oedematoſus ſe prodit, hydropi vel mime, niſi ſolo aſpectu, affinis. Hydrops rte ſub ſpecie oedematis haud raro comret; ſed non omne igitur ad hydropem rtinebit oedema.

§. 733. *Hydrops* vero nobis eſt morboſa poris animalis, in fluidum ſeroſo-lymphaum converſi, ad cava corporis non ſua ſetio, ſtagnatio, cum partis inundatae, fira mutatae, volumine, tenſione, gravice auctis, viciniae moleſtis; calore, ſenſu, ertate, imminutis; ac pleriſque functioniſs, areſcente ſimul aut mutata in pluribus num ſecretione, laeſis. Definitio hydropis.

Quodſi non omnis hydrops ex *generalibus* s ſignis dignoſci mox queat; proprio id orbi, tam diverſis ac abditis ſaepe corporis locis nidulantis, atque ſua in infantia tam

bilinguis, caracteri tribuendum, et quod illis hic inseri haud potuit, ex specierum tradenda inferius historia eruendum est.

Diversitas. §. 734. Proteiformis nempe persaepe natura, magnaque in multis, nec angustioribus definitionis scholasticae cancellis circumscribenda, *diversitas* hydropis est. Potest tamen haec, si tam *indolis*, quam *originis*, *situs*, *partis continentis*, *materiae contentae*, ac *incessus* ratione dividatur, non inutilem prorsus in ordinem contrahi. Ac primo quidem, vel ex *vitio locali*, vel *universi systematis* a culpa ordi-tur; atque hoc ultimo in casu, vel *asthenicus*, vel, rarioribus sane sub rerum conditionibus, *hypersthenicus*, energicus, est hydrops. Secundo, vel alterius ille morbi effectu, *secundarius*, generatur; vel, quod rarius contingit, *primarius* est. Tertio, nullum fere corporis punctum ab hydrope immune est, ac ipsis adeo in ossibus longioribus morbosa aquarum collectio reperta fuit; sedes interim communior ad textum cellulosum (*H. cellulosus*), ad caput (*Hydrocephalus*), columnam vertebralem (*Hydrorrhachia*), thoracem (*Hydrothorax*), abdomen (*Ascites*), ac ad pelvin (*Hydrometra*, *Hydrops ovarii*, *tubarum*, *ligamentorum*

ri), defigitur, atque non minus ob sym-
mata sibi propria, quam ob curationis mo-
nta diversa, praemissis quae ad hydro-
m in genere spectant, enunciato sub ordi-
,, speciatim consideranda nobis veniet.
arto, ratione partium colluviem serosam
ntinentium, vel *independens* coeterum in his
drops degit; vel speciali adhuc vinculo,
catus, *cysticus*, *hydatideus*, coercetur. Quin-
vel *sincerus* est hydrops; vel aliis mate-
, aeriformi (§. 723.), cruentae, purulen-
, est *mistus*; quin igitur induci nos sina-
as, ut sanguini, aut puri, aut chylo, aut
i, aliis quam hydropis sub legibus, in ca-
corporis effusis, nomen impertiamur hy-
opis. Sexto tandem, quoad incessum, vel
evis et *acutus*, atque tunc maxime *febrilis*,
l *chronicus*, et, si finem plerumque fune-
um excipias, *apyretus*, — aut *vagus*, aut
us, aliquando *periodicus*, — alias socialis,
mplicatus est hydrops. *Endemice* hic mor-
s in locis paludosis ac frigidis, — nec
co, post annos austrino; maxime vero al-
rius morbi, ut scarlatinae, influxu, *epide-*
ce regnat.

§. 735. Hydrops *symptomata*, sub specie- Symptomata generalia.

rum praecipuarum descriptione magis, quam sub generali hujus morbi consideratione, sine rerum confusione exponi possunt. Cum vero hydrops plerumque alterius morbi effectu nascatur; patet, hujus ultimi tum causas, tum decursum, vix posse ab illius descriptione separari. Sufficiet hinc, modo illa symptomata, quae hydropem in universum respiciunt hic loci tetigisse, haec igitur, tum ex ipsius *secretionis perversione*, tum ex *distentione* cavi, serosam colluviem continentis, tum ex vicinae huic partis *compressione*, *distractione*, tum denique ex *fluidorum* stagnantium, nec ad coeteri corporis nutritionem amplius facientium, pro hoc *jactura*, *corruptione*, *irritatione*, derivanda sunt.

Secretionis morbosae.

Secretionis perversio, plerumque partis secernentis stimulum iniquum, nec raro clandestinam inflammationem praesupponit; ac hujus demum symptomata, saepe diu ignorata, horripilationis, internum siccitatis tensionis ingratae, ardoris, subinde doloris obscuri, profundi, sensum agnoscit. Qua ratione vero secretionis opus ad ipsam hydropis officinam quotidie augetur ac pervertitur hac illud, quod oris cavo, cuti universae intestinis ac renibus impositum est, plerum-

imminuitur, ac vix non intercipitur. Hinc siccitas, viscositas, molestissimae, cu-
arida, pergamena, alvus lenta et dura,
ae vero tinctae, tandemque bruneae,
urae, turbidae, jumentosae, foetentes,
imentosae, ac indies parciores redduntur.
um satis ex *chemica* liquidorum in hydro-
analysi concludi posse, vel ex sola hujus
d varios hydropicos differentia concludi-
s. Pars major interim illorum ex *aqua*
stat; non exiguam plerumque *albumen* in
constituit; praeterea et *alkali fixum mine-*
, et *acidum carbonicum*, et *calx phosphorata*,
ulphuris portio, in iisdem detecta fuerunt.
Extensionis ab aquis, potissimus effectus, Extensionis.
or est, nunc *internus*, saepe oculis, vel et
ui subductus; nunc *externus*, ad impul-
, sub initio quidem mollis, compressio-
edens, iterumque resiliens; sensim vero
gis tensus, ac digito prementi renitens.
atex aquosus exiguis in cellulis subcuta-
stagnaverit; tumor nascitur mollis, la-
, pallidus, subfrigidus, indolens, a di-
impressione foveam difficilius tardiusve
recturam offerens: *oedema* vocarunt, ery-
mati, erysipelati frequenter subjectum,
epitheton ab hoc mutuans. Si caveam

occupet humor, pluribus a membranis, filisque varios in sensus divisam: suis ille loculamentis separatus, quietus, inharet; copia vero auctus, haec ipsa ille dirrumpit, cavumque sibi magis amplum, quod is omnis inhabitat, aedificat. Tum hoc in casu, tum in illo, quo serosus latex independens ac liber haeret: tumor abinde producitur, sub certis conditionibus, a digito perculsus, *fluctuat*, motumque isti undosum communicat. Si vero aut profunde nimis haeret, aut involucro densiore obtectus, aut plurimus arcteque coercitus, aut crassus, albuminosus, gelatinosus, ac tenax nimis, aut membranis intersectus, remistus est latex, silet hic perculsus, nec tactui exploranti cum undulatione manifesta respondet. Ubi creberrimis sub cute cellularum membranulis interjectus haeret humor; tactus, tenacem *pituitam* sub esse affirmans, etsi pinguedinis aliquid cum aquis commistum esse possit, mentitur, et ab hoc Veteres errore seducti, *leucophlegmatiam*, seu mucosi lentoris sub habitu corporis diffusionem, tam saepe, ubi verus *hydrops cellulosus* subfuerat, adesse praetendebant; lentis scilicet in oculo crystallinae cujus cellulae innumerae, arctissimae, aqua

iidissimam, ut solidescere videatur, coer-
nt, immemores.

Ubi cystide, vel sacco serosa colluvies
ncipitur; *distensionis* longe mitiora, tardio-
sunt, quam si pars organica, sensibilis,
andatur, symptomata. Sic etiam ubi pe-
llentiore vel istius dilatatio fit; occultius
ec, et sine multa aegrotantis animadver-
ne sub initio procedit. Successu temporis
erim, illi sacci, distincto ex loco, sensim
imis ascendunt, atque tactui forsitan ex-
siti, coeteras inter partes, prominentes
offerunt. Mobilitas conspicua his tumo-
us saccatis in longum saepe tempus, ac
nec augmenti ulterioris, ex loci angustia
nor sit occasio, conceditur. Ob vasorum
o nervorumque defectum, hae cystides,
haesivam, ut vocant, inflammationem,
i pars vicina, sensibilior, hanc suppleat,
ud concipiunt; ex lympha tamen apposita
triuntur, densantur, callescunt. Cui va-
nervique concessi sunt, pars organica, ex
luvie serosa promptius distenta: ea bene-
i ex illis, non sine praeviis doloribus ten-
is, jacturam, lentam subinde inflamma-
nem ejusque effectus experitur, ac ipsa
oque crassescit, induratur. Sub majore

ventris, in ascite, distensione, haud raro, nec tamen in omnibus, umbilicus summopere extensus, ac prae tenuitate pellucidus prominet. Rupti adeo non desunt exempla umbilici. Ab hydrothorace vel maximo, ipsae adeo costae exteriora versus propulsae, elevatae fuerunt. Telae cellulosae in viscerum parenchymate, vel superficie, ab aquis nimis repletae extensioni, ejusdem, successura tandem, ruptura, ac alterius, seu *independentis* hydropis genesis adscribenda est. Evidentior simulque tristissimus in hydrope ad articulos defixo, distensionis, suo loco describendus, effectus est.

Compressionis. Infensissimi compressionis, a parte aquis turgente, in vasa et viscera vicina effectus, pro mole, figura, positione tumoris, indies crescituri, proficiscuntur. In genere quidem, si copia maiore collectae alicubi sunt aquae, partis hujus deformitas, ponderis distrahentis, comprimentis sensatio, motus muscularis, actionis nervorum, circuitus humorum, caloris naturalis decrementum, suspensio, extinctio, gangraena, sphacelus, medico se offerunt. In specie vero symptomata haec differunt. Hinc ad cerebrum, sopores, coma somnolentum, apoplexiam, amau-

rosin

ssin, — ad thecam vertebrarum, tremores, usculorum inertiam, paralysin, — ad thoracem, dyspnoeam, orthopnoeam, tussim, aemoptysin, decumbendi impotentiam, varum majorum, cordis aneurysma, palpitationes, pulsus inordinatos, intermittentes, in abdomine impeditum cruoris, lymphae, chyli, per sua vasa circulum, hinc infarctus venarum, narium stillicidia, haemorrhoidum tumores, sanguinis vel ex istis, vel vasis uteri, ventriculi, jacturam, nutritionis defectum, tabem, febrem lentam, secretionis urinalis obliterationem plenariam, oedema pedum, genitalium, — ad textum subcutaneum, vasculorum systematis sanguinei externorum quasi evanescentiam, internorum repletionem, magnas pulsuum fallacias, caloris naturalis decrementum, nervorum torporem, tactus abolitionem vix non integram, viscerum autem plurimorum mitum suis in cavis a debita positione, figura, distorsionem, aquarum collectio conspicua producit.

Quantus sit lymphae ad sedem hydropis concursus, quanta sit illius liquidi nutrientis, per hunc morbum secretio simulque perverso, tum solus jam colluviei serosae aspectus, Fluidorum jacturae.

materiae circa viscera quae alluit, ac inter se non minus, quam cum cavis continentibus colligat, depositae examen, sanguinis per vasa circulantis paupertas, tum instituta cum aquis eductis experimenta susceptaque illarum analysis, tum denique partium singularum, quas necdum hydrops invasit, imprimis vultus, brachiorum, et pectoris macies, provecto malo tam insignis, quidquod universi tandem corporis, medio sub tumoris apparatu, *tabes*, ac pedissequa febris lenta, abunde demonstrant. *Seri* sanguinis ipsius interceptio non parum huc et ad *sitim* sub fine morbi tam ardentem, et ad lotii parcitatem, saturationem, contribuit; ac revera, ut paucis dicamus, *hydrops nutrientium humorum e suo systemate, suique officii desertio est.* Hanc utique saepe satis, suo pondere armati, inferiores primum ad artus, longius scilicet a cordis custodia remotos, ad malleolos dorsaque pedum, vespertinas ad horas subdole subire, — matutinis vero sese aliquamdiu, fallaci sane obsequio, subducere sueverunt; sed, ut supra jam monuimus (§. 732.), vel non omne hydropem oedema praenunciat; vel saepe, quin pedes ille pri-

um invaserit, aliis clandestine potitur ca-
s et visceribus.

Citrini plerumque coloris, quidquam un-
uosae, sub agitatione facile spumantes, ac
iburinosi odoris sunt aquae ex cavis hydro-
cis recenter haustae. In multis tamen se-
sus hic latex mutabilis admodum aspectus,
unc flavi, nunc aurantii, nunc subviridis,
unc albescentis, spissescit, ad effluxum
er canulam tricuspidis piger est ac viscidus,
el pseudomembranulis filisque polyposis re-
istus, ac interdum adeo gelatinae teneriori,
el subfluidae, vel ipsi adeo albumini ovo-
um non absimilis. Bruneum non minus ac
tbatrum ille subinde colorem offert, a cruo-
e corrupto quasi tinctum. In aliis, aperte
anguis, etiam sincerus et multus, quin
emper igitur tricuspis in manu chirurgi ab-
rraverit, cum aquis prosiliens, medicum,
ffines consternit. Quoad *gustum*, aquas hy-
ropici semel *amaras* fuisse legimus; sed,
uod potioris momenti est, *dulces* eas quon-
am ex aegrae *petropolitanae* abdomine edu-
it Vir clarus nobisque amicus; quod nobis
nagnam, *diabetem mellitum* inter atque fre-
uentem sub eo hydropem (§ 479), analo-
iam interdum intercedere, non parum con-

firmare, ac majorem in futurum medicorum in haec attentionem exigere videtur. Qualiscunque vero consistentiae, coloris, gustus hydropicorum sint aquae; hae, vel igni moderato, vel solius oxygenii atmosphaerici actioni expositae, vel acidis mineralibus commistae, albuminosae, quam continent, materiae coagulum, nunc minus, nunc magis conspicuum, mox subeunt. Analysis chemica, quam sane aliam aliamque et pro vario subjecto, pro morbi indole, gradu, complicatione, diversam fuisse oportuit, humores in hydrope universim collectos *albumen* sistere, in aquae, nunc majore, nunc minore quantitate solutum, adjunctis his *salibus variis phosphoratis* paucaque *sulphuris* copia, docuit. Nullus certe humor animalis tam insignem principii *albuminosi* quantitatem, ac aquae hydropicorum visae sunt (utpote in *albumen* subinde vix non in integrum conversae), unquam continuit.

Corruptionis.

Saepe nimis ad explicanda in hydrope symptomata, medici ad aquarum, in cavis corporis sub eo collectarum, *acrimoniam*, *corruptionem*, confugerunt; ac imprimis subitaneam illam in *hydrothorace* ex primo somno evigilationem, ac imminentem suffocationem,

x: irritante pulmones aquarum, saepe non deo multarum, *acredine*, — in *ventriculorum* rebri vero *hydrope*, febris sub ultimo morbi adio, cum pulsuum frequentia ac symptomatum rapiditate, truculentia, incrementum, petierunt. Integrum interim per annum ortionem aquarum, ex viri *Rastadiensis* ascici abdomine extractam in vitro probe obtucto conservavimus, quin ullum eaedem corruptionis prodiderint vestigium. Per plures ebdomades aquas viri hydropici, per canulam ex abdomine lente effluxisse conspeximus; nec tamen, aegro licet ex morbo tandem defuncto, ab ipsa aeris accessione has quas corruptionis signum dedisse observamus. Sexcentis fere, in longiore artis exercitio, paracentesibus praesidentes, nos quidem nullum aquarum effluentium, quamvis frequenter suspectarum, foetorem, aut aperte satis acrimoniae his propriae indicia comperimus; quo credere inducimur: non pauca contrariae observationis exempla, in hominibus jam morti vicinis, aut gangraena, aut ulcere, aut pneumatosi abdominali (§. 721.) correptis, obvenisse. Magnam etiam aquis, viscera vicina in hydrope *macerandi* potentiam inesse, ex solo, ut credimus, cum *solea* du-

ra, tepidae a sutore commissa atque sic emollita, capto experimento, non magno sane, ubi de parte *viva* res agitur, ratiocinio innixi, praetenderunt. Cum vero haec, veritatis studio inducti, afferimus; non omnem igitur aquis morbose secretis, et sua extra vasa diutius stagnantibus, a blanditie humorum sanorum aberrationem, ac irritantem in vicinas partes actionem negare, — sed modo medicorum multorum, ne de re minus intellecta, quoties id sibi competere videatur, hypotheses mox struant, attentionem excitare contendimus.

In peritonitide puerperarum (§. 217.) certe, in qua hydrops puriformis acutus praecipuum inflammationis peritonealis phaenomenon est, frequenter effusas in abdomen materias foetorem tetrum sparsisse observavimus; nec tumorum, abscessuum, operantis chirurgi digitis, incaute simul feritis, funestorum, — nec denique lachrymarum sub ophthalmitide secretarum, rodentis genas acredinis exempla nos latent.

Inter tantas ex uno morbo aerumnas, mirum sane est, aegros futurae spem sanationis rarissime deponere, ac, more hypochondriacorum illi opposito, ex sinistris prorsus

ibus, laeta tamen auguria sibi capere, nfirmari quidem haec ultima videntur dum t: innumeris e poris cutaneis rorem copio-m in guttas formari ac depluere, aut, od saepe contingit, vesiculas vel ampliores pullas sero pellucido plenas, ad crura prae-mis, sibi exsurgere, atque sponte dirup-s, humorem copiosum plorare animadver-rint. Etsi vero et talis evacuatio serosa ibusdam fausto cum eventu contigerit; rum tamen est, spem ex illa conceptam st paucas hebdomades non eludi, ac ea sa tandem sede, quae fontem salutis ape-isse videbatur, praecedente circa illam ysipelate, fatalem aegris gangraenam non odire. Nihil etiam communius est, quam dropis speciem unam, mox alteram pro so-a acquirere; donec omne sic corpus, in uas vix non colliquatum, utris magis in-rmis, quam humanae imaginem figurae aesentet.

Ubi huc malorum ventum est, neque essus facere, neque sedere, neque noctes lectulis decumbendo transigere miseris onceditur. His tamen ob summam virium cturam affixi, quo demum se volvant, non abent; pars vero, in quam coacti procum-

bunt, in multis profunde rubere, dolere, tandem vero livescere, excoriari, serum plurimum, acerrimum fundere, ac infausta demum gangraena notari solet. Sub tam tristi rerum positione, vel et sine ultimis his malis, sub fine morbi lethalis, saepe febris, hucusque aegris ignota, cum magno utplurimum horrore, hos corripit. Calor urens, sitim, languorem augens, succedit. Non rarum est, nunc mentem aegri vacillare, ac levia ad noctem subnasci deliria. Interdum jam, et in aliis longe citius, maculae, ad brachia imprimis et ad carpos, rubrae, sat latae, scorbuticis persimiles, efflorescunt; lipothymiae hinc inde se manifestant; symptomata in parte magis adfecta cursu celeri augentur, ac dum adfines id minime praevident, efflatur anima. Quinque circiter, ex tanta hydropicorum multitudine, aegros conspeximus, qui, dum de illis conclamatum esse nemo dubitasset, seposito quovis medicinae genere, urinarum tam insignem excreverint copiam: ut trium quatuorve spatio dierum, corpus omne fuerit ab aquis liberatum; et ut cutis nunc ab ossibus, amplissima ut tunica, laxe penderet. Felicitati huic congratulabantur, nobis interim obstupescen-

uus, amici; sed altera, vel tertia jam die, i usum restaurantium aegri minime negle-rint, subita his plausibus finem *mors* im-suit. An acutissimus hydropi *diabetes* hic ccesserat? An praeceps modo tantorum ttura humorum huic fato subfuit? An, si ita est, corpus integrum quantocyus cum ccia stringi atque ita muniri debuisset?

Inconstantia symptomatum.

Si hydropis inter signa caracteristica, *inarum parcitatem* non sine aliqua limitatione suerimus (§. 733.); ratio est: quod aegros n paucos hoc a morbo evidenter correptos, nas tamen longo satis tempore, more sa-rum, sat copiosas ac limpidas minxisse, aspexerimus. Saepius quoque *alvus* in hy-ppe non arida et lenta, sed multis adeo nis laxa est. Utroque vero in casu, sa-tionis major difficultas nobis se obtulit. cque *sitis* apud hydropicos tanta est con-ntia, quantum quidem plerumque perhi-tur. Permultos saltem observavimus, qui mi fere a potu, ex quo morbi augmentum rebantur, absque urgente illius desiderio, i febris aliqua hoc augeret, per menses stinuerint. Accedente interim ista, et orbo veterascente, extrema sane oris sicci-sitisque urgent; potu tamen vix hausto,

pectore, abdomine, ab aquis jam plurimum obsessis, ventriculus in sua extensione impeditus, mox obruitur, augentur angustiae. Conditiones, sub quibus aquae, hydropem revera constituentes, *fluctuationis* tamen ope se medico haud prodant, jam adduximus; ac fateamur sincere oportet, quod, etsi aquarum in cavum aliquod corporis effusio aliquando sub ultimis modo vitae labentis angustiis contingat; non tam raro tamen hydrops jam diu subsistens, medicorum oculos latuerit incognitus. Sed saepe fluctuationis se certos chirurgi non minus, quam medici, iique non incelebres, contendunt; cum interim aquarum in cavis corporis nec vestigia quidem adsint. Sic acuti ingenii *Galliae* quondam archiater casus meminit: ubi evidens quidem visa fuit in abdomine fluctuatio; post mortem tamen nulla aquarum stagnatio, sed ventriculus ex flatu summopere extensus, comparuerunt. Sic *Parisiensis*, adhuc juvenis tunc, medicus, ad mulieris, ex ascite, ut pro certo habebat, defunctae, tumidissimum abdomen, exercitii causa, paracentesin instituit; tricuspide vero retracta, teterrimi gas foetoris per canulam penetravit venterque subsedit; aquae autem nihil in isto, sed ma-

rem hepatis ad lobum in parte ejus conca-
, ulcus profundum substitit. Nostrum
nsilium *Bruchsaliis*, triginta abhinc annis,
o viro *Heidelbergensi*, flatibus diu vexato,
Viris in arte claris expetitum fuit. Cum
tis, ex relatione morbi nobis transmissa,
drothoracem adesse, nos quoque declara-
mus. Atqui post mortem brevi insecutam,
c guttula quidem aquae comparuit; sed in
bo intestinali aer quamplurimus detectus
it. Faeminam *Ticinensi* in Clinico Instituto,
alio longe morbo, quam ex hydrope, tra-
avimus; quae a prima juventute, levi sa-
; sui corporis sanissimi agitatione, sonum
uae, abdominis et pectoris in cavis se alte
cumvolventis tam perfecte imitabat, ut vel
ures expertissimas facillime fefellisset.

Haec vero symptomatum hydropis falla-
ı non minus, quam extensi adeo morbi ha-
tus, pro parte quam occupat, diversus, ex
quente hic praecipuarum ejus specierum,
opriis magis paragraphis, quam capitibus
paratis inserenda, descriptione ulterius
tebit.

§. 736. „Quos aqua inter cutem male Hydrops cellulosus.
bet, ut celebris *Latini* verbis utamur, iis
rpus inaequale est, tumoribus aliter atque

aliter per totum id orientibus." *Anaſarca, hydrops intercus*, hoc vitium, nobis *hydrops cellulosus*, vocatum, — ab *oedemate* nec quidquam, nisi extensione sua forsitan majore, distinctum est; ac mollem, ut istud, atque inelasticam fere cutis pallidae, subfrigidae intumescentiam offert. Nihil quasi post morbos longos non minus, et acutos, imprimis exanthematicos, frequentius accidit, quam particulares hujus generis hydropes, praesertim faciei, palpebrarum, thoracis externi, brachiorum et crurum, nunc satis fugaces, quippe solo calore lecti dissipandi, nunc vero summe pertinaces, sensimque per omnem corporis ambitum diffusi.

Interim non sola, quae *cutem* inter et *carnes* haeret, adiposa, sed profundior etiam, ac inter musculos musculorumque fasciculos, ut appendix, decurrens, aut viscera pro tegmine superscandens, eorumque parenchyma constituens, aut vasa concomitans et ambiens, tela cellulosa, morbi hujus, inter omnes hydropis species communissimi, sedes est. Patula hic ex cellula in cellulam ubique via est: quam latex aquosus, solo nempe pondere duce, declivia, nullo musculorum motu eidem resistentia, cum superio-

us perpetuo commutans, legit; et sic pe-
m aut lumborum frequentius, quam alium
morem subcutaneum constituit. Suum ve-
carcerem, forte nimis jam angustum, ac
uibus modo repagulis divisum, munitum,
hydrops facilius, quam quivis alius, per-
igit, ac aliam morbi speciem creaturus,
: sibi adsociaturus, dirumpit. Hoc scili-
in casu minime rarum est, hydropem
llulosum vel externum, super omne jam
pus diffusum, vel internum, paucarum
atio horarum subsidere, ac in, pejorem
c, asciten, aut hydrothoracem celeriter
nsire.

In quantum vero haecce, aut alia deple-
locum non habet, sed ingens massa seri
tum cellulosum diutius inundat, infarcit;
vitas, imprimis vespertina, membrorum
universi corporis vel maxima, musculorum
vendorum impotentia, nervorum torpor
sensuum deletio, sanguinis per vasa mo-
di interceptio, stillicidia, caloris vitalis
tura, et demum, provecto nempe malo,
levi causa, comprimente, contundente,
rodente, ut solo a decubitu, ab ictu, ab
licito debiliore etiam sinapismo, vesican-
, vel et, sine istis, ex sola cutis tensione

extrema, inflammatio, erysipelas, phlyctaenae, ampullae, saepissime vero ex istis gangraena sphacelusque sequuntur.

Gravidarum. Versus finem *gestationis*, non tam raro, compressis forsitan venis saphenis pudendisque externis, forsitan et iliacis, aut etiam solis vasis lymphaticis, non modo pedes, crura, sed et vulvae labia tantam in molem inflantur: ut haec ultima binas vesicas aqua turgidas mentiantur, atque vaginae orificium non minus, quam illud urethrae, vix non claudant, unde partus non exigua timeatur difficultas. Plerumque tamen hanc, remediis externis, ipsique scarificationi non tam facile cum aliqua constantia cedentem, partus tam difficilis haud sequitur. A partu tumor mox omnis, sed, ut vidimus, non semper disparet. Etiam in muliere non gravida, *nympham* lateris dextri summopere aquis repletam, transparentem, observavimus *Rastadii*. Scarificata hinc inde hac ampulla, eadem mox concidit; post duos tamen dies tumor rediit, donec, repetita scarificatione, hic omnis disparuerit.

Puerperarum. *Puerperae* hinc inde hydrope celluloso, subcutaneo, super omne corpus extenso, laborant; in quo, ut nos quoque conspeximus,

tis, vix non transparentis, nivea fere al-
lo est. Ex lacte retropulso hunc ipsum
orem venire, non magni ponderis est hy-
thesis. Vel enim quod sanguine plus mi-
ss orbatae sint, cute albidiore instruuntur
erperae; vel in textu celluloso subcuta-
o apud illas interdum, loco seri pellucidi,
riformis humor, coloris lactei secernitur
anasarca constituit.

In *scroti* tunica cellulosa, apud pueros sat Scroti.
quenter, rarius in viris, nisi simul vel
cites, vel hydrops universalis subfuerint,
mor evidens, utrumque scroti latus utplu-
mum occupans, aquosus, mollis, cuti con-
cor, indolens, a compressione foveam sat
u retinens, in tenera aetate fere transpa-
as, contingit: *anasarca scroti* dixerunt.
amdiu modicus est tumor, rugae scroti
n delentur in totum; sed ad insignem, ca-
tisque infantilis ad molem, in viris hydro-
iis id saepe turget, ponderosum fit, ob
mmam extensionem, inter crura locum
: invenit, impressionem minus retinet, fri-
: splendetque. Si ulterius tumor augea-
', aut nimia sit hujus partis sensibilitas,
tis rubet, ardet, dolet, aliquando vero
n intense, ut in gangraenam inclinet; in-

flammatur. Rarius sub scroti magno tumore aquoso, penis, aut potius *praeputii* ille de-est, fere pellucidus; sub quo scilicet pars hujus anterior informem quasi in spiram contorta, et ostium ante glandem ad superiora conversum, phimosin (§. 525.), ejusque effectus producit.

Capitis. Ad *caput* quoque ipsum, ad frontem, tempora, verticem et occiput, tela cellulosa nonnunquam ab aquis inflatur, cutisque tensa, mollem et inelasticum, sine coloris mutatione, tumorem, nunc modo partialem, circumscriptum, nunc vero omne circa cranium extensum, ruptis cellulis et aqua in unum quasi cavum collecta, sub percussione aliquando fluctuantem, atque subinde transparentem, offert. Ob arctam adhaesionem integumentorum capitis ad aures, musculos et pericranium, non facile hic tumor, *hydrocephali* nomine indignus, ad infimam faciei partem extenditur. Virginis viginti duorum annorum, hactenus nondum menstruatae, historia refertur, cujus frons palpebraeque supra modum tumebant. Adeo vero depressae et conniventes fuerunt palpebrae, ut eos subtollere oculosve aperire non potuerit. Universum pariter caput immaniter turgidum fuit.

tt. Contrectatum illud, mollitiem ubique endit insignem, et humorem sub cute ctuantem, qui tactum superfugiens quim, sed mox refluens recurrensque, evinter se prodidit. Reliqua facies, non ses ac frons, albedine insolita pallebat. Porro mor ille semel et iterum iterumque recurat, lente semper subsidens; sed, post eve tempus, periodice repetens. Simile e pueruli trimuli exemplum est, cujus cat contrectatum, molle erat, et cum digitis essum, in fossulas subsidebat, radiisque lis vel candelae expositum, pellucebat.

Aliquando profundius haeret latex aquos, scilicet vel inter galeam aponeuroticam, l, quod, etsi Veteres saepius de hoc mor locuti sint, duobus modo, nobis cognitis, emplis constat, pericranium ipsumque in os calvariae. His in casibus oportet sane morem magis tensum magisque circumriptum esse, digito prementi minus cere, ac dolorem simul subintrare. Sic viri emplum consignatum est, crudeli hemiania et insomnia per annum adfecti. Tactu acerbabatur hic dolor, et de nocte ingrascebat. Cum omnia hucusque incassum issent tentata, jussum fuit postico capiti

cauterium inuri. Effluxit ubertim per plures dies aqua viroris insignis, ac bili prasinae similis; aeger vero prorsus restitutus fuit.

Hydrocephalus.

§. 737. Vitium, non minus domesticis animalibus, ut equo, vituloque imprimis, quam homini commune, *hydrocephalus*, seu aquae, morbose secretae, in ipso cavo cranii collectio, est. Varias illa sedes in hoc sibi eligit, atque nunc ad meninges (*H. meningeus*), nunc vero, ac longe frequentius, ipsum ad cerebrum (*H, encephalodes*), aliquando autem singulis his in locis (*H. universalis*), — quidquod (ut exemplo, in actis R. Academiae *Goettingensis* adnotato, constat) *cellulosi hydropis* sub specie, ad caput externum simul (*H. complicatus*), restagnat. In utraque hydrocephali specie, aquarum collectio nunc lentius (*H. chronicus*), — nunc celerius (*H. acutus*), — atque nunc primaria meningum, cerebri, cerebelli adfectione (*H. idiopathicus*), — nunc alterius morbi imperio (*H. symptomaticus*), non sine conspicua symptomatum differentia, absolvitur. Nec etenim ratio est, cur, hydropem *encephaloden*, plerumque, si cerebri apud infantes ventriculos tangat, *acutum* esse fatentes, *meningeum* ideo nunquam cum febre

more acutorum morborum incedere, semque *chronicum* esse praetendamus. Frenter omnino *congenita* in ipsis calvariae ibus vitia hydrocephalum aut invitant, saltem comitantur. Suturarum cranii a coalitio ac morbosa dehiscentia, nec non ium sesamoideorum numerus major, laque cum cranio commissio, cohaesio, issime huc spectant: quibus utpote congit, ut exteriora versus cedant ossea, ina nimis, his in locis repagula, et colis ac turgentibus sub meningibus aquis, vel solis (*H. meningocysticus*), vel comiti has cerebro (*Hydroencephalocele*), tuem mollem, inelasticum, circumscrip, efforment; sed praeter *organica* haec a calvariae, sunt certe alia, quae, sicut teris corporis humani in locis, ita quoque caput, et ad partes ejus non minus *contites*, quam *contentas*, hydropis, ex *causis* gis *generalibus* pendentis genesi faveant 749.).

Plures varietates, Veteribus haud igno-, *Hydrocephalus meningeus* sub se compredit. Vel enim 1°) inter ossa cranii, et exam his duram matrem, — vel 2°) inhanc, arachnoideamque membranam, — H. meningeus

vel 3°) hanc inter et piam matrem, — vel 4°) hanc ultimam inter ipsumque encephalum, — vel 5°) demum inter duplicaturam durae meningis, aquae restagnant. Ob strictissimam durae matris cum interna calvariae superficie connexionem, praestantissimi quidem Anatomici, intermedias hic fieri posse aquas, vix non negarunt, sed exempla, etsi rariora, quae, absque clarorum Virorum injuria, rejici non possunt, contrarium omnino docuerunt. Binis certe in casibus, infra referendis, ossa cranii superiora, tum interius a dura matre, tum exterius, a pericranio separata, utroque vero in loco ab aquis inundata fuerunt. Aquarum tum inter duram matrem et arachnoideam membranam, tum inter hanc et piam meningem collectarum exempla, tam copiose vel aliis, vel nobis ipsis oblata fuerunt: ut eorum mentionem hic specialem injicere, superfluum videatur. Praestat vero alterum saltem, quod laticis serosi inter piam meningem ac cerebrum collectionem illustret, iisdem praeferri. Novem libras aquae sub meninge pia detexit celebris quondam *Jenensis* medicinae Professor in hydrocephalo. Pia mater dereliquerat gyros omnes substantiae cerebri corticalis, et i

ltis locis illa disjuncta conspiciebatür ab
chnoidea, quae a parte dextra separata
debat. Totum cerebrum erat compres-
n. Vix parvae striae supererant ex me-
llari substantia cerebri. Corpora striata
pisum magnitudine aequabant. Thalami
vorum opticorum fere disparuerant, et
filum referebant nervi optici. Omnes
rvi, qui ex cerebro et medulla oblongata
ebantur, majores vix erant; cerebellum
co vix avellaneam nucem magnitudine ae-
abat.

Aquarum secretio morbosa in ipsam ce- H. Encephalodes.
bri, cerebelli *substantiam*, aut illius in *ven-*
ulos facta, hydropem *encephaloden* consti-
tt. Parum Veteres hac de hydrocephali
ecie (vel quod eos, qui hujus causa perie-
nt, ex febre in *lethargum* terminata occu-
isse autumaverint; vel quod rarius cada-
ra humana lustrandi occasionem nacti sint)
werunt. Solet vero latex aquosus vel *cy-*
di, hydatidi, inclusus coerceri; vel *indepen-*
s cerebrum, potissime vero ventriculos
usdem, nunc tantum laterales, et quidem
odo non nisi unum ex istis (*H. encephalodes*
midiatus), modo utrumque, nunc vero sin-
llos, — aliquando adeo nec loco *septi lucidi*

lamellis intermedio excepto, inundare. Frequenter satis *hydatides* in omni quidem cerebri, cerebelli substantia, sed maxime ad *plexus choroideos* in ventriculis lateralibus, repertae fuerunt. Pars istarum interim non tam veras ad hydatides, quam potius ad *taeniam*, quam *hydatigenam* dixerunt, revocanda est. Saepius ex cystide, hydatide nimis turgidis, ac tandem diruptis, aquarum effusio in partes vicinas, ac in cerebri praeprimis *ventriculos*, contingit. Sed et sine manifesto satis plexus choroidei vitio, tanta saepe aquarum moles in lateralibus cerebri ventriculis reperta fuit: ut hi, ad illas, a duabus, novemque unciis, ad totidem adeo libras et ultra suscipiendas, secum ipsis aliquando omne cerebrum, gyris ejus prorsus deletis, ad chartae scriptoriae tenuitatem illud extendendo, in amplissimam vesicam dilataverint. In puero quinquenni, cerebri medulla ab aquis adeo fuit distenta, ut instar alicujus crassioris membranae adhaeresceret undique arcuatae dissolutorum ossium circumferentiae. Innumera hujus indolis exempla ex consulto hic, brevitatis studio, praeteribimus. In ipsa *cerebri substantia*, plerumque tunc molli et quasi dissoluta, quando-

ıee, licet rarius, aquas detexit culter ana-
ımicus. Sic miles, sub vertigine promptius
sstinctus, in sinistri cerebri lobo, cavum, ovi
aagnitudinis, aqua repletum, obtulit. Sac-
ss, fere pintam serosi liquidi continens, in
ıo, eminentiis quadrigeminis infundibulo-
ıe incubuit. Post diram, tres per annos
ttensam cephalaeam, ac mortem sub con-
ıllsionibus subitaneam, retro dextrum ven-
ıculum, hydatis magna, gelatina pellucida
aaegnans, ac in medullarem substantiam
cotrusa, describitur. In hac ipsa vero, in-
rdum *cava morbosa*, prorsus *vacua*, reperiun-
r, quae serosus latex quondam replevisse,
ssorptus vero iterum deseruisse, videtur.
eec tam rarum est, hoc in morbo, interdum
iiam sine isto, *tubercula*, illis pulmonum fe-
similia, variae magnitudinis, nunc *nuda*,
ınc *cystide investita*, in cerebro, nervorum
pticorum ad thalamos, ad ventriculos late-
lles, ad cerebellum vero saepius, reperiri.

Quoties vero talis aquarum collectio mor-
osa vel ad meninges, vel ad cerebrum, ce-
ebellum, vel utrimque, contingit: toties,
aria, pro calvariae cessione aut aliqua, aut
ulla phoenomena exterius quidem occur-
ınt. Calvariae theca in foetu, primis men-

sibus, membranacea magis, quam ossea, imprimis ad suturas, est. Hinc in ipsa hac, vix concepti hominis aetate, vel minima ad istas resistentia est; atque, ut plures abortus docuerunt, frequentior hydrocephali genesis occurrit. Eundo quidem, quotidie in utero crescit calvariolae firmitas; sed maior humani moles capitis, quo per pelvim maternam transiret; ossium, quae cranium constituunt, flexibilitatem, mobilitatem, qua se, partus sub opere, vicissim superscanderent, capitisque sic diametrum imminuerent, requisivit. Ab ipso vero partu, imprimis difficili; absoluto, compressi, sub hoc, calvariae parietes, lente iterum a se ipsis recedunt, atque locis, quae *fonticulos* dixerunt, adeo, ut motus cerebri hic sensibilis reddatur, dehiscunt; in aliis vero, ubi gradatim inter se concreturi sunt, vel ubi sesamoideis, aequo forsitan copiosioribus, locus erit ossibus, parte modo membranacea muniti, parum satis interioribus, mole forsitan celeriter auctis, resistunt. Quodsi igitur causa hydrocephali quaecunque, sub tali calvariae, tam cereae, conditione, vel ipso in utero subintret; oportet sane caput foetus, ad molem viis pelvis longe majorem intumescere,

rtumque ejus, nisi prius perforati, quod
nobis sub artis obstetriciae exercitio obve-
t, impossibilem prorsus reddi. Ubi vero
put illaesum et vivente foetu pelvim trans-
erit; augetur hoc indies tam volumine,
am pondere, ac ejusdem suturae continuo
agis, ad tres quatuorve adeo digitos trans-
rsos, dehiscunt: ita, ut justo longe minor
faciei ad calvariam proportio; ac ut illa
idem *infantilis*, haec vero, successu tem-
ris, vix non *gigantea* esse videatur. Im-
imis frontalia, interdum et parietalia, nunc
trorsum pelluntur ossa; sub initio vero,
feriora versus aquae premunt, basin cranii
nplanant, et sic orbitarum cava angustant.
dem igitur tempore, laminae orbitales
nnem fere angulum, quem cum osse fron-
s protuberante faciunt, propter nimiam ex-
nsionem, amittunt. Orbitarum hinc cavi-
tibus vix non obliteratis, oculi foras et
orsum adeo propelluntur ac prominent, ut,
m attolli nequeant; palpebra inferior eos
o parte dimidia, ad centra pupillarum us-
e, obtegat; quo certe signo fere solo, vel
liqua capitis parte obvelata, hydrocepha-
m, ut jam pridem magnus *Bataviae* Anato-
icus docuit, dignoscimus.

Nec ullum fere calvariae punctum hoc a malo immune est. Rarissimam speciem eximius *Scotiae* anatomicus descripsit. Tumor scilicet mobilis, parvus, supra nasum foetus vix utero exclusi, quinto aetatis anno, adeo, ut omnem nasum cooperiret, increverat. Mollis erat, et indolens hic tumor, atque hinc inde modo quidquam duri ad illum comparuit. Exscisso tumore, ossa narium hoc in loco incompleta conspecta sunt. Interna vero narium membrana, sub respiratione infantis, nunc intra, nunc foras movebatur. Copiosus, et qui sisti non potuit, aquarum effluxus hoc e loco, ad sextam usque diem, qua puer convulsus periit, secutus est. Similem huic casum, a tumoris, nucem avellaneam aequantis, radicem nasi occupantis atque fluctuantis, sectione cito lethalem, *Goettingensis* Vir celebris adnotavit. Tumor magnus ad frontem puellae quadriennis, in actis *Suecicis* describitur, a cujus compressione versus caput, tinnitus aurium et somnolentia sequi solebat. Insignis quondam medicus *Helvetus* puellulam vidit, sexto aetatis anno, cum maximo tumore ad occiput defunctam. In cadavere patuit, hunc tumorem per foramen exacte rotundum, in osse lamb-

ideo communionem habuisse cum capitis
rtibus internis. Ventriculi cerebri simul
tra libram aquae sanguinolentae contine-
nt. Magni ponderis observationem Vir
pathologica Anatomia bene meritus con-
gnavit. Infans nempe, sexdecim a mensi-
s in lucem positus, tumorem mollem, di-
ti minime crassitiem habentem, a magno
lvariae fonticulo ad occiput usque exten-
m, illi obtulit. Compressus ab uno latere
c tumor, ad alterum, magis tensus, cres-
bat. Ubique compressus tumor, in totum
quaquam disparuit; facies vero infantis
b hoc tentamine leviter convulsa fuit. Ad
ndum tumoris, orbiculare in cranio fora-
en latere, tactus docebat, Morte hujus
olis ex variolis insecuta, cadaveris sectio,
b cute, tumorem cranii obtegente, aquam
texit, quae ex cavo calvariae, per dehis-
ntem sagittalem suturam penetraverat,
inter duram matrem et ossa cranii sedem suam
buerat. Apud alium scriptorem, occiput
it apertum; pericranium vero valdopere ex-
nsum, omnem fere cerebri molem conti-
ierat. Tumore ex occipite instar vesicae
ndentis, sub quo ossis defectus manifestus
it, ab *Anglo* chirurgo fit mentio.

Non mirum hinc, si rupto demum et corrugato, vel consumpto, vel per cranii, aut spinae summae foramen abscesso, medullari hoc pariete, ipsum adeo cerebrum quibusdam defuisse in totum, a multis sit creditum; ut decem circiter nos ipsi foetuum ejusmodi humanorum, ut vocant, *acephalorum*, specimina, museis *Ticinensi* ac *Vindobonensi* pathologicis commiserimus. Sic foetus illo in museo conservatur, qui bursam quasi, vel saccum a meningibus formatum, cerebro informi repletum, post occiput pendentem, ostendit. Sub hac bursa spina bifida fuit, deficientibus simul spinae integumentis, ita ut certum per tractum spinalis medulla sub oculos caderet. Oculi, ob cranii et colli defectum, ad supremam capitis partem positi, *caput ranae* potius, quam hominis, sistebant. *Acephalorum*, a viro claro, cujus indefesso labori museum *Ticinense* quamplurima praepa-rata pathologica debuit, in nosodochio mediolanensi dissectorum copiosa exempla docuerunt, omne fere hoc vitium *in defectu partis osseae, seu cranii* consistere.

Saepe caput infantis mox a partu nulla malae conformationis indicia offert; sed unum alterumve demum post annum, futuri

estigia morbi parentes in haec attentos, ma-
me si aliam suis ex prolibus hoc mali ge-
ere perivisse meminerint, terrent. Prae-
pua ex illis sunt: caput, pro aetate, coe-
rique corporis pro habitu, majus, ponde-
sius; oculi prominentes; morositas, tardi-
s ingenii, loquelae, incessus; segnities ma-
r, somnolentia. Quodsi vero lentior os-
um ad cranium coalitio, futuri hydroce-
hali suspicionem non absque ratione injiciat;
propria tamen prole, cui diu post partum
aput multo nimis amplum et grave fuit, et
ui vix quinto aetatis anno *fontanella* sic dicta
isparuerat, hydropem calvariae nequaquam,
ed elegantem satis corporis formam inge-
iumque felix successisse gavisi sumus. Qui-
us vero tam felices esse non contigit: illis,
unc citius, nunc lentius, moles capitis ad
normem aliquando augetur amplitudinem.
unt nempe, quorum calvariae viginti quin-
ue adeo pollicum circumferentiam, et ultra,
gnoverint; ac similes quondam museo pa-
hologico *Ticinensi* conservandas tradidimus,
ostrosque in usus delineari curavimus. Non
equali interim haec in omnibus ratione in-
edunt. Multis nempe ossa cranii, ad tan-
am amplitudinem expansa, rarescunt, atte-

nuantur, ac pellucida prorsus fiunt. Immensae molis capita infantum conspecta sunt, quorum ossa calvariae, posito ex parte adversa lumine, adeo erant diaphana: ut ipsi quoque sinus per illa transparuerint. In aliis, quod iterum nos quoque vidimus, ossium istorum adeo non imminuta, quam potius aucta, observatur densitas, crassities.

Plurimi revera infantes hydrocephalo correpti, primis jam aetatis suae annis, vitam miseram cum morte commutant; sunt tamen alii, qui viginti, et plures adeo annos attingant; inter quos varii tum aliis, tum nobis ipsis, ossa cranii perfecta inter se coalita offerebant. Talia nobis *mediolanensis* etiam juvenis, qui decimum nonum aetatis ad annum cum insigni hydrocephalo pervenerat, a morte, postquam hic dicto museo commissus fuit, ostendit. Virum triginta quinque annorum, in cujus cerebri ventriculo dextro vesica pomi parvi magnitudinem habens et aqua repleta detecta fuit, vidit celebris *Genevensis* medicus. Hydrocephali viginti quatuor annorum historiam fasti medici conservant, ut qui capitis tumor, post sextum aetatis mensem jam inceperat. Ad annum septimum, brachia et crura resoluta

nt. Cranii suturae post mortem oblitera-, et cranium crassissimum, reperta fuert. Cavum calvariae mensuras aquae conuit quatuor cum dimidia, cujus pars in ebri ventriculis stagnabat. Alvus huic rro per sex annos fere semper obstructa e, faecum vero perparum ea excernere conwit. Si alvum cum sennae infuso laxare ter tentabat; id filio mox convulsiones exare solebat. Foeminae, postquam a sexto ivitatis suae anno, immensae magnitudi-hydrocephalo ejusque symptomatis, pro-*Upsalam*, laborasset, *quadragesimo* tantum *quinto* aetatis anno hoc a malo extinctae, stre exemplum exstat.

Quod vero non omnis hydrocephalus voien capitis constanter augeat, non minus uit observatio. Quotiescunque nempe firatem ossa cranii jam majorem adepta, et urae jam satis obliteratae sunt; molis morae illud signum, diagnosi facem haud efert. Sic etiam, ubi, acutiore sub mor-celerior, impetuosior est aquarum in cerri ventriculos, vel inter menynges secre-: quamvis, alia sub rerum positione, imssibile non foret ab his cranium dilatari; mptior tamen vel ab ipsa morbi atrocia,

vel a fluidis effusis, in cerebrum lethalis ef-
fectus est, quam ut expandendi cranii mora
satis longa supersit.

H. Chronici symptomata.

Chronicus quidem *hydrocephalus*, cum au-
cta praeter morem capitis mole, cum vena-
rum externarum inflatione, ac suturarum de-
hiscentia incedens, vel ex sola, ut diximus,
tum frontis, tum imprimis orbitarum confi-
guratione, arcuumque superciliarium eleva-
tione, et ex eo, quod aeger ponderosum ni-
mis caput proprium vix humeris erectum fer-
re queat, sed potius id ipsum, nunc istis
nunc mensa, nunc stragulis sustentare cone
tur, vel adeo quod interdum percusso cranio
aquae mox fluctuent, jam satis cognoscitur
Accedunt his varia ex cerebri, cerebelli, ve
interiora versus, vel ad exteriora, *compressio
ne*, *distensione*, symptomata. A *compression*
per aquas, *supra* cerebrum, cerebellum pon
derantes, haec ipsa, ut exemplo in anterio
ribus adducto jam liquet, sensim in arctiu
spatium urgentur, *densantur*. Ab hac scil
cet causa, haemisphaeriorum cerebri conv
xitatem deletam fuisse legimus, atque ta
planam, ut ejus superficies, cum linea a
ejus *trabe* ducta, parallela decurreret. *E*
tensionis plura hoc in tractatu recensem

exem

empla. Ab utraque hac causa varii ef-
tus sequuntur: somnolentia, vel et in-
mnia, ejulatus fere continui, pavores, stu-
r, cephalaea, hebetudo, corporis universi,
aeter unum caput monstruosum, macilenti,
erumque brevioris, segnities, lassitudo,
nsuum odoratus, visus, gustus, auditus,
fuscatio, lachrymatio frequens, loquelae
rditas, pedum frigus, deambulatio difficilis
it nulla, variae paralyses, musculorum tre-
ores, convulsio. Hinc inde a capitis pon-
ere insigni, aliquando pondus totius corpo-
s infantilis ultra dimidium aequante, spina
firma curvatur.

Admirationem tamen omnium percellat,
ortet, non infrequens infantum, ab in-
gni adeo hydrocephalo, tum meningeo,
m encephalode correptorum, quibus men-
s functiones vix non omnes diutissime pror-
s fere intactae manserunt, observatio. Sa-
s hilares aliquando per duos tresve annos
i miseri, incedere ac loqui adeo addiscunt,
c ullis tentantur convulsionibus. Puellae
iennis historia huc pertinet, cujus caput,
ptem spatio mensium mole ita increve-
t: ut post mortem novem, fere aquarum
brae in cerebri ventriculis fuerint repertae.

Calvaria fuit prorsus membranacea, tantaque duntaxat sede ossea, quanta calvariae puellae erat amplitudo, priusquam caput extra modum increſceret. Cerebri universa basis nervorumque productiones secundum sanitatis leges se habebant, et puella, ad mortem usque, *sensibus integris* fuit usa. Paucis tamen ante obitum diebus, erecta aegra, vel corpore ejusdem paulisper commoto, mox tussis et spirandi difficultas sequebantur, cadebant lachrymae vultusque sanguine replebatur. — Quinque libras aquae puer hydrocephalicus, cujus apud veridicum scriptorem fit mentio, obtulit; qua, cranio effusa, fere vacuum hoc visum est, licet puer *integra semper mente* hucusque vixisset. Octennis puer, tam magno hydrocephalo instructus, ut filus capiti circumductus duos pedes cum quatuor pollicibus metiretur; *vivax* tamen fuit, ac *judicio*, ut similis aetatis pueri, *memoria* vero *acuta*, gaudebat. Sat magnam adeo corporis, non male nutriti, proceritatem, ex infelicibus his aliqui attingunt.

Quamvis vero tanto spes nulla morbo affulgeat; in casibus tamen rarissimis, si *vaga* hydropi natura sit; justum eventus melior timorem eludit. Principis *Vindobonensis* filius,

sex mensibus utero exclusus, singula hy-
rocephali chronici signa, caput valde ma-
num, oculos deorsum protuberantes, nobis
xhibuit. Tam hebes vero hic infans fuit:
t post annum, nec nutricem quidem distin-
ueret; nec aliquid appeteret; aut, nisi ori
uasi intrusum, commederet. Cum vero vel
inime de conservatione hujus pueri spera-
mus; qua ratione hydrops *ascites* ei natus
st, ab hydrocephalo ille restitutus fuit; et
scite etiam a nobis feliciter profligato, con-
aluit. Post septem tamen annos, idem hic
uer, capite adhuc magno, statu a vero, pro
tatis ratione, breviore instructus, subito
bricitare, de capitis dolore conqueri, hoc
gre humeris gestare, et unam modo in
rtem mensa vicina sustentare coepit. Por-
ctis iterum debitis auxiliis, sanitatem ille
tinuit, ac eadem adhuc fruitur illaesa.
uo fere similia exempla hydrocephali, *acuti*
men, a redeunte non minus, quam a su-
raccedente *anasarca* feliciter dispersi, *Genu-
nsis* hoc de morbo scriptor egregius adno-
vit. Singula hydrocephali symptomata in-
rdum, ubi *scrophulae* in conspectum venis-
nt, fuisse dispersa, nuperrimus quoque
hoc morbo scriptor *anglus* confirmavit.

Hydroceph. acutus. Hydrocephalum *acutum*, ut ex dictis hucusque apparet, non ad solos *cerebri ventriculos*, et quidem singulos, limitantes, quousque pia mater, sicut ad istos, ita inter gyros medullosi hujus visceris sese insinuat: illinc morbosae secretionis ac hydropis encephalodis *acuti* quoque officinam agnoscimus. Potest quidem sedes diversa, ubi aqua in cerebro haeret, particularia quaedam symptomata provocare: quemadmodum si in ventriculis lateralibus cerebri, aqua collecta thalamos nervorum opticorum comprimat; potest in visus phaenomenis adparere quidquam, huic varietati hydropis proprium; sed unus idemque morbus erit, quocunque demum cerebri loco stimulus acutior secretionem laticis serosi pathologicam pede celeriore producat. A stimuli igitur, ac subjecti, in quod hic agit, ratione, magna illa differentia symptomatum, vel sub *chronico*, vel sub *acuto* hydrocephalo scaturit: ut nempe in illo, vix alia, quam *serosae apoplexiae* lenta indicia, partim ex loco quem aquae occupant, diversa — in hoc vero *febrilia* primum, et ab illis *encephalitidis* (§. 140.) non multum, nisi gradu, aliena, — mox vero, tum ad ipsam partem adfectam, tum ad loca quae mag

m illa consentiunt, *nervosa*, et quidem par-
n *convulsiva*, partim vero *paralytica* phaeno-
ena praecipitanter sibi succedant. Dem-
s majore, quae cerebri ventriculis est, au-
oritate, hujusque in sensuum nervos con-
icuos imperio, aliarum etiam regionum en-
phali hydrops *febrilis* et *acutus*, diversa non
nus a *lento* symptomata, et praecipitem
cursum, ut saepe vidimus, agnoscit.

Mirum est, *hydropem ventriculorum cerebri*
tum, pro dignitate ac spatio locorum, unde
omen acquisivit, vix prius fuisse cognitum,
onec insignis anatomici *Itali* industria, tar-
us vero celebris in *Gallia* chirurgi solertia,
tandem, nostris temporibus, *Angli* medici
pertissimi (potior omnibus praegressis) de-
riptiones accederent. Multum quidem a
ecentioribus his fuit superadditum; sed,
uod dolenter hic fatemur, non satis, quin
rrori in diagnosi, saltem sub morbi princi-
o, quamplurimus in hanc usque diem et
erit, et diu mansurus sit, locus.

Hydrops igitur *ventriculorum cerebri acutus*,
orbus est, infantili quidem aetati magis
ommunis; non tamen huic soli proprius;
ed ad omnem aetatem sexumve extensus,
entitionis sub opere, post convulsiones,

post morbos a vermibus frequentior, rarius et sexto a partu mense conspectus. Ex viginti aegris hujus generis, primo de his *Anglo* scriptori oblatis; praeter unum, coeteri omnes inter primum et decimum sextum annum hoc malo laborarunt. Inter ultimum hunc, decimumque nonum annum, hic morbus alteri, ejusdem gentis medico eximio aliquoties est visus. Viginti annorum juvenis robusti, nona die hoc a morbo (aquis non modo ad cerebri ventriculos, sed ad fossas etiam occipitales, et ad canalem vertebrarum collectis) trucidati, exemplum illustre *Galliae* diaria medica conservant. Aliud viri quadraginta quinque jam annos numerantis, ex hoc morbo defuncti, annales medici *Montispessulani* nuperrime retulerunt. Non rari, sed et nobis frequenter oblati sunt casus hydropis, tum meningei, tum encephalodis, sub febribus acutis diversae indolis, symptomatice progeniti. Etsi vero sexum *faemineum*, ut omni fere hydropi, sic et huic, magis subjectum esse quidam monuerint; difficilis tamen non minus ac incertus, nec aequalis apud omnes, hujus indolis est calculus. Alacrioris ingenii, et robusta magis constitutionis proles videntur utique huic morbo, prae

iis, subjectae; non desunt interim tardio-s; quoque spiritus corporisque debilioris in-ntes, hydropis hujus acuti victimae.

Magna in descriptione *symptomatum* hujus morbi circa primordia ejusdem exponenda ifficultas occurrit; ac etiamsi attributa de-ursui hujus mali *tria stadia* ubique non vana nt; minor tamen fides unico, ex arteria-um habitu ac motu petito, signo praestanda t. Sed juvat, quo demum ordine plerum-ue in *acuto hydrocephalo* symptomata sibi suc-edant, succincte hic exponi. Symptomata.

Ac primo quidem, si aliqua istius ad-entum signa *praenuncient*; ea, vel morbi fe-ilis, secretionibus perversis faventis, vel nsorii communis primario modo adfecti, quivoca sane, symptomata erunt. De il-s hic mentionem non facimus. Ad haec ero, apud infantes, pertinent: singularis cessus, cruribus nempe sub eodem non ssolutis, quam potius, magnos ad gressus ciendos, praeter modum elevatis, cum fa-li, plana etiam super humo, pedum offen-tione; capitis gravitas, rubor aut pallor ciei inconsuetus, fugax; oculorum nitor nissus, vel et rubor; lucis, rumoris, cla-oris, motus fortioris (non tamen semper, Prodoma.

ut vidimus, gestationis ac dulcis cantilenae) intolerantia; frontis, genarum, oris calor major. Si fari puer potest, de capitis, abdominis dolore querelae; minor plerumque, non tamen in omnibus, ciborum appetentia; hinc inde, imprimis succusso corpore, vomitus; gressuum, si quos jam facere infans didicerat, vacillatio, suspensio; decubitus supini, in unum saepe latus, desiderium; languor, debilitas universalis; alvi major segnities; urinarum insolita parcitas; impetiginum, forsitan praegressarum, exsiccatio; animus morosus, in fletus pronus, inquietus; solitudinis amor; suspiria, anxietas, somnus sub pavoribus interruptus, aut fere nullus. — Atqui tamen haec fere singula, si futurum ventriculorum cerebri hydropem — non minus alium quemcumque morbum, imprimis dentionem difficilem, indicare queunt, symptomata. Attentionem tamen inter haec majorem utique, tum organorum visus, auditus major sensibilitas, tum motus quidquam rudioris aversio, et in vomitu, anxietate, vel et tussi provocandis potentia, tum calor dolorque capitis magis continuus, excitare merentur. Tacitum quasi *delirium*, vel antequam febris accessisset, infans felicissimi

enii, octodecim ante menses nata, cujus
or ex acuto hydrocephalo jam pridem,
od et ipsi contigit, perierat, in eo nobis
didisse est visa: quod languida et moesta
cubilia duci cupiens, in quovis horum
ulo sollicite et anxie, quasi rem dilectam
amissam, quaerere, ac nomine incogni-
neque unquam antehac pronunciato, indi-
e conaretur.

Quemadmodum vero prodroma sympto- Stadii I.
ta vel prorsus deficiunt; vel, si compa-
nt, parum lucis hic accendunt; ita et illa,
ae *primum* hujus morbi *stadium* constituere
untur, diagnosis certitudinem haud mul-
n adaugent. Plurima tamen sub morbi
ncipio, de *sensibilitatis incremento* magis,
am de facta aquarum collectione, seu de
mpressione, testimonium edunt. Lucis
mpe, sub pupillarum contractione, et cu-
vis rumoris impatientia, calor, dolor ca-
is in humeros reclinati, difficulter erigen-
quasi ponderosi, fixus, maxime frontis,
l ab uno latere temporum in aliud directus,
mores acutos saepe excitans, nunc augen-
; commiscitur his, minus tamen in adul-
, febricula, sine certo typo remittens,
m pulsu arteriarum celeri et parvo, cum

pulsatione carotidum; nausea, oppressio ve triculi, si quosdam excipias, quibus, nul unquam nausea adfectis, ciborum desideriu ad mortem fere usque conservatum est, m jores; vomitus bis, ter in die redit; alv plerumque magis constipata, argillacea, i terdum vix a purgante medicina solvend aliis diarrhoea foetida, coloris viridis; urin pauciores, aut cum albo sedimento ren stae; — aliis dolores artuum, abdomini nuchae, pectoris, fugaces, cum cephala saepe alternantes, auxiliis rebelles; pavor aut stridor dentium sub somno; suspiria, g mitus, morositas. Brachium aliqui superi pectori adprimunt, nec manum facile exte dunt. Mediis his sub signis, saepe illa *de titionis* se produnt, densque unus vel alt adeo prorumpit; aut, sub continuo nariu pruritu, *vermes* ex ore, vel ano quibusda secedunt.

Incertitudo. Quodsi vero puerulorum aut aetaten fari nesciam, aut morositatem, qua nec pu suum quidem exploratio aliquando conce tur, aut taciturnitatem contumacem, aut responsionibus inconstantiam paucaeque fid dignitatem consideres; quam infirma ha omnia desideratae diagnosis fulcra dicen

., eo facilius, quod et ipse capitis dolor,
lucis impatientia, et vomitus, et febris
iisse sint visa, concludes. Duodecim an-
um virgo, hydrocephali acuti victima,
quam lucis impatiens, sex ante obitum
us, solis radios vel minime abhorruit.
ile alterius prolis exemplum occurrit. Si
) primo huic morbi stadio, dierum vel
em, vel quindecim intervallum assignent;
t certe, et quidem plurimi, quibus istud
ge brevius sit, et quibus morbi decursus,
liis nempe coeteris sibi rapide succeden-
is, non *sex* adeo, quam *duarum hebdoma-*
., ac breviore aliquando intervallo in
rtem terminentur.

ecundum hydropis ventriculorum cerebri Stadii II.
ti *stadium*, *imminutae* jam *sensibilitatis*, seu
oris symptomata sistit, ac firmiorem quo-
nmodo, nec tamen certe indubiam, dia-
ssin reddit. Cum *pulsuum tarditate* istud
lium, inter septimum fere decimumque
bi diem, incipere definitum fuit; ac re-
a, illorum frequentia sat saepe a centum
ati, aut triginta ictibus, ad quinquagin-
sexaginta usque in minuto primo, non
er, quam sub usu *digitalis purpureae* inter-
fieri consuevit, nunc descendit. Simul

vero arteriarum pulsatio, quo lentior, e
quoque *minus ordinata* observatur. Tanta i
terim pulsuum discrepantia nec nobis, n
aliis ubique oblata, sed arteriarum ictus,
experti sumus interdum, nec primo in st
dio tam frequens, nec in secundo tam le
tus, aut inordinatus, vel etiam tam un
quam altero sub stadio frequentior fuit. Cu
pulsuum imminuta frequentia, in multis, s
iterum non in omnibus, calor augetur. M
nifestior autem debilitas, ac in lecto decu
bendi, vel brachiis gestari evidentius de
derium in omnibus succedunt. Saepius ja
suspiria, interrupto quasi fletui similia, ign
ta sibi causa, proles ducunt. Oculi (qu
signum etiam brevi modo tempore ante o
tum comparuisse observavimus), aut *lu*
detorti fiunt: ut uterque, vel modo unus,
res, rarius tempora, sed tamen, ut vidim
et sursum et ad dextra, respiciant; aut c
vulsive huc illuc moveantur; aut modo
bum inter palpebras, minus sub somno c
niventes, ostendant. Nec strabismum,
aversionem a luce, nec *dilatationem pupi*
quamvis haec ultima et hoc tempore ob
vata fuerit, tam generaliter adesse, egr
quoque scriptores *Angli* reliquerunt. Ex

rmo *Genevensi* medico advertente, admoto
illis lumine, videntur quidem illae ad-
llum *tremule constringi*; eodem vero per ali-
t minuta oculis exposito, pupillae vel spon-
dilatantur; quem motum singularem et
wulsivum potius iridis, soli huic morbo
prium esse putat. Chirurgus interim
glus casum pueri refert, qui, licet in ce-
ri ventriculis dimidiam circiter aquae cla-
is pintam continuerit; pupillarum tamen
ractionem a luce admota nullam perpessus
. Objecta etiam nonnunquam hic dupli-
, ut porrecta sibi, cum manibus quaerere
eantur, aegris apparent. Hoc ipso vero
stadio *amaurosin*, quam in tertio distinxi-
s, ut *Lipsienses* quidam potuerunt, nos
dum conspicere potuimus. Augetur quo-
jamjam cephalaea; si vero manum hoc
npore ab infante ad caput ferri referatur,
od saepe quidem contingit; vidimus tamen
noc signum modo brevi ante mortem sub-
rasse. Pruritum frontis ac pedum, ma-
em facici sensibilitatem in aegrotulis, quod
ec raro a dolore distinguant, non observa-
nus. Inquietudo, anxietas, jactitatio in
tulo, morositas, ejulatus, clamores subi-
nei, pavores e somno, positionis horizon-

talis desiderium, rubor pallorque faciei fugax, continuo jam crescunt. Vomitus, imprimis dum corpus erigitur, hac sub epocha plerumque frequentior est; sed aliquando sub illa cessasse est visus. Quaestionibus, si breves sint, sat bene adhuc respondent; si longius responsum illae exposcant; aut non cohaerent sermones, ac modo querelas de statu iniquo exprimunt; aut quaesita aegri minus intellexisse, aut apertis oculis somniasse videntur. Sub finem hujus periodi leves convulsiones in facie, genis, palpebra superiore, brachiis, aliis in partibus, aliquando major in musculis unius lateris debilitas, vel paralyses partiales, sopores, comparent; quae tamen signa in aliis, modo brevi ante mortem tempore locum habuisse sunt visa. Generalem, sed inutilem sudorem paucis modo horis obitum praecessisse conspeximus. Haec ipsa vero *secunda* morbi periodus interdum tam brevis est: ut ob mortem, etiam ubi spem medici superesse aliquando pronunciaverint, sub diris convulsionibus et quasi strangulatione, promptissime succedentem, *tertiae* vix locum concedat periodo.

nconstantia ympt. Quantum autem inconstantiae ac fallaciae

symptomatum et hoc in stadio subsit; tum ex allatis jam comparet; tum ex eo, quod eadem fere phaenomena et sub gravi *dentitione*, et sub *vermibus*, eidem aetati, ac morbus noster, propriis; et sub cerebri, cerebelli *tuberculis*, *abscessibus*, quidquod sub *incremento* hujus visceris, quod calvariae capacitatem vix non superet, celeriore ac *morboso*, haud raro sese manifestent, non difficulter eruitur. Singula hydrocephali symptomata, nec lusco quidem oculorum habitu excepto, in duobus infantibus aderant; nec tamen aquae in cerebro eorum, sed in uno ex istis, sanguis effusus, — in altero, steatoma, ut legimus, haeserunt. Monuit quidem vir *Germanus*, cui circa morborum difficiliorum diagnosin multa debemus; animo in singula probe attento, vermium symptomata non tantam in omnibus, quam plurimi quidem supposuerint, cum morbo hic descripto affinitatem offerre, consideranti scilicet: hydropem cerebri acutum constantiores, quam vermes, effectus, — nec tantas, ac isti concedunt, inducias, — ventrem, etsi minus turgidum, longe tamen magis obstructum, et medicinis evacuantibus rebellem, — convulsiones modo sub finem morbi, nec sine febre pulsuque

arteriarum specifico praegressis comparentes, nec tam transitorias, — pupillarum dilatationem non tantum, sed et fugam lucis huic praeviam, et graviora, quae lecto aegros prosternant, cum illa phaenomena, — manuum directionem minus ad nasum, quam ad calvariam oculosve ab aegris fieri solitam, agnoscere. — Fateamur interim: nullum in hydrope cerebri acuto tam perpetuum, quin aut deesse, aut citius tardiusve accedere queat, dari signum. Sunt sane et illi conspicuae nonnunquam, et quae medicum, etiam expertum, faustiorem ad prognosin faciendam seducant, induciae. Continuas, vel et sub fine morborum accedentes convulsiones, alvi constipationem satis pertinacem, et gravia sub pupillae dilatatione symptomata, ipsi quoque vermes interdum producunt. Porrectis quidem purgante alvum enemate, ac sufficiente non minus, quam repetita dosi calomelas, haec symptomata, ex vermibus forsitan oriunda, dissipari, monet alius, et gravis de morbis infantilibus scriptor *Anglus*; ast vero tam praecipiti ominosoque sub morbo, hujusmodi, ad ejus naturam inquirendam, tentamina institui vix possunt; vel, si vermium nos suspicio forsitan fefellerit; sub

sub tanto jam debilitatis gradu, admodum sunt noxia; nec ipsi etiam vermes, ut hac sub methodo conquiescant, semper tam sunt dociles. In febre sic dicta *verminosa*, bulbi oculi depressionem, ac palpebrae superioris citius elevandae impossibilitatem deesse, et sic hydropem cerebri a morbo verminoso distingui posse, celebris monuit pathologus. Interim orbitae oculorum in *acuto* hydrocephalo, non ut in *chronico*, exteriora et inferiora versus cum partibus contentis urgentur; ac ubi jam tam evidens est ossium calvariae a statu sano aberratio; dubium certe morbum verminosum inter atque hydrocephalum superesse non potest. Fatebimur quidem cum scriptore nuperrimo: tempus convulsionibus *intermedium*, ad originem istarum inquirendam, esse optimum; et a convulsione alia, non facile, ut in illa, quam hydrops noster acutus producit, unum corporis latus prae alio affici, posteaque resolutum languere. Ast vero, cum *tertio* plerumque et ultimo morbi sub stadio convulsiones demum compāreant; non magnum sane ex certiore tunc utique diagnosi lucrum esse potest.

Tertium hujus morbi *stadium*, tum *paralyticum*, tum *convulsivum* appellari, ob pessima Stadii II

ejusdem symptomata, meretur. Etsi nempe interdum et *secunda* sub periodo talia se prodant; in ultima tamen manifeste principatum tenent et convulsio, et paralysis. Quodsi pulsus illinc lentorem revera assumserint; hic demum illi vix non duplo frequentiores et debiliores in plurimis redduntur. Vidimus interim, ad mortem fere usque arterias vix quidquam celerius, ac secundo in stadio, micasse. Istius vero singula symptomata nunc passu giganteo augentur: ita ut, si quibusdam in aegris haec rerum mutatio spatium sibi quinque vel sex dierum absumat; alii longe citius ad tumulum properent. Dilatatio pupillae nunc maxima, et retinae, ut in perfecta amaurosi, admoto licet lumine, summa insensibilitas. Pueri tamen exstat historia, in quo pupilla tres, quatuorve per dies ante mortem non adeo dilatata, quam potius contracta, et, volatili remedio naribus admoto, datoque analeptico, iterum dilatata fuit. Puellulae, hydrope cerebri extinctae pupillas per omnem morbum, quamvis illius ventriculi quamplurimum aquae continuissent, sese contraxisse, — alteram autem infantem quinquennam, singula hydrocephali symptomata, et pupillarum dilatationem quoque,

praecipue horis ante mortem duodecim, absque ullo morbi, post istam, in cerebro vestigio obtulisse, recentior hoc de morbo *Genevensis* scriptor refert. Oculi apud alios, in continuo motu convulsivo divagantur, splendorem, sordida quasi crusta operti, amittunt, aut etiam conspicue rubent. Palpebra una paralytica pendet, altera aperta. Deliria accedunt continua; aphonia, vox rauca subrepunt. Capitis, apud alios, ex una parte in aliam versatio succedit. In lethargum sopor nunc vertitur, ex quo, opera non semper facili, expergefactus aeger, exclamat et verba vix articulata et incohaerentia profert. Subsultus tendinum, convulsiones continuo augentur, latere corporis uno plerumque magis occupato. Aut subinde paralyses in hoc, in altero vero latere convulsiones observantur. Tandem et pharynx et oesophagus, a resolutione, vel spasmo adfecti, transitum alimentis vel potui recusant. Omnes manum alteram fronti et bregmati, quo latere aquae restagnant, frequenter admovent; atque in hoc latus caput convertunt; aut in alterum conversi, convulsiones aut tussim patiuntur. Interim et nullum, cum e lecto caput attollebatur, clamorem infans edidit, nec genis

rubuit, hoc morbo tamen enectus. Respiratio, quae hucusque laesa vix fuit, rara fit ac debilis: ita ut exspiratione absoluta, non statim illico, sed solito longe tardius, inspirent. Alvus viridissima, herbacea, saepe nunc liquida, inscio aegro fluit, ventrisque dolores hunc saepe divexant. Urinae excernendae haud percepta necessitate, retinetur haec aliquando. Lingua, dentes nigrescunt, aut aphthosa illa insignitur rubedine. Foetorem contrahit urina; cutis siccescit aut frigido sudore, vel aliquando etiam miliaribus, obtegitur. Sitit puer, et, nisi fauces obstent, avide bibit. Color faciei mutabilis, mox ruber, mox pallidus. Extremitates livent frigentque. Debilitas summa, et convulsiones repetitae mortem instantem praenunciant. Motus convulsivos oculorum cessasse, mox vero pectus conquassasse, ac miseram infantem, eheu! quasi laqueo faucibus circumducto; strangulasse, conspeximus.

Varietates hydropis acuti ventriculorum cerebri plures, et quarum una *acutior* (minus tamen ominosa), altera vero quidquam *lentior* sit, a quibusdam scriptoribus adnotatae fuerunt. Arbitrarii tamen multum in his

morborum divisionibus, ex solo vehementiae gradu subjectique differentia petitis, subesse cogitamus.

Post mortem, maculae coerulae, aut livor in dorso, pectore ac brachiis in quibusdam comparent. Copia contentae in cerebri ventriculis aquae, in acuto hoc hydrope, trium quatuorve unciarum est plerumque. Saepe tamen dupla inventa fuit. Haud raro modo unus ex ventriculis cerebri lateralibus, intacto septo pellucido, ab aquis extensus est. Saepius tamen uterque turget. Interdum et tertius, et quartus ventriculus laticem amplectuntur simul serosum. Limpidum saepe, aliquando flocculis intermistum hoc serum est, nec desunt sedimenti ab illo ad partes, quas inundat, puriformis exempla. Aliquando nec ab igne subposito, nec ab alcohole, nec ab acidis cogitur, sed a primo, in auras dispergitur hoc fluidum. Contrarium interim haud raro locum habuit. Cerebri, gyris suis externis vix non privati, substantia in pluribus est mollior, et quasi decomposita. Plexus vero choroideus pallidior, granosus ac saepe vascula venosa non parum turgida; meninges hinc inde duriores, densiores, concretae; sinus longitudinalis, rarioribus tamen

exemplis, inflammatus, reperta fuerunt. Est, qui, hunc post morbum, simul in pericardio semper aquam sat notabili copia effusam reperierit. Post chronicum hydrocephalum, saepe numero cum hydrope columnae vertebralis conjuncto, sanguinis tam parum, ac si hic omnis in serum abiisset, in venis repertum fuit.

Atque haec morbi atrocissimi, qui, dum medicinam admitteret, haud satis dignoscitur, atque dum certior quidquam ejusdem fit diagnosis, auxilium vix non omne excludit, tristissima imago est! — Non majora vero ex morbi huic affinis, atque ideo mox ex illo hic exponendi, descriptione solatia nos exspectant.

Hydrorrhachia.

§. 738. De *columnae vertebralis in morbis dignitate* publice quondam locuti, de *hydrorrhachia* jam plura, quae huc revocari possint, docuimus. Nec minus, ubi de medullae spinalis inflammatione sermo nobis fuit (§. 141.), calvariam, concessa quidem principali huic sensorii communis sedi praerogativa, ut *primam inter vertebras* — has vero singulas ut *minores calvarias*, suo cerebro, pro parte cui nervos transmittunt, instructas, considera-

vimus. Atqui his ipsis vertebrarum, apud pueros ex tribus ossiculis, media cartilagine junctis, constantium, in cavis, ejusdem generis morbi, quam in illo cranii, et quidem frequentius, quam vulgus medicorum exspectat, oriuntur. Ut vero, primo mox intuitu, medullae spinalis morbosa adfectae symptomata compareant, juvenis infelicis, ex magni quondam medici *Rotterodamensis* descriptione, historiam hic decerpimus. „Hic scilicet juvenis, ictus pugione in spinae medulla, concidit repente in terram cum alvi ac vesicae excretionibus ita impeditis: ut nihil inde redderetur, nisi alicitum a vehementissimis catharticis; a quibus tamen paulo post ne tantulum quidem movebantur hae partes, redditae sensim ita stupidae, imo ob resolutos nervos illis destinatos tam insensiles, ut nullis obedierint remediis. A qua omnimoda ventris suppressione, intumuere non modo intestina a spiritu ac retentis excretis impense intenta; sed propter oppressa viscera accendebatur usque eo cor, et distendebantur tantopere nervi: ut inciderit inde non modo in vehementem febrem; sed in tam frequens animi deliquium, ut primum sudaverit affatim; mox vero alserit ipsi totus cor-

poris habitus. Et quidem haec omnia adeo celeriter: ut tertio post inflictum vulnus die excesserit e vita, frigido madore undiquaque obsitus."

Atque haec quidem *acutae* adfectionis ad medullam spinalem phaenomena sunt. Quemadmodum vero *hydrocephalus acutus* brevi temporis spatio in mortem terminari consuevit; ita et *medulla spinalis hydropem acutum* dari, modo tardius, quam ille est, lethalem. etsi, ubi illum ex inflammatione excipias, nullibi descriptum, dubium esse non potest. Quem igitur *hydrorrhachiae* sub nomine hic describimus, morbus, ad chronicos magis pertinet.

Definitio. Est vero *Hydrorrhachia*, humoris seroso lymphatici, columnae vertebralis in cavo, vel integro (*H. incolumis*), vel divergente (*H. dehiscens*), collectio morbosa: cum tumore externo ad illam, nullo, ad hanc vero aliquo, eoque praesertim in suo medio, molli, digitorum pressioni cedente, cessante hac, redeunte, coloris sub principio saepe rubri, vel lividi, postea vero pallidi, et cutis illi fere similis, indolente plerumque, haut raro pellucido, cum partium inferiorum debilitate, paralysi, utroque in casu frequentioribus.

Extenſa nempe magis, nec ſolum ad caſum, quo vertebrae in foetu poſterius morboſe hiantes, *ſpinae bifidae*, recens et incongruum ſatis, nomen obtinent, limitata *hydrorrhachiae* nobis idea eſt. Quodſi nimirum ſub pathologicis ſectionibus *ſpecus vertebralis* taedioſius quidquam examen frequentius, ac id fieri conſuevit, inſtitui voluiſſet; ſaepius omnino medici in illa, etiam in caſu, quo habitus cadaveris exterior nihil indicare videbatur, meſſem laboris conſpicuam, et morborum ſedem obſcuriſſimorum unicam reperturi fuiſſent. Diviſio.

Noſtris ſaltem oculis, etſi negotiorum turba ſaepe nimis impeditis, in quinque tamen hominum adultorum, partim ex hydrope defunctorum, cadaveribus, columnae vertebralis cavum aquis plus minus repletum, et ab his, medulla ſpinalis anguſtius in ſpatium non parum compreſſa ſolitoque firmior, macilentior, oblata fuerunt. Cum nempe in aetate provecta, ob ſerum in cerebri ventriculis collectum, ſymptomata apoplectica non raro finem vitae imponant: ſua ſane et vertebrae cuivis, aut contentae in illa medullae, niſi nomen quemdam offendat, *apoplexia ſeroſa* eſt; ac ſaepe paralyſeos ex cerebri, ſuis in ventri- H. incolumis.

culis compressione primum oriundae, causa fluida, derelicto liberatoque cranio, in specum vertebrarum delapsa, in hac sola, nec amplius in capite, resolutionis partium inferiorum scaturiginem constituit. In apoplectici viri ventriculis cerebri, aqua non pauca; sed multa de vertebrarum tubo effluxit. Sed nequidem medulla spinalis, quo vel ipsa, vel ejusdem involucra, *hydropem*, nunc *acutum*, nunc *chronicum*, progenerent, hoc liquidorum serosorum ex cranio descensu indiget. In ipsa quidem medullae spinalis *substantia*, cavis utpote propriis, quae ad cerebrum *ventriculi* appellantur, sub statu sanitatis destituta, collectio aquarum morbosa difficulter concipitur; est tamen, ubi illa, duobus in aegris, ab aqua manifeste *intumuerit*. Ac revera; cum aliquoties eandem ab aquis arctius in spatium compressam, macram et quasi tabescentem conspexerimus; oportet sane subtilissimam telam cellulosam, quae fibras medullares inter se connectit, spatiola intermedia nunc quidquam ampliora, et halitu animali magis turgentia, nunc vero magis collapsa, angustiora, agnoscere. Argumentum quidem ex *proprio canali*, ab antiquiori Anatomico succincte descripto, et cla-

rissimis quibusdam nostrae aetatis Scriptoribus *Galliae* aliquoties conspecto, hic, etsi hoc liceret, minime desumimus; spinalem tamen medullam in meditullio suae *corticulae perforatam*, et *aqua*, ubi vertebrae hiabant, repletam fuisse, celebris Anatomicus conspexit; et cum, sicuti ad calvariam, ita et ad specum vertebrarum, aqua limpidissima interdum cerebri, vel medullae spinalis locum tenuisse sit visa; hoc ita quidem intelligimus: quod medulla spinalis non minus, quam illa cerebri, aliquando tenuem in lamellam, non adeo, ut putant, *resolvi*, quam potius ab intus *extendi*, ac vix non disparere, vel, rupta demum atque corrugata, evanescere, et aquis locum cedere, vel cum his confundi, queat. Sana quidem, ut refert magnus quondam *Sueciae* chirurgus, medulla spinalis videbatur apud infantem cum spina bifida natum, et uno post partum nycthemero defunctum; sed quo loco tumor haesit: eadem medulla tenuior, solito magis lubrica, et parvis *hydatidibus* obsessa comparuit.

Meningeus vero ille, quem ad cranium descripsimus (§. 737.), *hydrops*, tam *primarius*, quam *secundarius*, atque tam *energicus*, quam *adynamicus*, non minus ad cava vertebrarum,

et inter singula, quae medullam spinalem circumambiunt, involucra, quin ossa igitur, in adultis firmiora, dehiscant, locum agnoscit. Postica crassae meningis facies, pluribus, ut notum est, *cellulis:* in quas aquae ita quidem interdum deponi videntur, ut vertebrae a se invicem recedant, huic locum tumori adperiunt, ac *hydropem durae matris cellulosum* a sectione, ut pauca quaedam exempla docuerunt, non semper lethalem, constituunt. Frequentissima tamen sedes aquarum, hic morbose secretarum, inter ipsa medullae spinalis involucra membranacea, varios nempe in modos irritata, lacessita, quaerenda est.

Haud raro scilicet, post sic dictam lumbaginem, post haemorrhoidales, rheumaticos, aut alios ad columnam vertebralem cruciatus, post colicos, ut creduntur, dolores cum febre violenta et singulis inflammationis ad specum vertebrarum signis (§. 141.) incedentes, mox crurum, aut etiam vesicae urinalis, vel et sphincteris ani, nunc paresin, nunc perfectam adeo resolutionem observavimus; cujus certe origo, neglecta licet defunctorum ex his hominum sectione pathologica, vix alia, quam serosa his in locis,

aspectu quamvis non mutatis, aut tumidis, colluvies esse potuit. Sic insignis de sedibus et causis morborum scriptor, qui aquarum in fistula spinosa collectarum historias plures commemorat, juvenis illam adducit: qui ex febre in ferox delirium, hoc vero quidquam sopito, in motus artuum convulsivos, ac demum in lethiferum soporem incidit. Quinta vertebra a sexta dissecta, *multa aqua* ex spinae tubo effluxit, nonnulla etiam de cranio exivit. Vasa sanguinea quaecunque per tenuem meningem specus vertebralis decurrentia, sanguine adeo plena erant: quasi ab injecta rubicunda materia fuissent praeter modum repleta. Sed et sanguifera vascula ex iis, quae spinales nervos, praesertim quosdam, stipabant, turgidiora sanguine fuerunt. Sic dum, apud eundem scriptorem, viro quadragenario, ante biennium, pars ima pectoris, cum quadam spiritus difficultate, attolli, spina quidquam inflecti, — ante quinquaginta vero dies, dolor gravativus simul ac pungens in thoracis vertebris inferioribus, hinc inde ad lumbos et ad scapulas extensus, exoriri coepissent; lassitudo corporis totius ac infirmitas, — ante duodecim vero dies, cruris dextri totius stupor,

ac tandem paralysis, urinae retentio, decubitus, prae dorsi cruciatu, in hunc impossibilitas, tandemque brachiorum ac trunci ipsius tonica convulsio, vomitus biliosus, mentisque aliqua obfuscatio, accesserunt. Post mortem, in cerebri totius anfractibus *aqua* ferme limpida, in cerebri ventriculis vix aliquid, at *multa* occipitis ad magnum foramen, reperta fuit, quae, vertebris ad ima thoracis dissectis, illico effluxit. Sic vir senex *hemiplegicus*, in tubo vertebrarum aquam habuit. Sic nostrum pro viro nobilissimo consilium in *Italia* quondam petitum fuit: cui, dolore arthritico ex pedibus ad lumbos converso, postquam insignes ille cruciatus hac in parte per sex fere hebdomadas pertulisset; crurum ac vesicae urinariae, rebellis ad omnia, et lethalis tandem paralysis successit. Aperto cadavere, in cavo vertebrarum, liquidum copiosum, puriforme, quod nervorum cruralium stamina compresserat, repertum fuit. Similia celebris in academia *Goettingensi* Anatomici ac nostri quondam collegae, instituta super specu vertebrarum tentamina docuerunt: ut quibus, in virginis, ad primum quinque per annos *tinea* capitis adfectae, deinde vero septem alios per annos

paraplegicae, columna vertebrali, quin tumor exterius super hac compareret, ad minimum tres unciae aquae, in gelatinam facile cogendae, — ganglia vero nervorum justo crassiora, laxiora, comperta fuerunt. Puerum necdum triennem, abunde nutritum, ac in caeteris vel optime valentem, nulloque ad columnam vertebralem vitio externo notatum, *Papiae* quondam conspeximus. Hic puer, nec pedibus unquam insistere, nec hos, nec crura ullo modo movere potuit; sed, cubitorum ope, humo *reptans*, dimidiam ac infimam corporis partem, quasi non suam ac inutile ut pondus, misere post se trahebat. Ignotum quidem nobis ulterius hujus infantis fatum mansit; sed aquam huic, columnae vertebralis in cavo haesisse supponentes, a vero nos aberrasse non credimus. Simile nobis de prolibus non paucis, quae, postquam gressus facere jam diu didicissent; sine causa alia manifesta, et quin vertebrarum aliqua dehiscentia vel deflexio subfuissent, sensim sensimque in crurum paralysin inciderunt, non absonum, ut putamus, a recto judicium fuit.

Ad *sedem*, quam aquae in fistula vertebrali, vel cum, — vel sine tumore aquoso ex-

terno, occupant, quod spectat; casus exstat, in quo, aperto foetu, spina bifida adfecto, dura mater, vertebrarum per fissuras prominens, per liquidum serosum, tenue, a tubo specus vertebralis extimo, separata fuit. In illa ipsa, cujus memoriam vix injecimus, virgine, aquae tum inter duram matrem ac arachnoideam tunicam, tum hanc inter et piam meningem medullae lumbalis, residebant. Inter hujus involucra etiam serum apud infantem quadriennem. spina bifida laborantem, restagnavit. Canalis, qui ex tumore *hydrorrhachiae* dehiscentis ad cerebrum pertingebat, a *Galliae* medico non solum flatu demonstratus est; sed aquae adeo, erecto corpore, ex cerebro ad hunc saccum evidenter delapsae sunt. In casu conjunctae cum hydrocephalo hydrorrhachiae, vel spinae tumore, vel cranio separatim compressis, aut hoc, aut ille in tumorem videbantur assurgere, turgere.

Clarum fit exinde: *hydrorrhachiae dehiscentis* tumores non aliter, quam illos, qui ad *cranii suturas*, vel ad *foramina* illius *sesamoidea* non satis custodita, inter cerebri, cerebelli involucra nascuntur, se habere; atque si amborum pars viscerum istorum subinde mor-

morbosos hos saccos intret, ac *herniae* speciem *cerebrinae* constituat (§. 737.); docuit etiam experientia: medullae spinalis portionem, et (quae *ad lumbos*, a multis quondam pro tali, scilicet dissoluta, per errorem fuit habita) caudae inprimis equinae filos nervosos, in saccos e specu vertebrali prominentes, aberrare, urgeri, ac ibidem *herniae medullaris, nervosae*, specimen constituere. Exemplum sacci, pugni magnitudinis, prope corpora vertebrarum lumbalium, quarum prima et secunda, in viro, ex alto in dorsum delapso, penitus consumtae fuerant, comparentis, albi, medullam lumbalem continentis, seu *herniae medullae lumbalis* verae, in novis actis physico-medicis continetur.

Hydrorrhachia vero *dehiscens*, etsi ad lumbos sit frequentior; in quavis tamen vertebra, — saepe satis in pluribus, — interdum simul in omnibus, locum habere suevit; atque illam proinde primo, in *partialem*, secundo, in *generalem*, — illam vero, ratione positionis, in *cervicalem*, *dorsalem*, *lumbalem*, *sacralem*, atque *coxigeam*, — has autem varietates singulas, tum in *simplices*, tum vero, eo quod *hydrocephalus* (§. 737.) haud raro cum H. dehiscentis divisio.

specus vertebralis hydrope junctus incedat, in *complicatas*, dividimus.

Quas nos hydrorrhachias dehiscentes vidimus, eae omnes vel ad dorsum, vel ad lumbos haerebant. Etsi vero perraros esse in suis regionibus hydrocephalos et aqueos spinae tumores, monuerit quondam immortalis *Italiae* Anatomicus; plura tamen utriusque mali *specimina* apud *Insubres* a nobis conspecta, et publicos in usus conservata fuerunt. Utplurimum integer tumor spinae et occlusus est, ut vesicam, in qua fluctuatio subinde percipitur, referat, aliquando pellucidam. Hinc inde tamen membranae medullam spinalem in loco tumoris cingentes saccumque efformantes tumidae et crassae sunt. Alias vero in medio tumoris, cutis cum epidermide deesse visa est, et quasi ex ulcere, continuo humor quidam acris effluit. Caeterum cum digitis vertebrae lumbi duriores, prominentes, ut duplicem quasi in eo loco spinam diceremus, sentiuntur. In medio, ac ad fundum tumoris, post mortem, *hiatus* variae figurae, rotundus, oblongus, reperitur. Exemplum tumoris, in *Galliae* diario medico, describitur, qui, cerebri ad instar, *sub inspiratione tumebat magis*; *sub exspira-*

tione vero detumebat, subſidebat. Simile, in novis actis Academiae N. C. exemplum legimus infantis, in qua, praeter hydrocephalum, singulae lumborum vertebrae dehiscentes, tumorem, integumentis communibus destitutum, et propria tunica inclusum, *sub ejulatu* vero, vel *sub inspiratione inflari solitum*, obtulerunt. Tertium hujus phaenomeni exemplum, brevitatis studio reticemus.

Cum nec spinalis medullae truncus, ultra secundam lumborum vertebram facile descendat; sed, orti jam ex ipso nervi in latera certo ordine se demittant; nec ipse tubus, quem dura mater specui vertebrali largitur, ad infimam et *hiantem* ossis sacri partem, sub statu sanitatis, penetret; aquarum copiae, ac ponderi conspicuis, dictum tubum ad inferiora, exterioraque distendentibus, tribuendum est, si loco tam profundo, ut aliquoties id contigisse certum est, tumor aquosus oriatur. Summi certe momenti *Itali* chirurgi observatio est, sub qua, in hydrope specus vertebralis, a causa tamen externa, quadrienni in puero, veniente, tumor ad *os coccygis*, eo quidem cum successu adpertus fuit: ut mox ichor pallidus efflueret; ut, cum superstes hydrocephalus manu compri-

meretur; dictus ichor ex artificiali hoc in coccygis regione foramine prosiliret; atque ut infans, longiore istius sub effluxu, capitis mole indies decrescente, sanitatem obtinuerit. Etsi vero alter, infantis hydrorrhachia *sacrali* adfecti. et per susceptam tumoris punctionem servati, casus, a medico *Germano*, conspicuo quondam, memoriae traditus, *cellulоso* magis durae matris spinalis *hydropi* adscribi posse videatur; cum tamen specierum hujus mali coeterarum, ope manus chirurgicae sanatarum, *nec unum quidem* exemplum exstat; consolationis aliqua saltem umbra nobis, in facta hic ejusdem mentione, conceditur. Nec sane artis salutaris hanc pauperiem mirabitur is, qui, ut hydrocephali, ita hydrorrhachiae communissima in utero materno incunabula, et, quae infra referemus (§. 749.) ,alia, consideraverit.

Ipsius *fissurae* vertebralis, fere lacerae, configuratio, inaequalitas, extensio, externam tumoris, per illam assurgentis, egressi, formam habitumque determinant. Minimum aliquando, nec majus, quam quod granum ciceris admiserit, foramen in vertebra, — hinc tumor etiam externus haud multo amplior, conspectus fuit. Ubi plures simul ver-

tebrae divergunt: illinc tumor, fissarum longitudinem vertebrarum, si non excedat, emetitur, et a pedunculo, non ut primo in casu, angusto, sed multo largiore, haeret atque pendet. Hinc varia (pro ipsa, qua secretio morbosa vertebrarum in specu contingit, promptitudine, pro aqueae columnae in ossicula vertebralia inferiora prementis altitudine; pro vertebrae dehiscentis resistentia, et pro mali ipsius aetate) tumorum istorum, et a pisi, vel nucis avellaneae magnitudine incipiendo, ad pugni, etiam duplicis, amplitudinem ascendens, moles esse consuevit. Ex frequentibus vero, quae ad basin tumoris conspiciuntur, *rugis*, inaequalis sacci, ex vertebra, forsitan etiam cariosa, egredientis constrictio, distractio, eruatur oportet; nec idcirco, si istius, ad pedunculum vix non strangulati, *gangraena* saepius occurrat, mirabimur. Cum vero defectus non tantum in vertebris, sed et in *integumentis*, quae, dum omnia deficiunt in adfecta parte, tenuem membranam rubellam, medullam spinalem obtegentem commonstrant; ubi vero cutis quodammodo remansit, crassiorem et coloris varii tunicam, nunquam vero, nisi parvus esset defectus, ut Vir eximius monuit, cutem

veram offerunt, existat: exspectabimus sane, vel ipso sub partu frequenter, vel saepe mox ab isto, vel quidquam tardius, a nixu, decubitu supino infantis, aut a rudi contrectatione, tumorem hunc *rumpi.* Sunt interim, quibus, a nativitate hoc a morbo vexatis, sub majore cautione, cutis, gradatim quidquam condensata, plures, et viginti adeo per annos, tantae distensioni reluctetur; donec inflammatione erysipelatosa praegressa, vel et sine hac, in *gangraenam* conversa, dirupta, humorem omnem, ipsa cum anima, mediis sub convulsionibus, lipothymiis, ac vomitu profundant. Quae interea ad fistulae vertebralis penetralia contigerint: tum iidem humores profluentes, nunc scilicet ichorosi, nunc puriformes, purulenti, nunc sanguine tincti, nunc adeo foetentes, satis evincunt; tum detecta nonnunquam integumentorum inflammatio, devastatio, et ipsius medullae spinalis mollities, laxitas, corruptio, vel absentia et quasi consumptio, abunde docent.

Uterini quidem hominis morbum hydrorrhachiam vocari fas est; ac si aliquo tantum a partu tempore ea primum comparuerit; latentia in foetu mali vestigia interea evoluta atque magis perfecta fuisse verisimile est.

Viri interim quinquaginta quatuor jam annos nati, ob furioſa et diuturna deliria pro maniaco declarati, ac tandem cum ſpina bifida defuncti hiſtoriam rariſſimam in citata ſuperius oratione academica tradidimus.

Cum hydrocephalo, ut monuimus, frequenter quidem, ſed, ſectionum pathologicarum teſtimonio, certe non ſemper, hydrorrhachia incedit. In ea, quam *dehiſcentem* vocavimus, ſi multum aquae in cranio haeret: hoc ipſo conſtricto, tumor ad vertebras, — atque hoc ultimo compreſſo, moles capitis, aliquando augentur. Sic etiam ubi *duplex* e ſpina tumor aquoſus prominet: compreſſo uno, alter, magis tenſus, aſſurgit. Experimentis etiam cognitum eſt: protinus multum ex capitis volumine minutum fuiſſe, ſi lumborum tumor ſcalpello diviſus, et humor emiſſus fuit. Glutinata vero iterum illa plaga, capitis moles evidenter denuo increvit; manifeſto ſatis mutui commercii inter aquas, ad cerebri ventriculos, forſitan ac ſimul vertebrarum in ſpecu latitantes, argumento.

Symptomata hydrorrhachiae *incolumis*, ambigua ſunt. Eorum partem ſub ſpeciei hujus recenſione jam expoſuimus. Multa haec **Symptomata h. incolumis.**

cum hydrorrhachiae *dehiscentis*, si tumorem ad columnam vertebralem excipias, et cum *apoplexiae*, imprimis *serosae*, non illico lethalis, sed in paralysin terminatae, phaenomenis communia habent. Cum humor morbose vel in fistula vertebrali secretus, vel a capitali, seu prima vertebra, ut cranium vocamus, illuc delatus, vel utroque loco progenitus, primo tempore, ponderis sui ratione, nisi causa, hucusque incognita, impediat, profundiora magis spinae loca petat; quousque ejus copia moderata est, ad artus inferiores, ad vesicam, ad ani sphincterem, effectus suos, scilicet frigus, lassitudinem, memores, torporem, sensus, aut motus, contractionis abolitionem, prodit. Assurgente vero magis aquarum, in ea specu, columna, praeter ista, tum brachiorum, tum ventriculi, tum etiam thoracis nervi ex spinali medulla oriundi, in consensum trahuntur: et subsultus tendinum, convulsio ad brachia, vel omne ad corpus, ardor, dolor gravativus aut pungens ad nucham, vel ad spinae longitudinem, extrema corporis infirtritas, paraplegia, aliquando vertebrae unius vel alterius, dorsalis imprimis, et costae huic adnexae, distorsio, sterni ex ea

parte elevatio, dyspnoea, subinde vomitus, oriuntur. Nisi tamen aut lapsus in dorsum, aut hujus refrigeratio, aut vehementior trunci concussio, aut columnae vertebralis laesio, contusio, aut signa *Spinitidis* (§. 141.), aut praegressa cerebri inflammatio, cephalaea diuturna vel atrox, morbi soporosi, hydrocephalus ipse forsitan praevius; lucem quandam accenderint; parum sane certitudinis morbi hujus diagnosi accedit. Sic, non ita pridem, nostro, pro illustri matrona, septuaginta tribus jam annis majore, expetito consilio: cum tabe senili et febre lenta illam laborare satis esset apertum; ob alvi tamen constipationem pertinacissimam, ob cruris utriusque paresin, ob urinae fluxum continuum et voluntatis imperio subtractum, ac postremo etiam ob ani sphyncterem prorsus resolutum, latere aliquid in specu vertebrarum, quod nervos harum partium comprimeret, suspicati sumus; quam tamen suspicionem, sectio cadaveris, ad cujus medullam spinalem non major ac semper a morte invenire est, aquae portio, vix drachmae ponderi aequalis, detecta fuit, ut vanam rejecit; nec in quinque illis aegris, quorum cadavera nobis inopinantibus conspicuam seri

in specu vertebrarum copiam largita sunt, partim hydropicis, symptoma ullum fuit, quod non aeque a morbo principali, quam a medullae spinalis adfectione, derivari potuisset.

H. dehiscentis. Hydrorrhachiae *dehiscentis*, ad imaginem ejus in superioribus depictam, sat aperta est diagnosis; non tamen eadem ubique sunt symptomata. *Intortis pedibus* nasci, qui hoc vitio notati ex utero prodeunt, frequenter quidem, sed a longe non semper, ut aliqui voluerunt, verum est. Artuum quidem inferiorum, vesicae urinalis, et partium quae nervos ex lumbali medulla accipiunt singularum *paralysis*, communis et hujus hydrorrhachiae effectus est. Cum interim pars una ex illis resoluta observatur; miramur saepe, alteram, quae eodem medullari ex fonte hauserit, prorsus manere intactam. Puellae, spina bifida laborantis exemplum exstat: quae vesicae urinalis et musculorum intestini recti, perpetua adfecta erat paralysi; cum interim artus inferiores, nec motus, nec sensibilitatis ullum defectum paterentur. Cum hydrorrhachia, ut legimus, infans, qui ex tumore, sub partu dirupto, quotidie aliquot aquae sanguinolentae uncias, — per vesicam, nec

guttulam lotii excrevit. Caeterum vero idem hic infans, prout sani solent pueri, ubera sugebat, nec artus ejus inferiores erant paralytici; cum die quinta convulsiones, et ab istis, mors ipsa, insecutae sint. Alter infans, licet tumor sub ultimis temporibus ad lumbos fuisset tam magnus, ut circumferentia ejus circularis habuerit septemdecim pollices rhenanos, utque tandem involucrum ejus, ut refertur, eo gradu extensum esset, ut vesicae porcinae instar aqua repletae, plane pellucidum appareret; non tamen destituebatur facultate movendi membra, nec justa istorum proportio, nec animi facultates defuerunt. Alii, debilitatem modo aliquam ad crura manifestant; ut igitur, ex defectu paralysis ad hanc partem vel illam, tumorem spinae mollem non esse hydrorrhachiam, neutiquam possit concludi. Variare autem oportet symptomata, prout altius aut profundius tumor haeret; ac prout plures aut pauciores nervi medullae spinalis adfecti sunt. Vertebrae in puero *Vindobonensi*, a sexta thoracis ad os sacrum usque dehiscebant: omne jamjam, quod infra hunc locum fuit, erat paralyticum. Multi etiam hydrorrhachia correpti, corpore debiliores ac parum

nutriti; alii vero sat robusti sunt ac vegeti; nec, si paralysin forsitan, ac tumorem per annos jam auctum, excipias, aegrotare videntur. Fuit infans, qui in principio nullum ad artus inferiores, valde macros, motum ediderit; postea vero, cum obesitas his accessisset, ad motum redintegrandum illi vires receperunt. Nervos ischiaticos aliquando post hunc morbum in omnibus optime constitutos detexit culter anatomicus; et a diversis filamentis caudae equinae, vel a portione hac aut illa medullae spinalis, nunc magis nunc minus extensis, compressis, vexatis pendet partis nunc hujus nunc illius, aut major, aut minor, aut nulla paralysis. Cum in spinae bifidae tumore magnus quondam *Bataviae* Anatomicus medullam spinalem defecisse, et in aquaeam substantiam degenerasse, cum multis aliis, credidisset; infra eum tumorem tamen superioris, abruptam modo, continuationem bene constitutam detexisset; ex hac ultima, cur quidam aliquatenus in artubus inferioribus motum conservarent, explicare tentavit. Quemadmodum vero in *hydrope ventriculorum cerebri*, dum hujus visceris substantiam quondam ab aquis *consumptam, resolutam* esse putabant, sola mo-

do illius in ampliorem superficiem *extenſio*, *expanſio*, quae cerebri functiones non semper impediret, locum agnovit: ita quoque, dum *medullae spinalis resolutae*, *consumptae*, sub eorum, quae in cadaveribus detexerant, enarratione mentionem fecerunt; plerumque, nisi devastans omnia abscessus aut caries subfuerit, illius modo *expanſionem* majorem, fibrarum vero medullarium integritatem subfuisse, ac modo aliquas ex istis, modo omnes, vel ex nimia extensione, vel ex compressione, suum in partes influxum amisisse, supponimus. Rarum exstat, et hic breviter adduci meretur, puellulae exemplum: a nativitate hydrocephalo, et ad lumbos vertebrarum dehiscentia laborantis, secundo aetatis anno per sex menses, ab *ulceribus ad crura*, — octavo anno, a *pemphygo chronico* diversis in partibus adfectae, ad locum in lumbis tumentem, sub attactu, ab ingenti dolore, ad caput usque protenso, vexatae, duodecimo tamen anno a menstruis, ordinate fluentibus, salutatae, sub fine morbi, cruris fracturam, sub cauta licet corporis in lecto conversione, absque omni dolore, expertae, ac decimo quarto tandem anno, praeviis alvi fluxu, ac ingestorum vomitu, enectae.

Hydrothorax. §. 739. Hydropem *oculi*, de quo pridem vel brevissime locuti sumus (§. 151.), etsi ad species hydropis *capitales* utique pertineat, hic eo potius, quod ad morbos a *chirurgia* pertractandos, et ab hac jam optime descriptos, spectet, ad *hydrothoracis* considerationem transituri, praeterimus.

Definitio. Est vero *hydrothorax*, aquarum, in cavo a costis, vertebrarum corporibus, sterno, et a diaphragmate circumscripto, morbosa secretio, collectio, plerumque cum dyspnoea, sub incessu, decubitu supino, aut in unum alterumve latus aucta, tussi nunc sicca, nunc aquosa, urina parca, et sonitu percussi thoracis obtusiore incedens.

Divisio. Cum vero pleura, costis singulis ac musculis his intermediis supertensa, ut sedes secretionum hac in cavea et extra, principalis, has partes omnes non modo obducat; sed in duos quasi saccos inaequales, amice tamen sub parte sterni sinistra, ita ut spatia (mediastini) anterius ac posterius supersint, inter se coeuntes, dividat; et simul viscera pectoralia partim stricte, partim laxius investiat ac sinu suo foveat; vix punctum his in penetralibus a morboso immune est diluvio. Confluunt igitur, laxatis fontibus morbosis,

aquae, tum in spatiola pleuram inter musculosque intercostales cellulosa (*H. spurius*); tum in cavum pulmonibus pleuraeque intermedium, vel unum vel utrumque (*H. legitimus*); tum in antrum pericardii (hydrocardia); tum in mediastini spatia (*H. mediastini*); tum denique ad pulmonum parenchyma vel et superficiem (*H pulmonum*). Ut omnis hydrops (§. 734.), ita et *hydrothorax*, raro *primarius*, plerumque vero *secundarius* morbus, ac alterius adfectionis, vel *generalis*, vel *localis*, nunc *acutae*, nunc *chronicae*, atque hic *energicae*, illinc *adynamicae*, nunc *simplicis*, nunc vero *complicatae*, symptoma est. Quemadmodum vero alia corporis cava, ita et pectoris penetralia, latex serosus nunc *limpidus*, nunc sanguine, vel materia puriformi *tinctus*, atque is mox *independens*, mox cellulis, hydatidibus, saccis *coercitus*, alluit, pessumdat.

Symptomata hujus morbi expositur, ante omnia, haec, sine exceptione, multiloqua et infida esse, dolenter et nos, tam alienis, quam propriis in diagnosi erroribus admoniti, fatebimur. Et quidem *sedis*, qua serum in thorace restagnat, differentias plerumque sectio magis cadaverum, quam propriorum cuivis lux symptomatum, patefacit. Tanta

Symptomata.

nimirum est viscerum nobilium, cavo pectoris residentium inter se propinquitas; mutuus eorum contactus et consensus tanti sunt: ut adfecti vox unius, alterius oppressionem non minus, quam propriam, significet. Quae vero singulorum querimonias adhuc magis obtundat interque se confundat, nec non omnem internorum ad exteriora tumorem praepediat, *theca ossea* est. Quodsi demum, ab aucta valdopere aquarum copia, fornix diaphragmatis, veli tensi in modum, infletur ac turgeat; fluctuationem ille in abdomine, quasi venter mali sedem constitueret, mentitur. Non major vero quoad indolem *materiae* in thoracis caveis collectae certitudo est, nec raro, dum aquae his in angustiis haesitare putabantur; vel pus, vel sanguis sincerus, vel subtilior his vaporosa materies, educta fuerunt. Hinc, nisi cognita aegrorum in morbos a serosa colluvie anterior dispositio, nisi praegressarum adfectionum causarumque unde hae descenderint, et quem exitum assumserint, notitia hic suppleant; infirmum admodum, sola, nec prius cum illis rerum momentis serio collata, symptomata diagnosis fulcrum constituent. Pingues admodum homines quamvis hydropi non parum ob-

noxii

noxii, vel et illi, qui flatibus ac spasmis quamplurimum subjecti sunt, haud raro hydrothoracis, quo minime laborabant, symptomata obtulerunt. Nec novum est, majorem quantitatem aquarum in thoracis cavo, quam ut extremis mortis sub angustiis ea omnis hic loci effundi potuerit, sine quovis, dum aegri viverent, sui signo, repertam fuisse.

Non tam frequentem nobis *pleurae*, costis succinctae, *inflammationem*, quam quidem in febribus dolor laterum thoracis pungens, ac desumtum ab hoc, *pleuritidis*, vel *pleuroperipneumoniae* nomen designare videtur, obvenisse, jam alibi monuimus (§. 183.). Sat magnus interim aegrorum, vel ex vera pleurae costalis simul ac pulmonum inflammatione, vel ex solo illius incendio, cum hydrothorace acuto, defunctorum, et conspicuum hujus membranae ruborem, habitumque inflammatorium offerentium numerus a nobis conspectus fuit; et quae toties in demortuis visa est, cartilaginosa vel ossea pleurae densitas et durities, vel arcta ejusdem cum sano coeterum pulmone cohaesio, vel ipsas ad costas caries, quam saepe occulta hanc ad membranam inflammatio locum habeat, ab- H. spurius.

unde ostendunt. Accedit non infrequens musculorum thoracis, vel a rheumate, vel a metastasi, vel a violentia externa, sat profunda inflammatio (§ 187.); unde non difficulter sors telae cellulosae, pleurae ac musculis intercostalibus intermediae, intelligitur; et quam facile tam *acuta*, quam etiam (nisi motus et elevatio costarum ad exteriora, sub quavis inspiratione repetita, in hydrope celluloso id saepius praevenirent) *chronica* liquidorum morbose secretorum infiltratio illis in spatiis contingeret, perspicitur. Mirabimur hinc, non frequentiorem ad haec (tum ea, quam vir summus nobis exposuit, tum paucis aliis, quas apud quosdam scriptores reperimus,) serosi laticis collectionem, ac pleurae, a costis et musculis intercostalibus avulsae, in *saccum*, extensionem observari; et cui pleurae, hinc inde a costis facili labore avulsae, — cui sanguinis, post externas violentias, inter pleuram et costas effusionum, — cui *herniae pulmonalis*, a pleura inter costas, exteriora versus, vel ipsis cum musculis contiguis, vel his laesis, erosis, destructis, solius, in saccum assurgentis ac pulmonis portionem suscipientis, historiae non ignotae sunt: is pleuram non minus i

cavum thoracis, quam extra hoc, extendi, ac liquido quocunque impraegnari posse, facile concipiet. In eadem pleurae costalis tela cellulosa externa, non minus ac in illa, quae hanc membranam cum diaphragmatis superficie thoracica connectit, purulentum aliquoties humorem detexit celebris *Goettingensium*, dum viveret, Anatomicus. *Galliae* medicus conspicuus, in hydrope universali, pleuram sinistri thoracis quasi *anasarca* laborantem, et aquas inter ejus lamellas cellulosas adeo interjectas, ut crassitiem ejus membranae ad octo lineas augerent, observavit. Pleuram sinistram aqua turgentem, costas ad latera elevatas, plus minus horizontales, diaphragma versus abdomen depressum, pulmonem vero ad molem tam exiguam, ut placentam uterinam referret, redactum, in vetula detexit magnus *Bataviae* Anatomicus.

Adolescens, cum dolore fixo in sinistro pectoris latere, dyspnoea, tussi indies crescente, oedemate pedum, pulsu debili, inaequali, morteque tandem subitanea, periit. Secto cadavere, septem circiter librae seri in pectoris latere sinistro inventae sunt, quas rupta vesica sacciformis, parti posticae adhaerens, continuerat. Alio in exemplo, dolores

punctorii in latere pectoris dextro, cum tussi sicca notabili, febre hectica et macie successiva praecesserunt. Post triduum, difficultas spirandi, a decubitu in latus sinistrum adaucta, nullum pondus in diaphragmate, levis tumor dextri lateris, et dolor a pressione inter sextam et septimam costam, occurrerunt. Crescente admodum anhelatione et debilitate, tricuspide acu in partem dolentem adacta, quatuor seri librae eductae sunt; unde destillante continuo sero, aeger sublevatus, plures per menses supervixit. Pleura post mortem a costis in tota lateris dextri longitudine sejuncta inventa fuit.

Raro nimis *spurius hydrothorax* medicis oblatus fuit, quam ut propria. Huic speciei symptomata, experientia ducti, indicare valeamus, et pauca illius exempla, satis conspicua, ex cadavere magis desumpta ac partim sine morbi historia nobis tradita fuisse dolemus. Donec igitur haec artis medicae lacuna expleatur, — nisi praegressae, atque nec resolutae, nec etiam suppuratae pleuritidis (§. 187.), sine febre lenta, *abscessui*, vel *empyemati* propria, in majorem sensim dyspnoeam conversae phaenomena rem indicent; nos, soli ratiocinio parum confidentes,

aliis symptomatum decursum probabili conjectura prosequendi facultatem committimus.

Multo sane frequentius, ac vulgo creditur, *hydrothorax legitimus*, saepissime alterius morbi, tam acuti (pneumoniae exemplo), quam chronici (imprimis asthmatis, suppurati pulmonis, et praecordiorum aneuvrysmatis), soboles occurrit. Non mirum hinc esse dicamus, si morbi, etsi minime adesse suppositi, principalis tamen, phaenomena, toties hydropi pectoris, omni in hunc solum attentione conversa, falso adscripta legantur. Hydrothor. legitimi.

Hydropis pectoris acuti, ex pulmonum inflammatione oriundi, symptomata jam alibi ex propriis, copiosis nimis, observationibus descripsimus (§§. 126. 131. 186.). acuti.

Vel alia et manifestior *chronici* hydropis species, illum pectoris praecedit, comitatur; vel solus hic scenam aperit, coeterasque tardius provocat; vel et solus claudit. In primo casu, morbi diagnosis minus quidem habet incertitudinis; nec tamen omnis errandi occasio deest. Cum scilicet ascites prius hominem tenuit, spiritus difficultas ab intropresso diaphragmate et costis inferioribus plus justo elevatis et a musculis abdominis retentis produci potest. In eo saltem mino- chronici.

rem fraudulentiae gradum hydrothorax *chronicus*, prae *acuto*, manifestat: quod, cum iste, sine alio, quam cujus symptoma est, inflammationis nempe localis, signo, inopinantes aegros adgreditur et opprimit; ille plerumque modo homines jam diu ad sui receptionem praedispositos, laxos scilicet ac debiles, valetudinarios, viribus, per morbos altioris indaginis, imprimis per diversa nobilium humorum profluvia exhaustos, asthmaticos, visceribus obstructos, phthisicos, scrophulosos, helluones, vitae sedentariae plus aequo indulgentes, literatos, vel quondam jam hydropicos, occupet, incessat. Hydrops ex asthmate, vel pedetentim ex adfectis pulmonibus, pericardio, ortus, ex rubore et livore nasi labiorumque, atque ex vasorum oculi varicosa dilatatione cognoscitur. Imprimis igitur, ubi minus clandestina est morbi, manifeste socialis, invasio, et sub signi astheniae communibus, pedum oedema, hydrops cellulosus, *scroti* maxime, vel et universalis, praecedunt. Sequuntur autem sub facie quidquam pallida, tumidula, labr subalbidis minusque turgidis, sub oculis la guidis, ponderis ad pectus sensus, spiran difficultas insolita, sub tempestate humid

quam sicco frigidoque coelo, major, vox, sub longiore, clariore quidquam locutione, intersecta, anhelosa, tussis sicca, vel spumosa, aliquando etiam, etsi hoc negatum fuerit, cruore tincta, decumbendi vel supine, vel in unum alterumve latus molestia, imprimis a pastu major, impossibilitas, thoracis in uno latere conspicua magis convexitas, aut costarum adeo inter se aucta jam distantia, disjunctio, urinarum, sedimento lateritio instructarum parcitas, turbiditas, pulsus saepe vibrans, et, quasi plethora subesset, plenus ac durus, utroque in brachio non semper sibi aequalis, sub majore pectoris oppressione parvus inaequalis, inordinatus ac saepe intermittens. Minor gradus *anasarcae* majore saepe cum dyspnoea, quam maximus *ascites*, conjunctus est; atque si hac sub rerum conditione, aeger, vel leviore sub corporis motu, sub ascensu scalarum non rapido, ab insultu quasi asthmatico ex improviso invaditur; vel thoracis cavum, vel parenchyma pulmonum hydrops non facile non occupat. — Sed nullus haec spirationis obstacula hydrops externus praecedat! sequatur vero, sub illis, pedum, sublevans dyspnoeam, oedema! — hoc vero disparente,

revertatur et pectoris, sub pulsu tremulo, vermiculari, inaequali, ac intermittente, oppressio! — magna tunc sane laticis serosi, pulmones circumambientis, obsidentis, nascitur suspicio.

Fallaciae. Ne tamen igitur, quod hic libenter repetimus, de his te *certum* atque convictum esse praesumas, experientia multorum, et nostra, pectus etiam aqua turgidissimum, subinde tamen absque evidente negotio ac libere spiritum duxisse, vetat; ut igitur, ubi *multam* in pectore quaeris aquam, saepe nulla sit; — ubi *nullam* supponis, quamplurima hic haereat, atque tuam, quantacunque superbias experientia, confundat et nimis humiliet sapientiam. Virgo omnem thoracem aqua virosa repletum, ad mortem usqua libere respirans, habuit. Humili semper situ libere decubuit, et loca acclivia sine impedimento scandit adolescens, in cujus tamen cavo thoracis dextro librae tres, in pericardio vero libra integra seri detectae fuerunt. Lanionis exemplum Vir magnus adnotavit, qui humili capite, et in utrumque latus assidue jacebat, neque ulla unquam difficultate spirandi laboravit; utrumque tamen pectoris cavum aquis impletum a morte exhibuit.

Progrediente interim morbo, ac singulis, quae huc faciunt, probe consideratis, major utique diagnosis fit securitas. Quod scilicet *independens* in thorace commoratur, morbosum liquidum, hoc, suo pondere ad ima pectoris primum dirigitur; in eo hujus loco, in quo diaphragma mediam et infimam corporis regionem dividit, stagnando, appendices septi transversi distendit ac irritat; atque sic immanem non paucis aegris dolorem ad lumbos inducit. Non toties interim ac aquae huc descendunt, hic dolor se manifestat; sed plures aegri *sedendo* magis pectus sublevare amant; supinam autem corporis positionem, quo magis possunt, evitant. Copia vero aquarum sensim adaucta, oportet sane, nisi pleurae conspicua cum pulmone concretio id impediat, ut gravior illarum columna diaphragmati incumbens, hoc ipsum, sub sensu ponderis admodum molesto, ut jam supra monuimus, abdomen versus deprimat; ac non minus hujus cavum, ab aquis etsi adhuc liberum, attollat; sed et exspirationem aegri plenariam praepediat. Quodsi nunc supinum hic corporis situm sibi eligat; ubi aquae utrumque thoracis cavum inundaverint; prae anxietate ac tussi retinere hanc positionem

non potest. Si uno tantum cavo illae restagnent; ne, depresso ab iis in antrum pectoris sanum mediastino, istud simul angustetur, in hoc modo decubitus, non in alterum, nisi forsitan pulmo hic cum pleura plurimum concretus, aut alio modo adfectus, hoc etiam solatium recuset, aliquamdiu conceditur. Etiamsi vero tanta latitantis in cavis pectoris aquae sit quantitas: ut illa ipsas adeo costas dimoverit, et ad exteriora nonnunquam coegerit, quin ipsam adeo columnam vertebralem incurvaverit, atque hinc diaphragmatis tensionem adhuc magis adauxerit; quamvis ipsos pulmones ab aquis angustum in spatium compressos saepenumero nos quoque conspexerimus; non tamen anxietas aegrorum ac pectoris oppressio ubique ponderis et copiae aquarum rationem sequuntur; sed saepe minor istarum quantitas, majora aegris his, quam copia longe abundantior aliis, incommoda parturit. Non tam rarum est, cavo pectoris ab aqua repleto, exterius quoque, circa musculum latissimum dorsi, ad costas oedema comparere. Frequentius tamen, nisi hydrops cellulosus exterior simul adesset, hoc signum defuisse observavimus. De brachii ad latus adfectum stupore vix non idem

dicendum habemus; saepe tamen brachium, imprimis manus, ad dorsum, intumescit.

Excitatio subitanea.

Pro signo hydrothoracis pathognomonico, et quo solo pectoris hydrops a ceteris difficultatis respirandi speciebus distingui posset, habitum fuit, si aegri, qui plures saepe noctes sat commode transegerunt, quasi perterriti expergefierent, extreme anxii et aeris liberioris cupidi ad fenestras januasque confugerent, et suffocationis timore perculsi, amicos invocarent, manus pedesque frigidos offerrent, et post horas demum aliquas, vel primo plerumque diluculo, aliqua iterum quiete, sub magno tamen languore fruerentur. Ac revera, tam frequenter id signum hoc in morbo occurrit: ut eodem quidquam provecto, interdiu etiam non paucos ad extrema usque perducat. Ast vero, quod multae tum aliorum, tum et nostrae observationes docuerunt, nec semper haec praecipitosa e primo somno excitatio in hydrothorace occurrit; nec in solo hoc morbo illa observatur; nec etiam, dum se hic manifestat, illius adeo, quam *vitii ad praecordia organici*, est soboles. Quoties scilicet signum illud observandum se praebet: toties quoque tam facies, quam labra simul, colore rubro aut li-

vido instructa, tument; et vasa oculi, splendentis, lachrymantis, quasi sanguine injecta sunt; quae singula symptomata, ex *cordis* magis et vasorum majorum *adfectione organica*, quam ex aquae in cavo thoracis collectione, quae interim simul adesse potest, repetenda veniunt. Ad cordis palpitationes pulsusque arteriarum inordinatos, intermittentes quod spectat, fatemur, haec symptomata non magis de cordis vitiis, quam de sanguinis interceptione, per quamvis causam aliam, etiam leviorem, facile producenda, testari, atque hinc esse ambigua. Neque hoc etiam hic reticendum est: quod si, comparente in hydrothorace subitanea illa ex primo somno evigilatione, cordis simul morbi organici, copiosis sub sectionibus cadaverum sese manifestaverint; quaestio tamen non exigui momenti, num scilicet haec vitia cordis, hydropis illius vel *causa*, vel, aliquando saltem, hujus morbi, saepe tam diuturni, atque cruoris per pulmones transitui tam aperte contrarii, *effectus* fuerint? formari omnino queat. Quidquid interim fuerit; excitationis tamen ex primo somno subitaneae phoenomenon, hydrothoracis, saltem simplicis, signum certum non esse, ex dictis eruendum est.

Aliud hydrothoracis signum, vel ab ipso medicinae parente magni habitum, *fluctuatio aquarum* in thorace, vel solis ab aegris, vel ab adstantibus adeo percepta, est. Fuit interim, qui omnem ex aquarum motu sonitum in cavis pectoris, quod nullus in his aer sit, rejecerit, illumque ex ventriculo, qui aerem et aquam contineat, derivaverit, vir celebris; et quod alibi adduximus exemplum mulieris, a prima juventute, quoties id vellet, sola corporis sui in transversum succussione celeriore, sonitum fluctuantis in pectore aquae excitantis, quam fallax sit ex auribus ad locum, et ad causam sonitus judicium, satis confirmat. Nihilosecius sua *perceptionis* apud aegros stat auctoritas: dum, quoties vel ex uno latere in aliud se volvunt, undulationis sensum in profundo pectoris accusant; aut quoties positionem corporis erectam cum situ supino commutant, aquas sibi ad pectoris superiora ascendere monent. Ad *sonitum* quod pertinet, illum, ac ipsum adeo *sibilum*, etiam a corde, sub aneurysmate fortiter palpitante, et a sanguinis columna difficulter per ostia illius, aliquando coarctata, in arterias projicienda, quin aer hic adsit, auribus, ad certas adeo distantias, per- Fluctuatio in pectore.

cipimus. Tum aegrorum igitur, tum clarorum virorum, tum nostras quoque aures, ad quas aquarum in hydrothorace legitimo motus ex pectoris penetralibus haud raro pervenisse est visus, non ubique erroris accusandas esse credendum est; praecipue, cum saepius in ipsum hoc signum inquirentes, in multis sane aegris illud percipere vel minime potuerimus. Quoties nimirum pectoris cavum vel ab aquis jam nimis repletum, vel, ob adhaesionem pulmonis cum pleura, intersectum est; et quoties aquae aut nimis densae, aut hydatidibus commistae, aut cystidi inclusae sunt: toties fluctuatio illarum locum habere non potest.

Percussio thoracis.

Diu nimis ad lectulos aegrorum, *thoracis* hoc in morbo *percussio*, ut magnum certe diagnosis in eodem momentum, neglecta fuit. Alium omnino magisque obtusum *sonitum* thorax ab aquis repletus, quam ab illis vacuus, expertis satis auribus offert; atque solo hoc signo innixi, tam clarus ac nobis quondam amicus *Vindobonensium* medicus, quam illustris *Galliae* nunc archiater, qui illius docti viri de percussionis thoracicae subsidio scripta in suae gentis utilitatem proprio idiomate condecoravit, non paucos, eos-

que gravissimos thoracis morbos rectissime judicarunt. Dum vero idem hoc diagnosis subsidium vel optime cuivis commendandum esse credimus; non ideo hoc ipsum, ab illis ipsis impedimentis, quae aquae in pectoris cavis fluctuationem intercipiunt, liberum declarare, et in obesis aeque, ac macilentis in hominibus successurum esse contendimus.

Sub media hac diagnosis incertitudine crescit indies aegrorum calamitas. Quem tam saepe alius, imprimis cellulosus, hydrops producit, hic ipse nunc alias hujus indolis species post se trahit hydrothorax. Pedes nempe, ac imprimis scrotum, nisi prius jam intumuerint, plerumque nunc ab aquis infarciuntur; manus una, rarius et altera, jamjam magis intumescit; brachium idem saepe simul imperfecte resolvitur. Sub urina scilicet indies parciore, brunea, ex atro rubella, cum sedimento furfuraceo, lateritio, si morbus longiorem in moram protrahitur, ipsum quoque abdomen inflatur, fluctuat, ac ulteriorem septi transversi descensum sic impedit: ut medias hoc inter aquas utrimque suspensum, tensum et vix non immobile, torpescat. Atque nunc, aquis nimirum in utroque thoracis cavo collectis, de cubitu in

lecto actum est, et aeger diu noctuque sedili infixus, prae tumore monstroso hoc implens, nec verba quidem absque anhelitu proferre, nec somno vires refocillare, nec tamen, pendente in pectus capite, soporem molestum stupidumque arcere potest. Pulsus, hac sub rerum positione, saepe vix sensibiles, nec ordinem, nec rythmum observant; extremitates algent; crescit anxietas, frigus magnum aegros perstringit, linquuntur animo, iterumque ad se redeunt; ac tandem, media sub spe convalescentiae, repetito, quam toties superarunt, orthopnoeae insultu, vel et sine hoc, quin adfines id advertant, animam efflant.

Varia, post mortem, in cavo thoracis liquidi morbosi est quantitas et conditio. A libra una, ad decem et ultra, illam non raro reperimus. Est vero, ubi octo, vel decem unciae (celerius, ut videtur, huc depositae jam aegros suffocaverint. Pellucidus hic et subflavus, alias virescens, aut turbidus et crassus, in *chronica* adfectione, in *acuta* vero, plerumque puriformis, filis albis, ac pseudomembranulis remistus, vel et pauco cruore tinctus est. Quem pro *chylo*, pectoris in cavum effuso, quondam habuerunt, *puriformis* po-

potius is humor fuisse videtur. Saepius nos pulmonum lobos inferiores inflammatos, ad magnam circumferentiam cum pleura diaphragmatica concretos, atque hac simul membrana cum ipso diaphragmate inflammata, copiosum serum puriforme, quasi proprio in sacco, inter pulmones et septum transversum formato, collectum, auditoribus nostris ostendimus. Vel inter ipsos pulmonum lobos, exterius per coagulum lymphaticum inter se conglutinatos, copiosum serum stagnabat, non nisi vi aliqua separatis a se invicem pulmonum lobis, relicta, quasi maxima vomica, materia modo puriformi, sine omni laesione substantiae, obducta, effluxurum.

§. 740. Res ardua est, morbos sibi maxime adfines, quin color unius, cum alterius colore confluat, depingere. Talis nos, *hydropericardiae* imaginem adumbraturos, difficultas premit. Hydropericardia.

Neque enim hic morbus, quin aquae simul aliis thoracis in locis collectae sint, facile se offert; atque si aliqua passim *hydropericardiae solitariae* exempla referantur ab aliis; nos ipsi, quibus centies et ultra *com-* Diversitas.

plicata se obtulit, nec unum quidem specimen, nec *hydatides*, quas alii pericardii tum exteriori, tum interiori superficiei, quidquod, ipsi cordi adhaesisse conspexerunt, observavimus. Hac vero sub rerum complicatione, symptoma, quod ad hanc potius, quam illam hydropis ad speciem pertinuerit, assignare, difficilis res aleae est. Soli vero cavo pericardii aquae inhaereant! — Si tamen, quod saepius contingit, causa hujus hydropis, vel cordis, vel vasorum majorum organico in vitio resideat; symptomatum hujus vitii, cum effectibus hydropis ipsius confluxus, diagnosin non minus confundet, et quo suum cuique tribuatur, impediet. Est etiam non exigua Hydropericardiae in eo, num *acuta*, num vero *chronica* sit, differentia. Frequentissime illam in pneumoniis acutissimis observavimus; quo scilicet in casu, num soli pulmones, num simul pericardium sub sterni regione mali sedem constituerent, multoties ambiguum fuit. Nec pauca hydropericardiae solitariae, ac sine praecordiorum offensione exortae exempla, symptomatum decursum sibi semper aequale offerunt; sed pro ratione vel *causae*, nunc stimulo majore, nunc virium dejectione

adversae, — vel *copiae* aquarum morbose secretarum, nunc minoris, ad sex, aut novem uncias, nunc majoris, ab una ad sex vel octo libras, — vel *morae*, qua secretio haec contigit, nunc brevioris, nunc longioris, vel *subjecti*, ac, forsitan, *indolis* liquidi, haec in loca depositi, diversum agnoscunt. Cum propriae nobis desint; liceat aliorum quasdam *Hydropericardiae solitariae*, quae hanc rem illustrent, historias hic breviter adduci!

Sic hydropericardiae solitariae memoria, in actis medicorum *Suecicorum* conservata, virginem nobis sistit juvenem ac robustam, menstruis duobus a mensibus privatam, cum pulsu valide vibrante, semper inaequali, facie rubore accensa, narium stillicidio, virium constantia, deliriis furiosis, febre continua remittente, cephalaea, auditu difficili, tussi sicca, ad noctem cum suffocationis periculo aucta, raucedine, pectoris oppressione ac respiratione quidquam impedita, decubitu in dorsum, quam ambo in latera, difficiliore, sub fine morbi facie pallida, pulsu ante obitum, intermittente. Atqui nusquam hujus virginis in cadavere vitiosi quid, si aquae in pericardio ad libram unam cum dimidia collectionem, ac sinistri pulmonis a tanto tumo- **H. solitariae Exempl. I.**

re in totum obtecti, compressionem excipias, repertum fuit; atque omnia *energicam* hujus adfectionis naturam abunde manifestant.

H. solitariae Exempl. II.

Sic summus quondam *Italiae* Anatomicus, alterius hydropericardiae solitariae, ab insigni ejusdem gentis medico praeclare distinctae, historiam conservavit. Sacra virgo scilicet, ex acuto morbo feliciter restituta, ut tamen alvum purgans medicamentum convalescens, pro more, hauriret, a medico vix non coacta, intestinis abhinc quinquagesies fere evacuatis, inducta siti, quamplurimum aquae ingurgitavit. Postridie, cum, residens in lectulo, vestimenta sibi imponeret, quamdam illa cordis oppressionem et animi deliquium experta est. Nunquam ex eo in integrum cessavit, sed quoties aut nimis loqueretur, aut corpus moveret, mox aucta fuit oppressio. Bonus erat faciei color, somni erant imperturbati; recte menstrua, recte alvus respondebant. Respiratio, sive staret, sive supina jaceret, sive in utrumlibet cubaret latus, aeque erat facilis. Pulsus neque tensi, neque duri, neque vibrati, nec ullo prorsus modo inaequales, nullus in pulmonum regione dolor, tussis nulla, nulla in thorace palpitatio, aut magna pulsatio, oc-

currebant. At vero, cor sibi, tanquam saxo ei imposito, gravari, atque sub loquela, sub motu, undique constringi, coarctari, aegra, cujus pulsus semper, etiam dum quiesceret, debiles fuerunt, referebat. Morbo per annum integrum extenso, ac brevi ante obitum, momentaneus punctionum ac levis convulsionis, recurrens subinde, in cordis regione sensus accusatus, pulsus vero sensim magis magisque infirmatus et quasi obscuratus fuit. Praeter pericardii, a novem unciis aquae, in eodem contentae, tumorem, et cordis superficialem erosionem, nihil morbosi in cadavere hujus virginis repertum fuit; sic, ut hunc pericardii hydropem, solius *debilitatis* effectu contigisse, dubium superesse non queat.

Sic nauta, cujus morbum acta Academiae *Petropolitanae* consignarunt, aestum, ardorem, dolorem in pectore punctorium, respirationem anxiam, tussim siccam perpetuam, accusavit. Desiit post mensem aestus; sed pectoris oppressio, dyspnoea cum suffocationis periculo, sex hebdomatum spatio increverunt, ac sputa alba, viscosa, multo sanguine admisto, rejecta fuerunt. Absque insigni symptomatum incremento in alter- H. solitariae Exempl. III.

utro latere cubare impossibile, sed in dorso jacere tolerabile fuit. Extincto aegro, pulmones versus posteriora et latera compulsi, ac pleurae valde adcreti spectabantur. Supra diaphragma aliqua portio seri flavescentis fluctuabat; partes pectoris media et anteriores laterales a pericardio valde extenso et livescente replebantur; a quo aperto, librae circiter quatuor aquae cruentae effluxerunt. Cordis superficies tota circumcirca villis magnis, longis latisque obducta, et hirta fuit.

H. solitariae Exempl. IV. Sic antecessor noster in clinico Instituto, quod *Viennae* est, antepenultimus, viri refert historiam, cui temo currus agitati in pectus irruerat. Laesio abhinc inducta non tanti fuit, quin famuli officio sex per annos fungi, homini licuerit. Incepit vero tunc difficile respirare, pectore angi, tussicula inani, maxime ad motum majorem, vexari. Diarrhoea subsecuta emolumento esse visa est; exin vero pulsus parvus ac adeo intermittere cepit: ut ultimum trimestre per vitae spatium, saepissime quinque, imo sex arteriae pulsationes deficerent. His frigus se adjunxit perpetuum et plane marmoreum. Nunquam in sex postremis vitae septimanis aeger recaluit. Hoc tempore decumbere lecto

prae angustiis non potuit, erectus semper sedens. quod sustinere quidem prae lassitudine ac debilitate vix potuit, prae angustiis tamen debuit. Crura tandem, dein et femora, oedematosa reddebantur, ut fere creparent. Frigus intensum, et ultimo vitae quatriduo, asphyxia. Excipulo insidens exspiravit. Aperto thorace, pericardium plenum tantae molis fuit: ut utramque thoracis cameram, ad jugulum fere usque, expleret, pulmonibus, in tanti sacci ambitu compressis, nec tamen duris, nec vel minimum quidem cum pleura et diaphragmate connexis. Nullus pectoris hydrops. Eductae fuerunt pericardio aquae turbidae, subviridis, quadraginta et octo unciae, dein aquae rubellae unciae viginti quatuor. Nullum cordis vitium detectum fuit.

Atqui sic nec unicum quidem ex quatuor hic allatis hydropericardiae, quamvis *solitariae*, exemplis, phaenomena nobis offert aequalia. Nihilo minus tamen symptomata vulgo huic morbo tributa, sunt: pressionis et angustiae sensus circa partem thoracis anteriorem, dyspnoea, orthopnoea, dolor lumborum, decubitus in dorsum difficilior, tussis sicca, cordis palpitatio, vel motus inter ter- Sympt. Aequivoca,

tiam, quartam, et quintam costam undulatorius, pulsuum inaequalitas, exilitas, debilitas, syncope, praecedente suffocationis quasi instantis sensu; palpebrarum, labiorum livor, extremitatum frigus, tristitia, sitis, contabescentia.

Probabilia. Quodsi quaecunque in hydropericardiae descriptionibus phaenomena occurrunt, ea, sine habita causarum, complicationum, consideratione, soli aquarum in cordis capsula collectioni attribueris; nullum aliquando a signis expositis falsum, — nullum aliquando verum non erit; atque hoc sensu, ubi plurima ex illis conspiraverint; hydropericardiae diagnosis semper, ut nos quoque saepenumero experti sumus, tam difficilis non erit. Si tamen casus, in quibus manifesta vel cordis, vel majorum vasorum, vel pulmonum vitia subfuerunt, — atque illos, in quibus aquae sat copiosae simul in cavo pectoris haerebant, a simplici pericardii hydrope separaveris; pauciora omnino, eaque non certa quidem, sed, nisi ab initio, saltem in progressu morbi satis probabilia, supersunt signa diagnostica. Potissima huc spectant: urinae, postquam multae fluxerunt, nunc paucae, rubrae, crassae, una cum cordis pondere, tre-

more, gravitate, difficili anhelitu, praecordiorum anxietate a longiore quidquam vel altiore sermocinatione, vel a corporis exercitio, mox aucta, quiete vero ac silentio restitutis, citius, quam in asthmate, et quam in hydrothorace legitimo, imminuenda; decubitus supinus, quam in latera, difficilior, praeoptata thoracis in anteriora inclinatio, pulsus debilis, obscurus, frequens; cordis quasi in aqua natantis, vel, ut mulier *Ticinensis* hoc morbo adfecta nobis rem explicuit, quasi pomi in aqua circumvolutati, sensus; concussi cum digitis sinistri et anterioris thoracis sonitus obscurus, vel nullus.

Ubi signis allatis et color plumbeus palpebrarum, labiorum, cordis magna palpitatio, pulsuum inaequalitas, frequens residendi necessitas, animi deliquia, accesserint; ea quidem, si cum coeteris conspirent, hydropericardiae praesentiae nihil detrahunt; sed praeter hanc, aliud simul in praecordiis vitium subesse, priusquam de chirurgico subsidio (§. 761.) quaestio esse possit, non injustam suspicionem movebunt. Ex ardoris, doloris sensu, hydropericardiae symptomatis adjuncto, ad latentem, vel saltem ad praegressam, in cordis capsula hydropica,

interdum adeo in ipsa cordis superficie externa, phlogosin, et ad factam, aut futuram haec ad loca humoris puriformis secretionem, conjectura saepius post mortem confirmata, concludimus. Atque hujus secretioni materiae, reperta toties cordis villosa, aut quasi pilosa constitutio, ulcerosa quasi facies, vel demum ipsius pericardii concretio nunc partialis modo, nunc vero tam perfecta, ut capsula haec incautis omnino deesse sit visa, adscribendae sunt. Variae indolis, coloris varii est humor morbose in pericardio secretus. Frequentius post morbos acutos, inflammatorios (non solius pectoris, sed, prout pluries observavimus, ipsius adeo peritonaei) albescens, et quasi lacteus, aliquando cruore plus minus tinctus, in aliis limpidus, flavus, in ictero flavissimus, in aliis viridescens, aut bruneus, atque adeo, quin solutio continui subesset, saniosus, repertus fuit. Sub tanta liquoris pericardii degeneratione, si quis eidem, imprimis post graves morbos, huc deposito, vel diutius hic stagnanti, irritandi ac vellicandi partes vicinas potentiam cum Viris doctis attribuerit; nos quoque, — non tam *cordis*, ut supposuerunt, sub hoc morbo *erosi*, fallaciae plenis, exemplis, quam illis,

quod paucus saepe humor pericardio inclusus, majores longe tumultus, quam copiosior, excitaverit, permoti, non obsumus.

Nunquam hoc in morbo pericardium sibi *tensum* occurrisse, clarus *Angliae* pathologus retulit; atque hanc tensionem modo sub cordis *diastole* exspectandem esse, sumus *Germaniae* anatomicus declaravit. Est interim ubi pericardium ad tantum magnitudinem extendatur: ut non modo pulmones, imprimis sinistrum, vix non obtegat et angustum in spatium comprimat; sed ipsum adeo diaphragma suo pondere abdomen versus deprimat, quidquod costas sibi vicinas quidquam elevet; atque si sub tanta hujus capsae expansione, resistentia ejusdem minor sit; vasorum id post mortem collapsui, nisi ipsi forsitan resorptioni, tribuendum videtur.

Hydrops mediastini.

§. 741. Communia *mediastino* cum pleura, sicut structura et indoles, ita quoque (rariora tamen) sunt vitia: inflammationes scilicet, haemorrhagia, secretiones morbosae tum seri, tum lymphae, in coagula et pseudomembranas concretionesque pronae, emphysema, abscessus, steatomata. Plus tamen *adeps* anteriori cavo mediastini cellulo-

so, quam *serum* insidiatur: ita quidem, ut nobis ipsis, hujus loci *hydrops*, quod sciamus, nunquam obvenerit; nec aliis facile solitarius, sed plerumque cum alia hydrothoracis specie junctus, conspectus sit. A posteriore quidem parte, inter dehiscentes mediastini lamellas et thoracis vertebras, vel pus, vel aquas colligi, facilis istorum per tunicae cellulosae, dorsi musculos ambientis, spatia, quo pondus proprium jam invitat, diffusio impedit; sed sub sterno, tot injuriis externis exposito, et quo loco ipsa hinc inde *pleuritis* (*sternalis*), ac summa in peripneumonia oppressio sedem toties figit, miramur utique, cur hydrops, saltem acutus, non frequentius locum habeat. Habuit tamen in infante *Goettingensi*, ex hydrothorace legitimo ac tabe defuncto, cujus inter lamellas pericardii, ac mediastini, aqua non pauca reperta fuit. Habuit in muliere, cujus nobis casum celebris quondam *Galliae* medicus conservavit. Illa nimirum, refrigerio exposita, subito a dyspnoea, tussi, ponderis in medio pectore gravis, ardoris interni, et doloris variis thoracis in locis sensu vexata fuit. Venaesectio haec symptomata moderavit quamplurimum; vigesimo vero morbi die, cum

optime se habere videretur, ac domestica negotia peragens in sellula sederet: ex improviso concidit exanimis. Aperto cadavere, inventum est mediastinum plenum sero sanguineo; quod forte rupta versus partem pulmonis superiorem membrana, hoc viscus asperamque arteriam comprimendo, aegram subito suffocavit. In pulmonis universa substantia simul purulenta (puriformis?) materia fuit reperta. Pluries serum mediastini cavo se reperiisse, magni nominis *Angliae* medicus, praeter alios, testatur.

Quamvis autem sanguinis sinceri in cava corporis effusio, ad hydropem haud spectet; haemorrhagiae tamen mediastini cava cruentantis phoenomena, hydropis his in locis contingentis symptomata illustrare quodammodo possunt. Sic diruptae arteriae bronchialis aneurysmaticae sanguinem, sub membranis, et per fibrarum interstitia, quibus arteria aspera, et magna, et oesophagus, coeteraeque proximae partes ad cavum mediastini posterius colligantur, viam sibi longe lateque aperuisse, concretumque eas membranas in tumoris modum, tum respirationi, tum sanguinis fluxui, tum denique ciborum descensui contrarium extulisse legimus. Si-

mile exemplum immortalis de sedibus et causis morborum scriptor refert: ubi ex dirupta alia aliqua arteria effusus sanguis, inter laminas anterioris mediastini, per cellulosam ejus substantiam, aditum sibi fecisse visus, ea copia, ibi praesertim, quo suopte pondere ferebatur, concrevit: ut prope septum transversum solida crassitudo mediastini digitos propemodum tres aequaret; et dum sanguis sic effusus, mediastini laminas celeriter distraheret; acerbissimus ad sternum dolor, quem *divulsivum* aeger vocabat, exortus sit. A tanta vero mediastini inferioris distensione, cor urgebatur, pulsus debiles facti sunt, corque et pulmones gravabantur adeo, ut diutius vis morbi ferri non potuerit.

Facile satis videtur ex his symptomata, quae ex aquae, in mediastini, praecipue *anterioris*, cavea collectione oriri debeant, eruere; quae interim symptomata, differentiam non exiguam ex eo, num *celeriter*, num vero *lente* hic aquae confluxerint, agnoscent. In mediastini *anterioris* hydrope, monente celebri quondam *Scotiae*, de hydrope scriptore, sub corporis positione erecta, ingratus ponderis sensus diaphragmati propior videbitur; in supina, anhelitus erit difficilior; in ven-

trem conversa, anterior pars thoracis oppressa, pondus omne feret; in latus unum vel alterum electa, in illud, quod inferius est, aquae declinare sentientur. Fatemur interim: quod aquae, primum pluribus in cellulis sub sterno custoditae, donec haec rumpantur, ac unum quasi cavum constituant, repagula, in varios quidem sensus has partes distendere, distrahere, opprimere, sed minus libere posse divagari, nobis quidem videantur. De *posteriore* mediastini cavo jam monuimus: aquas in illud depositas, et a quibus tum oesophagum, tum asperam arteriam, tum aortam tandem comprimi, impediri oporteret, non posse facile diutius in eo loco, nisi forsitan coagulum lymphaticum satis densum in illo relinquant, stagnare.

§. 742. Ipsi *pulmones* aquas non tam raro concipiunt. Harum sedes vel in *bronchiis*, vel in *parenchymate*, vel in *cystide*, *hydatide*, nunc ipsam hujus visceris substantiam, nunc modo superficiem externam occupante, constituitur. Saepius pulmonum hydrops cum hydrothorace legitimo conjungitur; aut hic ipse ex illo trahit originem. Hydrops pulmonum.

Ob acutissimum tracheae sensum, liquida H. Bronchiorum.

huc illapsa vel morbose secreta, primo suo descensu, asperrimam et convulsivam mox tussim inducunt. Primorum ordinum bronchia hac de sensibilitate quamplurimum sane participant; sed, qui haec sequuntur, inferioris subsellii rami bronchiales, hi, sine tanta saltem stimuli impatientia, a sero, muco, pure, sanguine, polyposis aliisque concretionibus saepe diu obsideri, obturari, vel adeo, in phthisicorum abscessibus, inscio quasi aegro, erodi, consumi observantur. Sub tanta vero tunicae, bronchia obducentis, extensione, sub numero vasorum, glandularum, quae eandem exornant, tam magno, ac sub vaporum continuo, et sub quavis exspiratione ex istis assurgentium copia tam conspicua, non mirabimur sane, humores serosos non minus, ac mucosos, subcruentos, extremis in bronchiis ad sat notabilem altitudinem interdum colligi, ac primo in casu, *hydropis bronchialis*, saltem *acuti*, speciem producere. Quanta sit sputorum spumosorum, aquosorum, in permultis catarrhis, in asthmate quod *humorale* vocarunt, ubertas, quanta illorum, quae pneumoniae sub initiis, saepe sanguine tincta, per tracheam expelluntur, abundantia sit, nemini medicorum igno-

ignotum est. Atque haec quidem, *profluviorum* ad classem quondam revocavimus (§§. 505-516.) Quacunque vero causa secretos jam atque depositos ultima in bronchia humores, vel obstaculo mechanico, vel spasmo, vel paralysi, viriumque jactura inductis, expelli impediverit; *retentionibus* illa serosis his angustis in locis ansam dare potest. Hinc frequentibus catarrhis obnoxius Vir, sacrae purpurae splendore conspicuus, febre, ut legimus, catarrhali epidemica extinctus, graves habuit pulmones; sed a catharrhali materia, quam continebant, multa passim a bronchiis, quacunque incideres, erumpente. Post *cynanchen laringeam*, homini icterico lethalem, liquidi serosi, turbidi, subflavi, cui pelliculae albescentes innatabant, sex uncias et ultra, ex discisso ramo bronchiali majore cum impetu effluxisse, *Ticini* observavimus (§. 173.). Similes ejusdem cynanchis reliquias serosas in bronchiis, acta societatis R. medicae *Parisiensis* adnotarunt.

Aiquando vero liquidum serosum, puriforme, eodem in morbo atque in *tracheitide*, colligitur retro *pseudomembranam*, laringis, tracheae internae faciei adcretam (*Hydr. bronch. spurius*); atque huc magni quondam Hydr.bronch. spurius.

medici *Parisiensis* observatio pertinet, dicentis: „cuidam juveni, qui vinum aromaticum biberat, de nocte angina oborta, cum strangularetur, jugulum cum gladio aperuit, saniei quamplurimum emanat, convaluit.“

Si utriusque generis colluviem serosam, puriformem, in bronchiis forsitan modo brevi ante mortem aegris contigisse objeceris; hydropis hoc nihil detrahit indoli: utpote qui certe in organis vitalibus saepe nimis acutissimus, ac cito lethalis esse consuevit.

Hydr. pulm. cellulosus. In expositam vix *hydropis bronchialis* speciem, facile, — atque nunc felici sub omine, nunc celerrimo cum aegrorum interitu transit, frequentior illa, *hydrops cellulosus*, vel oedema, anasarca, *pulmonum.* Saepius nos, dum hydropicorum pulmones incideremus, aquam e parenchymate istorum profluxisse observavimus; atque in muliere, quam erysipelati, pulmonum manifesto periisse adnotavimus (§. 280.), omnem simul hujus visceris contextum cellulosum quasi ab anasarca correptum reperimus. Tria hominum ab oedemate pulmonum in nosodochio *Vindobonensi* majore, quin alter hydrops pectoris subesset, suffocatorum exempla, filius, qui clinico Instituto *Vilnensi* nunc praeest, ejusdem nosocomii

tunc medicus primarius, observavit. Ancillae memoriam magnus quondam *Italiae* Anatomicus reliquit, quae, tribus a mensibus minus menstruans, a capto frigore incidit in peripneumoniam. Sub finem hujus, effluxit ex ore humor aquae instar spumosae, in qua recens caro lota esset. Die septima moritur. Excepto superiore sinistri pulmonis lobo, reliqui lobi omnes, quamvis spumoso humore prorsus distenti, naturalem substantiae modum servabant, ex qua dissecta, humor prodibat. In homine, qui per biennium, maxime ad motum corporis, anhelus respiravit, pulmones ubique multo sero referti fuerunt.

Jam ipsi medicinae parenti, ex animalium brutorum dissectionibus notum fuit: „in pulmonibus *tubercula* fieri, quae, *aquam* continentia, in pectus, hanc, dirrupta, emittant." Atque in ipsius etiam hominis pulmonibus, quod divus senex praeviderat, vomicas hujusmodi, nunc *humore albumini ovorum simili*, nunc aqua limpida repletas, posteritas detexit. In milite, magna respirandi difficultate una cum febre lenta correpto, nec sine magna molestia vel dorso, vel alterutri lateri incumbente, sed corpore semper erecto se- H. pulm. cysticus.

dere coacto, pedes quidem oedematosi, nulla vero alterius hydropis pectoris symptomata comparuerant. Hujus aegri vero cadaver, *cystidem* in utroque pulmone *sero* limpido, repletam, *Galliae* medico celebri exhibuit. Apud alios quoque Scriptores passim tubercula pulmonum, aqua sola repleta, nobis interim nunquam conspecta, occurrunt.

H. pulm. hydatideus. Aliter vero de *hydatidibus* dicendum est, utpote quas nos quoque copiosas, ad pulmonum superficiem dispersas, in humanis cadaveribus reperimus. Aliae ex istis, sat profunde basin suam pulmonum parenchymati immergunt; aliae, exteriora magis, sub pleura pulmonali occupant, atque diruptae, contentum liquidum in cava pectoris, hydropem thoracis legitimum constituturae, partim effundunt. Parti asperae arteriae bovinae adhaerentes hydatides demonstravit, nec raro in pulmone humano easdem reperiri docuit jam magnus quondam *Bataviae* Anatomicus. Ad *taeniam hydatigenam* has vesiculas interdum pertinere, vix dubium nobis haeret; nullum tamen, quod hanc opinionem confirmat, exemplum, vel alienum, vel proprium, habemus.

Pulmonum pseudohydropem dici posse credimus illum, quem saepe inter lobos pulmonum, illorum nempe, qui ex peripneumonia perierant, deteximus. Materia scilicet puriformis pulmonum lobos circa limbos suos perfecte conglutinaverat; reliquo, eosdem inter lobos, integerrimos, spatio tum a materia quasi caseosa, tum plurimo a *sero* vel maxime repleto, ac abscessum immensum mentiente. Pseudohydrops pulmonum.

Quamquam vero pulmonalis hydropis has species, cadaverum sectionibus pathologicis edocti, nunc satis calleamus; symptomatum tamen, quae unam ex illis ab alia sat certe distinguat, rationem, imperfecte nimis perspicimus. In illis, quos hydrops pulmonum in genere corripuerat, difficilis respiratio, angustia pressoria cum ponderis sensu a jugulo per medium thoracem deorsum exporrecto, observata fuerunt. Haud raro oedema partium externarum, facies tumida pallidaque, vel et corporis habitus leucophlegmaticus, conjuncta incesserunt. Quodsi igitur una cum oedemate partium externarum *incipiente*, (eo quod a mediocri seri copia in pulmonum interstitiis cumulati, longe gravior difficiliorque dyspnoea excitatur, quam Diagnostica.

a multo majore in pectoris cavitatem effusa) *statim* accedat difficilis respiratio; praecipue si pulsus adeo, ut tactu percipi vix queat, oppressus, vel saltem debilis admodum et exilis, sine febre conspicua, satis longum in tempus observatur; si a minimo corporis exercitio dyspnoea augeatur, quin ex varia corporis positione, vel in dorsum, vel in latera, in respirationis difficultate differentia nascatur; si, dum profundius aeger respirare conatur, ulteriorem ille thoracis dilatationem impossibilem esse, ac animam sibi quasi interrumpi persentiat; si forsitan ex sputo catarrhali subito suppresso, dyspnoea mox orta sit; non iniqua erit pulmonum ab aquis infarctorum suspicio. Cum vero hujus hydropis cum hydrothorace legitimo conjuncti exempla non desint; illius certe ab isto non parum obscurantur phaenomena. Symptomatum in aegris, quos a pulmonum hydrope restitutos depraedicant, observatorum, mentionem hic, ob summam diagnosis incertitudinem, non facimus.

Minor tamen haec erit, ubi, praeviis morbi descripti phaenomenis, abundans ex bronchiis materiae vel serosae, vel albuminosae evacuatio, tussiendo, cum levamine

contigerit. Talia in catarrhis gravioribus, et in asthmate aliquando succedunt: ubi tussim asperrimam diuque siccam cum valida dyspnoea, ingens liquidi serosi copia, ac si mercurialis salivatio subesset, ex bronchiis cum euphoria rejicitur. Quodsi interim aut parenchymatis pulmonalis ab aqua turgentis subitanea in bronchia depletio successerit; aut ingens pulmonum hydatis, celerius dirupta, vel hos in canales, vel in ipsum hujus visceris parenchyma humores contentos evomuerit; in primo casu, quod bronchia sat prompte ab aquis susceptis liberari non queant, subintrabit suffocatio (*catarrhum suffocativum* vocarunt); — in secundo, symptomata pro tempore mitigari quidquam videbuntur; sed nisi brevi mora expansi magis nunc liquidi resorptio locum habeat; aut nisi modicam sibi viam humor in bronchia aperuerit; oppressus tandem pulmo et aeri et sanguini transitum lethali cum effectu denegabit. Duo hujus indolis exempla hic ex collectione observationum medicarum, in *Italia* institutarum, recenseri merentur. Primum ex istis, Virum sistit sexagenarium, qui dyspnoea laborans, subito ruptionis in pectore factae sensum habuit, et immediate

abhinc quatuor pintas materiae albumini ovorum similis, cum respirationis libertate majore, ejiciebat. Recruduit iterum malum, ac denuo eandem scenam lusit. Ab hac interim evacuatione minime sublevatus aeger tandem periit.

Secundum exemplum, Viri juvenis est, qui, dum per undecim dies pondus et anxietatem pectoris persensisset, sensum ruptionis, similem primo, expertus est, atque post horam, quatuor quoque pintas fluidi clari et tenacis ejecit per tussim, sic vero in integrum restitutus fuit. Frequentius vero, ac putatur, hydatis pulmonum superficiem occupans, in thoracis cavum rumpitur, depletur, ac, ut supra jam monuimus, hydropem pectoris legitimum producit. Ruptarum ad pulmonum superficiem hydatidum rudimenta, post mortem, in *Italia*, fuerunt detecta.

H. ascites. §. 743. Hydropem, qui ventris ad ambitum, et in cavis peritonaei subnatus, abdomen quasi in *utrem* attollebat. Veteres *asciten* in genere appellarunt. Ampla vero nimis retentionum aquosarum, in tam vasta trunci humani regione, familia est, quam ne, hoc uno nomine circumscripta, spurios

Differentiae.

simul, atque legitimos foetus sub se comprehendat. Antiquo interim civitatis jure ultro fruatur recepta jam diu appellatio! modo aquas, hic limpidas, pellucidas, facileque mobiles, illinc turbidas, tenaces, crassas, fere oleaginosas et pigras, aliquando puriformes, subcruentas, nunc *extra peritonaeum* (*A. subcutaneus vaginalis, peritonealis*); nunc *intra* hoc velamentum colligi, atque hoc in casu, vel in cavo abdominis libere stagnare, et viscera contenta alluere (*A abdominalis*); vel hydatidibus, cystidi, aut saccis, quin partes vicinas inundet, includi (*A. hydatideus, cysticus, saccatus*); vel replicatas peritonaei inter laminas contineri (*A. omentalis, mesentericus, intestinalis hepaticysticus*); vel demum inter ipsam hanc membranam viscerumque ab eadem cinctorum substantiam residere (*A. visceralis*); atque ob diversas has sedes, nunc angustas tensasque, nunc vero patentes atque laxas, facilius circumscribi, quam apte definiri posse, recordemur. Praeterea hic morbus easdem, quoad originem, incessum, ac alia, differentias, quas hydrops in genere (§. 734.), quod ex symptomatum causarumque, cuivis speciei propriarum, consideratione melius patebit, agnoscit. Inter

omnes hydropes, quos cava corporis majora patiuntur, frequentior ascites *abdominalis* est. Rarissimi, nec unquam nobis ipsis oblati, ascites *subcutaneus*, et *vaginalis* sunt. Nec certe, si abscessus a peritonitide inductos (§. 220.) ut decet, ab hydrope distinguas, *peritonalis* ascites frequenter occurrit.

A. subcutaneus. *Subcutaneus ascites*, hydropi celluloso (§. 736.) affinis, ac in hoc tantum ab eo diversus est: quod telae cellulosae spatiola, diruptis plus minus a copia aquarum intermediis lamellis atque segmentis, capacius in cavum mutata, quasi saccum circumscriptum, densiorem, musculis abdominis incumbentem, ac sero, aut viscido liquore, vix, aut parum fluctuante, repletum, indolentem decolorem sistant. Partialis igitur hic tumor, a convexitate abdominis distinctus, ac visceribus istius vix aliter, nisi pondere adaucto, magis vero musculorum actioni, inspirationis sub opere, molestus est.

A. vaginalis. *Vaginas musculorum abdominalium rectorum*, cum ense, imprimis tricuspide, ad anteriora modo perfossas, vulnere mox collapso, a sanguine retento repletas, insigniter intumuisse, sub inspiratione potissimum, vel maxime doluisse, atque febrem vehementem ac mo-

us adeo convulsivos, quos modo vulneris ilatatio sedare potuit, excitasse, docuit experientia (§ 215.). Saccatos tumores aquoos in musculorum adominis rectorum *vaginis*, celebris apud *Friburgenses* chirurgiae Professor, — musculos abdominis, serosis humoribus refertos, insignis quondam nominis hirurgus, detexerunt. Mitiora utique symtomata lentam seri has in vaginas, injuriis xternis ac refrigerio non parum expositas, epositionem comitari oportet; quodsi tamen el in uno, vel in altero tendinosi hujus veamenti segmento, quod rarissime continge-e jam monuimus, aquae pro loco copiosae olligantur; exspectabimus sane, praeter tuiorem in decursu musculorum dictorum quasi odosum ac vel maxime tensum, incommoa non pauca, sub quavis inspiratione, sub ternutatione, sub nixu ad alvum deponenam fortiore majora, esse futura.

Ob simplicis membranae conditionem, negarunt aliqui conspicui in arte viri, *peritonaeum* acie sua externa hydropi esse subjectum. Telam interim cellulosam, cujus ope musculis abdominis ea membrana connectitur, siuti frequenter inflammationis suppurationisque sedem constituere docuimus (§. 220.); A. peritonæalis.

ita quoque interdum aquarum collectioni morbosae patere, observationes tum aliorum, tum nostrae quoque luculenter testantur. Miramur hinc, speciem hanc hydropis non prius, quam saeculi decimi sexti sub fine, a *Viennensi* medicinae Professore fuisse detectam. Num satis aptum hydropis *peritonaealis* sit nomen, hic non disputabimus. Rarissimus autem in sexu *virili* hic morbus est. Mulier quinquageneria, *Ticinense* nosodochium, cum insigni prorsus ventris tumore, quem multos per annos gestaverat, intravit. Nobis insciis, paracentesi hac in aegra instituta, sexaginta fere librae aquarum viscidarum eductae fuerunt. Morte non diu posthinc insecuta, cadaveris macilenti admodum sectionem nos publice suscepimus. Abdominis integumentis atque musculis incisis, plures adhuc crassi et viscidi liquoris librae effluxerunt. Mirabatur adstantium cohors vacuum prorsus, ac visceribus omnino destitutum esse cavum, quod abdominis illud esse crediderunt, amplissimum; sectione vero ad fundum hujus cavi sollicite a nobis continuata, sub ea tandem peritonaeum dimidio fere pollice crassum, ac tenax aperuimus, et angustissimo veri ventris cavo singula fere

intestina parvum in glomerem sub hepate compressa deteximus, nostrisque auditoribus exposuimus. Paucas modo aliorum scriptorum observationes hujus indolis huic nostrae adjungimus. In foemina ascitica, extra peritonaei cavum, quinquaginta aquae ichorosae mensurae repertae fuerunt. Apud pueram, hydrops peritonaei, lactei coloris humorem acrem continens, in actis academicis *Parisiensibus* describitur, qui humor perumbilicum sibi viam paraverat. Mulieris quadragenariae exemplum ab alio refertur, cujus abdomen turgidum, sine insigni molestia, octo annis prominuerat. Crescente mole, aegra suffocata periit. Vix cute cadaveris apertusa, foetidae amurcae copia, ad libros viginti, prosiliit; quae amurca intra musculorum abdominis tunicam et peritonaeum stagnaverat.

Saepe vero aquosa colluvies non aequali prorsus ratione peritonaeum obsidet; sed pluribus loculamentis adhuc contenta, *tumores nodosos* ad abdomen refert. Sic celebris *Bataviae* anatomicus, hydropis peritonaealis, in muliere quadragenaria observati, historiam exponit, in qua, aqua anterius abdomen, inter musculos hujus et peritonaeum, in enor-

mem, et innumeris *nodis* signatum saccum extenderat: ita, ut nodi isti, a nucis juglandis magnitudine, ad illam capitis adulti hominis accederent. Tempore octo annorum, paracentesis decies et septies instituta, et mille aquarum librae eductae fuerunt. Summi momenti communicata nobis ab institutionum chirurgicarum in academia *Ticinensi* Professore ac nostro quondam collega, observatio est. Duorum scilicet annorum et dimidii curriculo, ille trigesies et ter paracentesin apud mulierem ascite peritonaeali adfectam instituit, atque bis mille quingenta, septuaginta quatuor libras medicas aquarum spissarum, viscosarum, nunc albescentium, nunc fuscarum, eduxit. Saccus ipse peritonaei ad museum pathologicum *Papiense* transmissus, plurimis ac duris tumoribus variae magnitudinis obsidebatur, quorum unus, ipsi ventriculo superincumbens, lethalem foeminae vomitum excitaverat; alter vero, ad dextrum pelvis latus haerens, maximum vaginae prolapsum induxerat.

Magnus quondam *Angliae* chirurgus docuerat, hydropem peritonaealem ex eo semper posse dignosci, quod minime promineat hydropicus tumor in regione *umbilici*, propte-

ea, quod ibi tendines et peritonaei membra-
a se nequaquam separari permitterent. Ast
ero, hoc signum forsitan sub initio morbi
agis quam sub ejusdem augmento, valere,
ocuit duplex, in actis *helveticis* conservata,
bservatio hydropis peritonaealis, in quo,
bdomen, figurae hemisphaericae, insigniter
ntrorsum, praecipue supra os pubis, protu-
erabat: ita ut hoc plane occultaretur, ad
ttactum, duriusculum, elasticum, renitens.
mbilicus vix erat amplius dignoscendus.
nter peritonaeum vero et musculos abdomi-
ales, duodecim circiter mensurae aquae di-
tae, turbidae, flavescentis, subpurulentae,
iridiusculae, pluribus filamentis et ramentis
npraegnatae, continebantur.

Fatebimur etiam, plures hydropis peri-
naealis observationes, non tam vero peri-
naei hydropi, quam *suppurationi*, a prae-
aessa inflammatione hanc membranam in-
r et musculos abdominis, fuisse adnume-
ndas. Nisi igitur morbi primordia patue-
nt, difficilis erit sane morbi hujus tum a
eritonitide suppurata (§. 220.), tum ab as-
te abdominali, distinctio. Sub utriusque
ro adfectionis principio, quamvis exempla
abeantur, quod menstruo, et minori adhuc

spatio, hydrops peritonaealis valdopere increverit; plerumque tamen tumor in una modo abdominis plaga circumscriptus, sensim sensimque assurgit, in hydrope fere indolens ac decolor, calorem majorem, aut aspectum cacheticum, aut conspicuam functionum laesionem haud manifestans. Per annos hic tumor aliquando, sine magna molestia, et absque signis hydropis interni, ut foeminae et utero gestasse, et partum vivum exclusisse, vel menstruis purgatae fuisse, visae sint, perfertur; donec magis magisque extensus, vix non omne abdomen ille occupet, ac pondere aquarum, imprimis supino sub decubitu, viscera abdominis circumdet, atque diaphragmatis non minus, quam musculorum abdominis actionem, suspendat, elidat; aliquando vero, praegressis doloribus, febris, suppuratio, aut exesio, accedant. Ob sacci, a peritonaeo, hoc sub morbo formati crassitiem, rarus est casus, a summo quondam *Italiae* anatomico relatus. Sacci nempe hujus, in abdominis cavum ita dirrupti, ut aquae in hoc ipsum sibi viam paraverint.

A. abdominalis. Vel celeri passu, vel lento, *ascites abdominalis* assurgit. In illo casu, enarrandorum series

series symptomatum citius sese, ac majore aegrotantis labore, nec raro cum febre, manifestat; in hoc vero, sensim sensimque morbus, mitioribus principio sub turbis, ac plerumque sine motu febrili, insidias struit. Saepe numero quidem tumor oedematosus a pedibus aegrum adoritur, ad genua, crura, ac demum ad scrotum et ventrem ascendit. Frequenter interim cum praegrandi ascite pedum tumor nullus est; etsi facies, nominatim palpebrae, matutinas praecipue ad horas, inflari, aut etiam manus una alterave, ad dorsum, quibusdam, plerumque tamen tardius, intumescere soleant. Primum aquae, adhuc pauciores, quo pondus fert, pelvis in cavo detinentur; gradatim vero hypogastricae regionis hae tumorem ac tensionem, quidquam auctae, constituunt. Decumbente vero in dorsum aegro, et aquis ad superiora simul directis, vesicae regio iterum mollescit, ac hydropis futuri timor imminuitur. Attentus interim digitus iliacam regionem jam *latescere*, ac molliter sub hoc situ turgere animadvertit. Ascendere nunc aquae pergunt, umbilicum tandem attingunt, ac posito in pedes aegro, vola manus uni inferioris abdominis lateri imposita, ac ventre, al-

tera ex parte cum apice digiti celeriter percusso, latentis undae motus, seu *fluctuatio*, plerumque percipitur. Interea supra umbilicum, alterius generis tumor, magis elasticus, nec fluctuans, ab aeriformi, intestinis inclusa, aqua scilicet leviore atque hanc supernatante, materia, detegitur. Prout vero ascites, aut morbi alterius est soboles, aut comes; alia aliaque eundem symptomata, jam alibi (§. 735.) exposita, comitantur; potissima tamen ascitidis phaenomena sunt: languida ciborum subactio, pigrities, tristitia, et laesa corporis coeteri nutritio; cutis arida, sicca; faciei, brachiorum ac thoracis, nisi forsitan simul jam tumentium, macies. Urinae fluxus praeterea in multis quamplurimum imminuitur, ac lotium magis tinctum, aliquando quasi tela subtiliore, iridis colores spargente obtectum, saepius vero bruneum, vel turbidum, crassum ac olens, cum sedimento vix non roseo ad fundum vasis deposito, redditur. Sitis, quam in genere adeo hoc in morbo vigere, antiquo proverbio, sanctionant; in multis, nisi illo sub finem jam vergente, ac febre lenta eidem jam adjuncta, perpaucam observavimus.

Aucto vero indies abdominis volumine

t aquis, diaphragmatis ad fornicem usque amjam pertingentibus, tum venae subcuta-eae ventris majorem diametrum adquirunt, c per cutem, summopere extensam, dolen-em (non semper tamen), translucent; tum utis textus subcutaneus circa lumbos, vel i cui lateri aeger incumbat, hoc ipsum ab quis intumescere solet; tum dyspnoea, ob egatum fere diaphragmatis descensum, et ctionem extensorum nimis musculorum ab-ominalium impeditam, suboritur, a cibis el potu assumtis mox gravior; et si ventri-ulus penitus ab aquis compressus arctetur; ngestorum vomitus hinc inde succedit. Sat nultos interim asciticos, cum abdomine prae-umido, animam tamen sat libere duxisse bservavimus. Flatus hoc in morbo per ab-omen divagantes plurimique borborygmi, aud raro aegros adhuc magis divexant, il-os praecipue, quibus alvus, ut ab intesti-orum etiam in spatium angustum compres-ione solet, obstructa est. Hinc saepe *pneu-atosis intestinalis* ascitide conjuncta, hunc ul-imum exasperat. Sub tanta cavi abdomi-alis extensione, ipsi adeo renes ac urete-um canales comprimi, eductis vero aquis iberari, ac urinae copiam quidquam uberio-

rem reddere haud raro videntur. Augentur nunc indies molestiae, aegerque, unde, tanto corporis sub pondere, debilissimus se vertat, prae angustia ignorat; spem tamen sanationis ideo plerumque non deponit; sed futurae valetudinis actiones ordinat, ac solus ille tumuli sibi jam patentis, limina non advertit. Non rarum est, provecto jam morbo, ma ulas ad antibrachia et manus sat largas, inaequales lividasque comparere, quo cum siguo, macilentiae notabili juncto, neminem hoc a morbo evasisse recordamur. Frequenter asciten hydrothorax, ac universalis tandem hydrops insequitur.

Ordinario quidem aquae abdominales penetrare, et scroti hydropem inducere non solent; posse tamen aliquando id fieri, casu hydropis, a Viro celebri *anglo*, in uno latere scroti sectione pertractati convincimur; sub sectione, seri morbosi librae duodecim, cum ventris subsidentia, per vulnus effluxerunt. Similem observationem clarus et nobis amicus *italiae* chirurgus descripsit: qui, dum partui, ob abdominis ex parte foetus hydropem, perdifficili adesset; scrotum illius, simul praetumidum, aperuit, et quinque circiter libris aquarum e vulnere emissis, mo

foetum, collapso ejusdem abdomine, facili num opere eduxit. Ubi hernia comitatur asciten, aquas hujus subinde in saccum herniosum penetrare, atque *hydrocele* sic dictum, vel *hydromphalum* formare, non mirabimur; eosque ipsi mulierem *Viennensem*, ob ventris ascitici molem, hoc ultimum in malum incidisse observavimus. Vel absque hernia, *umbilicus* saepe in ascite turget, ac foveam a compressione retinet, interdum autem vesicae instar transparentis protuberat. Abdominis ascitici vel sponte per umbilicum deleti, plura exempla habentur, nobis etiam propria, nec ubique infelicia. Apud sexum equiorem, a pondere aquarum ventre collectarum, vagina ipsa cum perinaeo aliquanto deprimitur, saccumque aquis repletum, fluctuantem, circa vulvam constituit.

Sub fine morbi, de quo agimus, somnolentia, linguae siccitas, sitis, vox aspera, rangosa, extremitatum frigus, lipothymiae, saepe tormina, dolor quasi colicus, cum pulsu minimo, vacillante, insantis ad viscera gangraenae indicio, scenam lethalem adpetunt atque claudunt.

Jam alibi (§§. 735. 739.) diagnosis in hydrope difficultates, et fluctuationis in ascite — Diagnosis ambiguitas.

ac in hydrothorace fallacias exposuimus. Dictis interim aliqua, in speciali de ventris hydrope tractatu addidisse, supervacaneum non ducimus. Ac primo quidem, majora erroris in judicio apud foeminas, quam ipsos apud viros, discrimina hic minime celanda sunt. Saepe scilicet, periodico illius sexus fluxu uterino per aliquot menses suspenso, *impraegnationis* suspicio esse vel potest, vel debet; ita ut, quae concubitu illicito conceperunt, vix non semper hydropici quid subesse contendant; et quae in conjugio vivunt, haud raro utero se habere, imprimis aetate jam quidquam provectae, sibi falso promittant; aut hydropem adesse credant, medicosque fallant, ubi gravidae sunt. Saepe risus, medicorum non infrequens his de rebus hallucinatio, — aliquando lachrymas, aut graves judicum errores movisse est visa. Multiplic observatione sumus convicti: vel hydropem praecipue *asciten*, impraegnationis ipsius, i multis, esse phaenomenon; vel hydropicam mulierem, sub morbi principiis, haud infrequenter facilius, quam extra hunc morbum concipere. Multas saltem foeminas, manifeste utero gerentes, quin alia causa subess videretur, in hydropem incidisse, atque a

hoc ultimo, non nisi foetu excluso liberatas fuisse, — haud paucas, evidente jam satis hydrope, utero facilius concepisse, experti sumus. Actis *Moguntinis* observationem de militis uxore, quadraginta abhinc annis *Rastadii* factam, inseruimus: quae uxor, cum, ascitica, aquas nobis in abdomine aperte fluctuantes obtulisset, impraegnationis simul suspicionem, ob mammarum inconsuetum tumorem, non exiguam excitavit. Constanter interim haec mulier, se ullum cum viro commercium habuisse negavit. Senioris tunc medici consilium expetiimus, qui nostrum hac in re juvenilem, ut vocavit, timorem amice increpans, paracentesin, quam a nobis reformidari aegre ferebat, audacter institui jussit. Vix aliquot aquae mensuris per canulam abdomine eductis, motum foetus in utero manifestum et nos percepimus, et mendax mulier porro negare non ausa est. Verebamur tunc, ne tricuspis, abdominis cavo impulsa, tumentem simul uterum attigisset; nihil interim noxae (quam magni rem momenti similes quaedam aliorum observationes nos tunc jam docere potuissent) huic visceri, a foetu sano scilicet post menses aliquot feliciter liberato, illatum fuit. Paracen-

tesin in foemina *Viennensi*, ascitica, quidam ex nostris auditoribus instituit. Septem aquae mensuris sic eductis, post tres dies abortus trium mensium insecutus est. Ter in altera muliere sub graviditate paracentesin institutam, eidem vero nihilominus a partu sanitatem redditam fuisse, adnotatum fuit. Foeminam quinquaginta quatuor annis jam natam, ex phthisi pulmonali asciticam, per aliquot jam hebdomades *Bruchsaliis* sine fructu tractavimus. Fiduciam hinc suam eo magis haec nobis subtraxit: quod, non obstante aetate jam provecta, praegnantem se autumans, veram nobis sui status cognitionem deesse praetenderet. Octo prolium, inquiebat, jam mater fui; nec foetus in utero mihi motus sunt incogniti. Volam igitur manuum utramque abdomini frigidam applicantes, nos ipsi motus in uteri regione sat fortes, quasi genu foetus, aut cubitus allidérent, saepius percepimus. Quamvis vero *quinquagenariarum* partus, ut *Romani* quondam vocabant, *miraculosi* raria exempla nos minime laterent; cum tamen uterus exploranti se digito vacuum exhiberet; spem conceptionis nullam esse, declarare continuavimus. Alter hinc medicus, et quidem longo artis exercitio cla-

rus, aegram, accersitus, suscepit. Non satis cautus interim hic fuit, quin mulieris assertio, motusque in abdomine percepti eundem fefellerint. Morte vero hujus aegrae post tres septimanas insecuta, cum sectionem caesaream promptius institui jussisset hic medicus; magna copia aquarum ex cavo abdominis emissa, utero vetulae prorsus corrugato atque vacuo, tumores aliquot duri, angulosi, pedunculis membranosis satis longis peritonaeo adfixi, reperti fuerunt: qui scilicet tumores, vivente adhuc muliere, mediis in aquis libere fluctuantes, abdomine qualicunque ratione agitato, motum foetus perfecte imitaverant. *Vesica urinalis*, sub retentione lotii protracta, haud raro supra umbilicum assurgit, et, ut infra per exemplum docebimus, diaphragma ipsum aliquando attingit. Hoc vero rerum sub statu, aquas non minus, ac in ipso ascite, fluctuare percepimus, et magna hinc inexperto medico erroris aegro lethalis suppeditatur occasio. Dux militaris *Russici* exercitus, diu a medicis, ac si *ascite* laboraret, pertractatus fuit; donec tumoris abdominalis ratio in extensa valde per lotium, ex parte retentum, vesica urinali, a chirurgo detecta fuisset.

Extensa summopere vesica urinalis, pro abdominis hydrope habita, a chirurgo paracentesi subjecta, et triginta libris urinae depleta fuit. Ipsa *fellis vesicula*, vel bile, vel aquis, ut mox referemus, praeter modum expansa, non minus incautos, ut pro saccato hydrope, vel clauso abscessu eandem declarent, ferroque subjiciant, inducere potest. *Uteri hydropici*, ob fluctuationem in eo perceptam, pro ascite habiti, atque cum tricuspide perforati, triste specimen, inferius exponendum, reservamus. *Ovariorum hydrops* haud raro pro illo cavi abdominis habitus, atque, ut talis paracentesi submissus fuit. Jam alibi (§. 739.) monuimus, ab aquis, vel a pure, magna copia in *thorace* collectis, diaphragma hinc inde, a pondere istorum ita deprimi, ut veli inflati adinstar in abdomen ita quidam promineat, ut hoc ultimo cum digitis compulso fluctuatio, quae thoracis in cavo fit, in ventris illo facta esse, falso videatur. *Viscus* abdominis quodvis conspicuum, a *suppuratione* exesum, pureque contento expansum, fluctuare sub digitis, ac pro specie ascitidis incautis imponere potest. In sacco, ab omento formato, inveniebatur omnis aqua, jam *octies*, semper ad centum libras et ultra,

quod *ascites* subesse putaretur, emissa. Hydropis *cystici*, pro ascite abdominali habiti, et cum lethali effectu perfossi, exemplum Vir eximius conservavit. *Renis* sinistri, adeo expansi, ut ultra sexaginta libras, non tam veri lotii, quam aquae limpidae, sola extima membrana contineret, et per omne abdomen aequaliter extensi, exemplar, in *Viennensi* nosocomio e cadavere juvenili desumptum, museo pathologico, ibidem a nobis erecto, commisit filius, ejusdem tunc nosodochii medicus primarius.

Summam hinc cautionem, tam frequens in artis medicae exercitio, abdominis fluctuantis punctio sibi exigit; nec quisquam, nisi morborum, qui, etsi diversissimi, similia tamen in multis symptomata offerunt, probe gnarus, sibi satis cavebit.

Saepius jam *hydatidum* mentionem injecimus, vesicularum scilicet sero gravidarum ac nullibi patentium, seu pellicularum tenuium, vesiculas variae, interdum conspicuae magnitudinis, nunc satis orbiculares, nunc pyriformes, fere pellucidas, albescentes, aut petiolo saepe instructas clausosve referentium; quae vesiculae, nunc solitariae, nunc racematim collectae, cavis suis a sero, ple- A. hydatideus.

rumque certe pellucido, flavescente, alias tamen puriformi, viscido, mucoso, et, quod necdum nos ipsi conspeximus, sanguineo, conturgent, ab illo, quod hydropem alium constituit, non al simili, coaguli ab igne, alcohole, ac acidis mineralibus nunc satis experte, nunc facile ab iisdem cogendo. Aliquando una et major hydatis visa est alias minores, sibi concentrices, inclusisse. Interdum, licet rarius, membrana hydatidum vasa conspicua oculis virorum clarorum, nunquam nostris, exhibuit. Taeniae hydatigenae, alibi describendae, formam externam fere refert, nec ab ea facile nudo oculo distinguitur. Nullum corporis interni punctum fere est, in quo hydatides repertae non fuerint; atque eae nunc visceribus adhaerent, nunc iisdem, vel absque nexu inter se ipsas, hydropicis includuntur; vel libere in aqua hydropicorum fluctuant, a pristina sua sede divulsae. Plures hydatides, dum multas adhuc in cadaveribus detegimus, jam pridem dissilierunt, suumque in cava vicina humorem evomuerunt; hydatidum enim laminae membranaceae, liquorem complectentes, postquam, diruptae, hunc effuderunt, se suaque vascula, ut Vir magnus adnotavit, in *carunculae*

formam primum contrahunt, et nisi novus illuc humor effluere pergat, indurantur, et exsiccantur denique sic, ut alba illa et dura, subrotunda tubercula repraesentant, qualia in cadaveribus saepe obveniunt.

Hydatidum originem, quivis suo sibi modo, incerto semper judicio, explicuit. Hi, ex vasis lymphaticis, — illi, ex finibus vasorum sanguineorum, — alii, ex folliculis dilatatis, — alii ex tela cellulosa, — alii ex taenia hydatigena, — aliique ex lympha conflari has pelliculas in vesicae formam contortas, praetenderunt.

Ex vasis lymphaticis, aut ex finibus vasorum sanguinei systematis, hydatides, quae pomi aurantii volumen aliquando adaequant, vel et superant, derivari, exigua canalium illorum diameter, et plurium hydatidum sibi concentricarum indoles. etsi ad gyros cerebri hydatides exiguae, per vas lymphaticum depletae, et per hoc ipsum inflatae referantur, vetare videntur. Magnam satis in molem folliculos posse dilatari, docemur quidam experientia; sed in locis, in quibus necdum folliculi detecti fuerunt, ut in cerebri substantia, in placenta uterina, hydatides aliquando innumerae obveniunt. Ex

tela cellulosa repetentibus hydatides, obstat, ut credimus, difficilis hujus telae, in vesiculas extensae et clausae, a coetero textu celluloso, simul aquis inundato, quin alter hydrops ubique sequatur, tam levigata, et tam multiplex separatio. Quamvis autem hydatidum externum habitum conservent sic dicti *cysticerni*, qui aquam omnem in caudali vesicula coacervant, et quamvis coeteri vermiculi, in hydatidibus reperiundi, aquae ipsi inhaereant; non tamen igitur hydatides his a vermibus sibi aedificari magis, quam illis jam praeviis, pro habitaculo praedilecto his inservire, cum celebri scriptore assumimus; nec tam late nos vermium imperium, ut omnis hydatis huic subjecta sit, patere arbitramur.

Si cui opinioni accedendum, nec, sub tanta rerum incertitudine, ignorantiae confessio, praesumptuosae cuivis hypothesi anteferenda sit; fatebimur, nos magis ad illam, quae ex lympha morbose secreta, et in pseudomembranas tam prona, cunas hydatidum, ut ipsius telae cellulosae, derivat, inclinare. Lusus puerorum, sub quo, siphonis straminei ope, guttam aquae, in qua sapo solutus est, in bullas aereas inflant, hydatidis, cui

pseudomembranula tenuissima pro cortice, aqua vero in medio est, genesin satis explicare videtur. Polypos bronchiorum, ureterum, ex materia lymphatica conflari, et abluto, ex centro illorum, cruore, vel muco, in vacuos canales, ut vel arterias referant, aut vermis teretis figuram assumant, coire, satis notum est. Ipsa testa ovorum, in sinu gallinae tam mollis, ab aeris accessu induratur, ac solidam quasi hydatidem constituit.

Vel folliculi, ductu suo excretorio ob- A. cyst. structi, occlusi, major extensio, condensa- saccatus. tio, vel plurimum lamellarum, quae telam cellulosam constituebant, aut quae ex lymphae morboso coagulo natae sunt, placida inter se, circa liquidum animale non purulentum concretio, convolutio, *cystidem*, — atque major talis cavi, densiore velamine circumscripti, amplitudo, *saccum* constituit. Nunc viscerum in meditullio seu substantia, ut hydatides, ita hi quoque tumores saccati nascuntur, ab illorum parenchymate arctius cincti; nunc partibus, ex quibus assurgunt, pedunculo breviore, crassiore, vel et tenuiore, longiore, adhaerent. Figuram hi sacci, a cavo, cui commissi sunt, nunc aquis vacuo, nunc simul hydropico, mutuantur. Sae-

pius in ipsis horum saccorum parietibus tumores duriores ac reapse scirrhosi, angulosi, se produnt. Vasa saepe conspicua, varicosa, hos saccos percurrunt; ac etsi per annos saepe insensiles videantur densiores continuo eorum parietes, haud raro tamen lente inflammari, tandem, et cum vicinis partibus, compressis et aegre cedentibus concrescere, atque suum humorem, si forsitan, suppurati, ex adverso rumpantur; nunc in cavum, quo haerent, cum summo, et subitaneo interdum vitae periculo, vel, feliciore sub omine, exteriora versus effundere observantur. Liquida his saccis contenta, primis quidem temporibus tenuiora, serosa, sensim vero viscida, spissiora et albuminosa, puriformia, interdum etiam saniosa, ichorosa fieri, vel penitus in melleam, pultaceam, vel adipocercam spissitudinem (*meliceris*, *atheroma*, *steatoma*) exsiccari sueverunt. Cavo tumoris nec dum magnopere extenso, filis illud ac membranis varios in sensus decurrentibus, contentos humores intersecat et dividit; sub aucto vero sacci morbosi volumine, haec segmenta plerumque evanescere, unumque cavum saccus agnoscere solet. Aliquando tunc humor eodem contentus, satis adhuc liquidus,

idus, compulsis sacci, satis tensi, nec nimis profunde sepulti, parietibus, plus, minus, obscure fluctuat. Spissiore vero jamjam stagnante ac pigro humore, aut eodem a filis adhucdum intersecto, aut parietibus eum arcte ambientibus, nimis densis et crassis, undas ille, licet varie compulsus, elevare, atque manum applicitam de sui praesentia advertere nequit.

Saepe, dum sacci hujusmodi in abdomine Fallaciae. latent, humoribus adhuc satis fluidis repleti: abdominalem illi asciten mentiri, vel et hic ipse ascites, si obscurior sit fluctuatio, pro saccato haberi, potest. In primo casu, paracentesi, ob perceptam fluctuationem, incaute instituta, nisi saccus peritonaeo cum acu perforato concretus fuerit, humorem ille suum partim abdominis in cavum, pejore aegri sub omine, effundet, ac, praeter *saccatum*, mox renasciturum, *abdominalem* quoque *asciten* constituet; in secundo casu, si quid a paracentesi suscepta exspectari licuisset auxilii; illa neglecta, hoc ipso frustratur, ac infelix sorti suae committitur aeger. *Physconia* abdominalis quoque, seu visceris alicujus in imo ventre moles praeter morem aucta, quidquod gravidus etiam multo amnii

liquore ac foetu majore uterus, ac vesica, vel plurima urina, ut supra jam indicavimus, repleta, vel, ut infra exponemus, in saccos laterales extensa, ne pro hydrope saccato, uti viro quondam expertissimo cum hepate ac liene praegrandibus fere contigit, habeantur, cautionem imponunt.

Diagnosis. Diagnosis interim *hydropis saccati* in eo ponuntur momenta: quod circumscriptum magis ille tumorem sistat, ac in suo principio ad unam modo partem abdominis, et quidem lenta, atque hinc diu sine tanta functionum visceralium laesione, prominens, compressus digitis, mox iterum, cum obscura, vel nulla fluctuatione assurgat, a mutata corporis positione, vix figuram suam, aut locum permutet. Ad symptomata quod spectat, ea, fere ex sola partium, compressione oriunda, pro diversa istarum indole, varia sunt, pejora tandem, ubi humor contentus a lenta sacci inflammatione magis corrumpitur, vel malignae indolis in illum secretio locum habet, ac, praeviis doloribus, ustionis internae sensu, et febre lenta, erosionis ac diruptionis pericula subintrant.

A. visceralis. Difficultates diagnosis non parum auget *hydrops*, aut et suppuratio *Viscerum abdominis*,

quem, saccato hydropi fere similem, mox ab hoc considerandum hic assumimus. De *celluloso* viscerum abdominis *hydrope* jam diximus (§. 736.); atque longe frequentiorem, ac putatur, hunc esse, eundemque, cellulis parenchymatis visceralis diruptis, ad asciten abdominalem atque hydrothoracem subitaneum saepe fontes suos uberrimos aperire, indicavimus.

Frequentissime apud *oves*, *hydrops hepatis* occurrit. In ipso homine aliquando, nunc sub extima hujus visceris membrana, nunc in ipso ejusdem parenchymate, locum hic hydrops non minus, quam hydatides, habent. Hydropis cystico-hepatici, a quo ascites atque pneumatosis abdominales exorti sunt, exemplum, acta societatis medicae R. *Parisiensis* retulerunt. Plures hepatis, penitus fere destructi, et ejusdem ab aqua, vel hydatidibus, aut pure repleti, observationes facile hic esset colligere. Praegrandes, partim jam ruptas, hydatides effrenem per vomitum magna copia rejectos, in *Vennensi* nosodochio conspeximus, quarum sedes, a morte, in hepate detecta fuit. Hepatis.

Vesiculam felleam partim proprias inter membranas aqua, lympha, repletam, quasi Vesiculae felleae.

oedematosam, partim cavo suo liquidis serosis, lymphaticis gravidam repererunt anatomici Vesiculae felleae, adeo dilatatae, ut octo libras bilis in diversis saccis concentricis continuerit, exemplum exstat. Sex decim *hydatidum* mensuras, saccus e fellis vesicula enormi formatus, et per paracentesin in muliere apertus, alio in exemplo capiebat. Insigniter hanc vesiculam, cum ductibus hepaticis et choledocho a bile extensam, quod alibi describemus, nos ipsi reperimus.

Lienis. *Hydropem lienis*, aquae libras octo in se continentis, acta *Edinburgica* describunt. Aliud lienis, quatuor libras aquae includentis, exemplum ab alio refertur. Viginti adeo seri libras splen immensae magnitudinis capiebat. Nec in abdomen dirupti, nes *hydatidibus* repleti, hujus visceris exempla desunt.

Mesenterii. Pharmacopolae *batavi* filia, post obitum ex hydrope celluloso dissecta, insignem in *mesenterio* tumorem, libras viginti ponderantem, ac pluribus vesiculis aqua limpida distentis repletam exhibuit. Tam lente haec moles excreverat, ut praegnationis suspicionem moveret; sed elapso gestationis consueto tempore, conflixit aegra cum miserrima hydropis specie. Plura hydropis mesen-

terii exempla, ab aliis recensita, ex consulto hic omittimus.

Multorum malorum, sed etiam *hydropis*, sedes *omentum* est. Plerumque cum *ascite* abdominali junctus hic incedit, rarius vero *simplex* observatur. In illo casu, aquae vel ex omento in cavum abdominis, vel ex isto, in lacerum epiploon, plerumque tunicis densioribus instructum, viam sibi aperiunt. Nunc serosum, nunc gelatinosum, nunc lymphaticum, interdum hydatidibus inclusum, hoc liquidum reperitur. Foemina, ut celeberrimus Anatomicus *Parisiensis* refert, tumore elastico, mobili, abdominis adfecta, cum saepius jam antehac vomitum passa esset, post assumtum emeticum, hoc ipso insigniter intumuit. Post mortem, *omentum*, partim adhuc aquis obessum, diruptum se obtulit. Epiploon hic idem vir eximius observavit octodecim librarum ponderis, tunicis crassis, et vix non cartilaginosis constans, quinque pollicum densitate praeditum, anteriora superficie tuberosum. His in tuberibus, humor, partim serosus, partim gelatinosus et lymphaticus, insimul vero et hydatides, degebant. Omenti hydropem inter ventriculi atque umbilici regionem evidenter, nec alibi Omenti.

fluctuantem, apud puerum decennem in clinico Instituto *Ticinensi*, absque febris ac suppurationis latentis indiciis, pertractavimus. In foemina ex hydrope universali defuncta, duas aquae libras deteximus inter binas omenti, tam lieni, quam peritonaeo circa hepatis confinia concreti, lamellas. Capacitas hujus sacci tanta erat, ut quinque libris aquarum continendis non fuisset impar. Color aquae fuit citrinus. Plures hujus indolis collectiones aquosas fasti medici conservant. Quodsi omenti portio hydropici sub hernia inguinali se offerat; facile ea pro hernia aquosa imponit, ac, ut exempla docuerunt, in errorem chirurgos inducere potest.

Ventric. intestinorum. Ipsum *ventriculum* nonaginta libras aquarum in cystide collegisse, a gravi scriptore refertur. *Hydropis intestinalis* rarissimum in foetu exemplum nos ipsi quondam commentariis *Goettingensibus* inseruimus. Partui admodum difficili intestinorum hic hydrops, cujus saccum unum, ipso in utero a nobis perforari oportuit, ansam porrexit. Memoratu dignus est casus ab auditore quondam nostro, nunc Instituti clinici *Patavini* celebri Professore expositus. Mulier scilicet, ante annum ab hydrothorace feliciter liberata, ab

eodem hoc morbo et ab anasarca prehensa, durissimum simul tumorem in partu abdominis laterali dextra inferiore, supra cristam ossis ilii, ante annum pro tumore ovarii habitum, conspectui exhibuit. Defunctae vero tandem mulieris cadaver dissectum docuit: hunc tumorem in fundo *coeci intestini*, cui appendix vermicularis adhaeret, inter illius membranas, saccus amplum, cui simul *calculus*, et triginta unciae lymphae inhaerebant, constituisse. In cadavere viri, religionis sausa solitarii, hydrope extincti, *Badenae* crassorum intestinorum inter extimam membranam sacculos innumeros, sero repletos, ad pollicem integrum ab intestinis pendentes, et vasculis sanguineis, ab intestino venientibus, ornatos, quadraginta duobus abhinc annis deteximus. Simile exemplum a magno quondam *Italiae* anatomico refertur.

Etsi vero culter anatomicus diversos hos viscerum hydropes a morte detexerit; signa tamen eorum, utpote minus communium, ac saepe cum aliis hydropis speciebus complicatorum, plerisque in casibus aut nulla, aut saltem hucusque prorsus incerta, possidemus.

Hydrometra.

§. 744. Qui tot malis aliis jam nimis patet, aquarum etiam collectionibus morbosis subjectus est *uterus* humanus, *hydrometram* hunc statum vocarunt. Colliguntur vero aquae nunc *celeri cursu*, nunc *lento*, tum inter extimam hujus visceris tunicam, ac in ejus substantia (*H. cellulosa*); tum in ipso cavo uteri; atque tunc humor eo loci contentus, vel alio, quam cingentis eum visceris, vinculo liber est (*H. independens*); vel sacculis, jam utero, jam vero placentae adhaerentibus, includitur (*H. hydatidea*); vel denique inter foetus concepti membranas ipsamque uteri superficiem internam stagnat (*H. gravidarum*). Ultima haec species hydrometrae tam frequens est, ut saepe vix morbi nomine sit digna. Aliae vero, quamvis a multis scriptoribus observatae atque fideliter expositae, satis tamen rarae sunt, ut nobis, in longaevo artis exercitio, modo unicum illarum exemplum obvenerit. Liquidum sic in utero, vel circa illum collectum, nunc humor est limpidus, citrini, aut flavi magis coloris; nunc viscidior, nunc puriformis ac subalba materia. Aeriformem aliquando materiam simul cum his liquidis in utero colligi, atque sic *hydro-physometram* constituere,

...um diximus (§. 723.). Sanguinis sinceri ...ollectiones, alibi describendas, aut puris ...llas, quas jam descripsimus (§. 227.), ab ...ydrometra distinguimus.

Externae membranae uteri hydropem, ...ransactiones philosophicae describunt. Ute... , suis *parietibus* ita tumentis exemplum ex...cat: ut omne ejus cavum hi ipsi implerent, ...que parenchyma cellulosum constituerent, ...ujus in loculamentis et humor lymphaticus, ...t hydatides stagnabant. In hydrothoracem ...t in asciten hic morbus transivit. Urethrae ...ompressio, ac urinae retentio, hac a specie ...ydrometrae facile inducitur. H. cellulosa.

Quadraginta abhinc annis *Rastadiensem* ad ...eminam, tertio a partu die, accersiti, lo...hia per refrigerium penitus suppressa fuisse, ...b eo vero tempore ventrem celeriter et cum ...xietate puerperae intumuisse intelleximus. ...egio pubis ac uteri valde elevata et tensa, ...olor interim a compressione modicus, nec ...lla aegrae febris fuit. Lenia hinc diapnoica, ...imul vero cataplasma ex farina, floribus ...hamomillae et lacte, tumori applicandum ...raescripsimus. Altera jam die, tres circi...er aquae sanguinolentae mensuras, nocte ...lapsa, sibi uno sub impetu ex utero proru- H. independens.

pisse, mox autem ventrem concidisse, a
omnem anxietatem disparuisse, laeta retuli
puerpera. Lochia posthinc more consueto
ac sine ullo sanitatis incommodo fluxerunt
Copiosi satis fluxus menstrui, prorsus aquos
limpidique, *mediolanensi* virgini absque ull
sanguinis admistione periodica redeuntis
ejusque tunicam sericeam, coeruleo color
praeditam, mox rubro colore tingentis, histo
riam jam alibi retulimus. Quodsi *uteri virgi*
nei, cujus tamen exemplum non deest, tan
facilis esset, quam illius, qui partum jan
expertus est, extensio; suppresso per cau
sam quamcunque dictae virginis fluxu men
struo, hydrops uteri acutus eidem sine du
bio contigisset. Mulier *Ticinensis* bene va
lens, undecim per menses, graviditatis ob
tulit phaenomena, turgentibus adeo a lact
uberibus. Tunc dolores, quos ad partur
dicunt, per plures dies urgebant. Chirur
gus nosocomii, uterum explorans, istius ori
ficium, vi dolorum, ad inferiorem pelvis re
gionem usque protrusum, nulla vero foetu
indicia, detexit. Lente tunc, uti parturien
tibus commune est, vicida et sanguine tinct
materia e vagina stillabat; mox vero aqu
copiosa ex utero prorupit; quo facto, ventri

umor subsedit, et, quin foetus prodiisset, c verum a mammis profluxit.

Foeminae nubili, ut legimus, ad regioem iliacam dextram valide percussae, post ex hebdomades abdomen celeriter intumuit. ost mensem, vehemente dolore prehensae, es aquae mensurae per vaginam, ventre ox subsidente, effluxerunt. Post mensem lterum similia successerunt; quinque vero iebus, ab hoc secundo aquarum effluxu, eractis, menstrua, laesionis externae a temore suppressa, redierunt; hac autem ab pocha, novem mensium intervallo, octies, nodo praedicto, aquam ex utero emiſit. Nunc lium pusillum, extenuatum, peperit, quara post partum die extinctum. Ab hoc, mni quinta hebdomade, solitam portionem quarum, saepe vero, praecedente mammaum dolore, majorem, et ad viginti septem deo pintas aliquando venientem, excrevit. ergunt vero, sub hac, aquae, more conueto per vaginam effluere. Tandem sanam nulier filiam excludit, atque morbus, hoc a artu, omnis disparet. Centum octoginta ibras aquae in utero foeminae non gravidae letexit magnus quondam *Italiae* anatomicus; bi dextri testis glandulae, miris, ut in-

quit, modis, non secus excreverant, quam si novem decemve anserum, aut struteo-camelorum potius, ova, uni inessent membranae, singula humore, ovorum albo non absimili, aut paulo crassiore, oppleta. Non minoris nominis, *Galliae* pridem pathologus de muliere narrat, quae, hoc hydrope correpta quoties appetebat menstrua purgatio: omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat, pelvesque sex aut octo implebat aqua ferventissima, dum venter totus subsideret. Mox dein menses sequebantur ex naturae praescripto. Collecta proximo mense colluvies, stato tempore profluebat. Haec tandem mulier persanata, utero gestavit, ac foetum bene vitalem exclusit. — Uterum, cum a partu nulla mulieri lochia successissent, ad diaphragma usque extensum atque hydropicum fuisse legimus: In duas cellulas hoc viscus, duplici apud eundem scriptorem exemplo, crasso pariete divisum erat: quarum una, capacior fuit altera. Hinc utramque, ut aquae educerentur, incidi oportuit. Orificium vero uteri in solidum ligamentum impervium degeneraverat. Mulier, quae utero se gestare putabat, febre tandem lenta et malo corporis habitu extincta

iit. Cum vero, aegritudinis tempore, dis-
rr medicorum fuisset sententia; dissecto
entre, uterum aqua plenum detexit culter
atomicus.

Tumoris in abomine insignis, copiosa *hy-* H.hydatidea, saccata.
tidum exclusione per uterum persanati ex-
mplum, acta physico-medica conservarunt.
mile in Transactionibus philosophicis factum
ccensetur. Mulier, quae sexto mense gra-
ida esse videbatur, *molam* duarum librarum
eperit, ex quamplurimis hydatidibus com-
ositam; qua mola in integrum excreta, con-
aluit. Ad dextrum latus colli uterini, ve-
cam, duabus ex tunicis conflatam, vesica
rinali duplo majorem, et aqua tenui, luci-
a plenissimam, Vir celebris detexit. Haec
auca, ex multis, hydatidum, in utero re-
ertarum exempla hic sufficiant.

Quodsi nunc *diagnosis*, hydrometras has Diagnosis.
ter verasque uteri impraegnationes, mo-
enta ex nobis postulaveris; errorum, ab ex-
ertis adeo medicis atque obstetricantibus in
uo de his rebus judicio commissorum exem-
la, ne levis haec indaginis esse censeas,
dvertent. Principis *Germani* jam provectae
etatis uxor, cessante fluxu menstruo, ute-
um sibi ac ubera indies magis turgere ani-

madvertens, archiatrum proprium atque rei obstetriciae magistrum ante multos satis annos consuluit. Gravidam esse dicunt, atque singula ad partum requisita seduli ordinant atque praeparant. — Loco foetus interim foemina Princeps insignem aquarum copiam utero, mox abhinc collapsuro, explodit. Post annum circiter, eadem huic phaenomena succedunt. Aquarum novam ex utero profusionem praesagiunt; sed illarum in vicem, foetus vivax, non absque gravi famae virorum in arte diu versatorum, laesione, excluditur. Plura medicorum, si ita luberet, haec circa objecta hallucinationes recenseri tam difficile non foret; sed certe hae, si modo nimiam in rebus haud absque dubitatione definiendis in se ipsos fiduciam exceperis, indulgentiam quam raro vulgus concedit, quodammodo merentur. Quidquid diu clauso lateat in utero, vel foetus sit, vel mola, vel polypus, vel aquae, vel flatus; illud visceris prolifei parietes perpetuo extendens atque stimulans, quamvis *ubera*, sub uteri hydrope *mollescere* et *lac malum* (nullum?) *esse*, auctor libri de morbis muliebribus edixerit, mammarum illico amicum consensum excitat, easque sororiari, et pro pusione, quem uterus forsita

entitur, lacteo repleri pabulo inducit. Os
eri ipsum, etsi citatus vix auctor vetustis-
mus, illud ad attactum *gracile* et *humidum*
se moneat, quas ei mutationes impraegna-
i imponit; has, a re quavis alia in hujus
vo contiguo vegetante promptissime subit.
otum prolis, inquies, gravida in sinu suo
rsentit; et cum ratione haec objicis; sed
n omnis sese foetus tam potenter, ne, vel
gitimae uxori, dubia interdum supersint,
overe solet; ac saepe flatus intestina per-
gantes, motusque spasmodici, vel illis
iam matribus, quae filios jam aliquos pe-
rerant, ut falso hos motus foetui adscribe-
nt, fucum satis diu fecerunt.

Gravitas interim uteri, quam foetus ipse
habitat, pondus visceris ejusdem, ab aquis
odo repleti, non parum superat, atque hinc
ulieris praegnantis incessum, illo, quem
uae solius in utero collectio aequalis con-
dit, difficiliorem longe reddat, oportet.
profunde satis, ut obstetricantis a digito
tingi queat, in pelvim uterus gravaverit;
cilius hic, modo aquis, quam puero simul,
ustus, ab illo sublevabitur. Moderatum
lud, et cuivis fere graviditatis mensi prae-
riptum, molis uterinae augmentum, vix

unquam ab aquis, vel celerius, vel adeo lentius adauctis, perfecte aequabitur. Immisso vaginae, quo uterum accedat, unius manus digito, atque hypogastrica regione alterius manus a digito celeriter compulsa, nisi forsitan hydatides, aut humor viscidus cavum uteri oppleverint; fluctuatio, solis ab aquis, quam si foetus has divideret, major percipietur. Conspicui magis ponderis haec erunt, ac saniorem de uteri hydrope suspicionem movebunt, si mulier jam provectae aetatis, vel multos per annos infecunda, cum signis vix allatis, prolem exspectaverit; vel si tempus, quo parere debuisset, jam aliquot a mensibus praeterfluxerit; vel si aquas jam semel iterumque ex utero, mox iterum repleto, emiserit; ac demum, si dolor imum ventrem, lumbos laterum molitudinem, et inguina detineat. Ad menstrua quod spectat, ea hoc in morbo vel pauciora, vel nulla, quod gravidis non minus contingit, observata fuerunt. Ventrem utero hydropico, *minus*, quam a conceptione, *acuminatum*, et aequalius juxta uteri et ventris amplitudinem extensum esse, summus quondam *Germaniae* medicus admonuit.

Ta-

Placentae, etiam humanae, copioſis hydatidibus, animalis aliquando proſapiae, obſeſſae, exſtant hiſtoriae. Quam in celebris anatomici *Goettingenſis* muſeo examinavimus, ea plura hydatidum millia oculis exhibuit; nec plura hujus rei exempla, hic ſuperflua, citamus. H.placentae.

Ipſe *liquor amnii* ſolus, quibusdam in gravidis tam inſignem ad copiam aſcendit: ut de hydropis natura, etſi hoc nomen frequenti ſatis, nec ſemper inſonti, huic phaenomeno tribui haud ſoleat, aliquomodo participet. Aquas vero *Hydrometram gravidarum* ſiſtentes, ſive *ſpurias*, inter membranas foetum cingentes, uterique ſuperficiem internam colligi, ac antequam illae, diruptae, liquorem amnii effundant, aut ſub nixu mulieris fortiore, aut vi dolorum ad partum, aliquando cum fragore, expelli, ſicut familiaris admodum, ita quoque notiſſima obſtetricantibus res eſt (§. 645.). Saepe gravidae mulieres partum ſibi inſtare ex aquarum hoc ſeceſſu putantes, et, cum poſt dies etiam plures eundem retardari viderent, timore magno percuſſae, foetus excluſionem, ob viarum ſiccitatem laborioſam ac perdifficilem exſpectantes, poſt unam tandem alteramve hebdomadem, rup- H. gravidarum.

tis demum foetus velamentis, liquorem amnii intactum et copiosum ex uteris profluxisse, felici mox partu insecuto, gravisae sunt. Sunt, quibus, utero per paucos modo menses ferentibus, inopinatus aquarum ex illo fluxus abortum minari, aliarum scilicet gravidarum exemplis admonitis, videatur; nec tamen partus ideo immaturus insequatur. Diversis adeo vicibus, in eadem graviditate, aquam ex utero stillasse, observatum fuit; quo phaenomeno, aut plures aliquando cellulas dilatatas, separatim has aquas continuisse, aut ruptas, de novo fuisse impletas, docemur. Neque uteros *gemellis* gravidos, hoc hydrope immunes esse, exempla commonstrant. *Novocomagiensis* foemina, sub quinti mensis, a conceptione, initio, pedum laboravit oedemate. Vix tumor hic disparuerat, cum, spatio unius hebdomadae, abdominis volumen, illud noni mensis in gravida, aequaret. Integumenta ejusdem erant pellucida; percussus venter, in profundis obscure fluctuare videbatur; caput obtuse dolebat. Ob pulsuum plenitudinem, venam adperiri, ac salis amari unciam assumi jubet medicus. Oriuntur nunc dolores ad partum, ac subito tres circiter conchii aquarum prae-

cipitantur ex utero. Nunc demum rumpuntur sponte membranae foetus. Hae quoque sat copiosae sunt aquae, hasque pueri sequuntur gemelli. Magni quondam uxor chirurgi, dum utero gestare incepisset, praeter morem se male habere, ac ventre monstrose ntumescere conspecta fuit. Tandem dolores ad partum prehenderunt mulierem, et, ore uteri aperto, aquae limpidissimae librae octodecim, nullo cruore admisto, uno sub mpetu effluxerunt. Post semihoram, vero terum dolore correpta, aquae, foetum ipsum ambientes, ad novem libras effluxerunt, puerumque mulier robustum ac sanum exclusit.

Post ictum, referente celebri *Angliae* chirurgo, mulieri caelibi tumuit uterus. Post mensem, sub magnis doloribus, duodecim pintae aquarum ex utero scaturiunt. Venter tunc subsidet; mox vero iterum recruluit malum, post mensem eodem modo solutum. Quinque post dies, menstrua hucusque suppressa, sequuntur. Novem spatio mensium, octies aquarum, talis, ex utero evacuatio contingit. Prolem tandem exiguam mulier haec, etsi menstruis debito more nunc redeuntibus, exclusit. Alia in foemina, mox a graviditate, omni quinta

septimana secuta est consueta evacuatio: sub quarum una, viginti septem pintae aquarum per uterum secesserunt. Sub nova seri in hoc accumulatione, dolebant ubera, mox vero multae hanc aquae secutae sunt. Nova graviditate aborta, uteri evacuationes aquosae, antiquo ritu, continuabant, morbo post hunc partum perfecte soluto.

Majoris utique momenti *Friburgo-Brisgoviensis* quondam celeberrimi Professoris observatio est: foeminae scilicet, quae, a partu foetus vivi, tumorem ventris tam magnum, ut alterum foetum in utero habere videretur, retinuit. Hic tumor, dum lochia sat male procederent, sic postea increvit, ut magnam venter in molem assurgeret. Nova interim huic ipsi uterino ex aquis tumori successit conceptio, quae, aquas, a principio, propriae membranae, aut pluribus vesiculis inhaesisse, hos vero saccos cum foetus velaminibus non tam arcte cohaesisse, ostendit.

Quodsi vero gravidae mulieres saepius absque insecuto abortu hoc malo laborare, ac foetus dein languidos atque debiliores pepe-risse sint visae; pluries nihilominus nos prolem sanam ac vegetam ab iisdem progenitam fuisse novimus.

§. 745. *Tubae fallopianae* hydropicae, utroque scilicet sui extremo, non sine praeviae inflammationis occultae suspicione, obturatae, concretae, atque nunc summum in orbem, nunc vero incurvum in tumorem, aquis, vel unico ac denso in cavo, vel pluribus in cellulis, repletum, extensae, haud pauca exempla, quorum modo aliqua hic colligimus, occurrunt. Quodsi vero *uterus virgineus* hydropem raro concipit; *tubas* non minus, quam *ovaria*, frequenter satis in caelibe foemina, atque in puellis, hoc a malo corripi, docet experientia. In virginis quadragenariae cadavere, ut legimus, postquam ei venter per octodecim annos increvisset, nulla aqua fuit in abdomine; sed omnis continebatur in dextra uteri *tuba*, et quidem solummodo in ejus parte juxta testiculum (ovarium), nec non in ligamento lato; eaque ab aquarum copia ita erat dilatata: ut, inflicto parvo vulnusculo, centum et duodecim librae aquarum effluxerint. Aqua haec erat limpida, fontanae adinstar, saporisque subsalsi. Substantia, in qua continebatur, crassitiem habebat semidigiti. Dextrae tubae sinistrique ovarii hydrops, in practicae medicinae diario describitur. Cucumeris melo-

Hydrops tubae.

nis magnitudinem tumor hic exhibuit, ac praeter aliquas hydatides, gelatina pellucida repletas, humoris quidquam densi, ex flavo brunei atque foetidi pintam continuit. Duodecim libras aquae dextrum uteri cornu continuisse refertur ab alio. *Batava* mulier, in utraque tuba novem circiter humoris puriformis, innumeris vesicis inclusi, libras gestavit. Foemina, quae, gravissimi viri testimonio, ex violento in hypogastricam regionem lapsu, intumescentiam hac in parte, cum dolore tensivo, patiebatur, quam aquae limpidae largum profluvium, cum sanguine menstruo primum prodiens, excepit; cessante sanguinis stillicidio, per anni dimidium, ex tuba hydropica, quotidie, ad minimum, libram hujus liquoris, ad tabem et mortem ipsam, excrevit. In sinistra tuba, libras triginta et unam aquosi et gelatinosi humoris, unus ex nostris in cathedra *Viennensi* antecessoribus detexit. Aquarum, nunc tenuium, pellucidarum, nunc turbidarum, viscidarum, puriformium, ad centum libras et ultra hic collectarum, exempla plura hic praeterimus. Num vero *ovarium* (§. 746.), num *tuba*, laborent, aut *ligamenta* (§. 747.), determinari cum certitudine nequaquam potest,

scilicet cum tanta propinguitas sit, et ea necessitas officii eorum omnium ad opus generationis, ut neque a tumoris sede, neque ab intercepta in muliere gignendi facultate, quidnam eorum hydropicum sit, liceat deducere. Neque facile est semper, tumores hydropicos his in locis, ab aliis, uti steatomatosis, pilosis, aliisque, nisi quae antecesserint, et quae comitentur, cum corporis temperatura, victu, solerter comparemus. *Figuram* tumoris *semicircularem*, ovarii simul ac tubae hydropem significare est dictum; progrediente interim morbo, tumor non minus hydropis in tuba, quam aneurysmatis in arteria, ad ovalem aut sphaericam figuram accedit.

§. 746. Saepe ergo hydrops tubarum, cum *ovarii hydrope* combinetur. Solitarium interim, immensae magnitudinis hydropem sinistri ovarii, non minorem, quam centum et viginti librarum pondus aquarum limpidarum exhibentem, in vetula, jam plures per annos, ut credebatur, ascitica, reperimus. Viginti duobus abhinc annis, cadaver foeminae quadragenariae dissecuimus, cujus alibi historiam, memoratu dignissimam, refere- Hydrops ovarii.

mus. Aquae viscidae septuaginta circiter libras haec mulier in dextro ovario nobis obtulit. Similis, et majoris amplitudinis hydropes ovarii, ex aliis, si conferre hoc videretur, colligere possemus. Copiosos, minoris tamen molis, hydropes ovarii, gelatinoso, albuminoso, melliformi a liquido formatos, sectiones pathologicae nobis patefecerunt. Non semper aquae in ipsa ovarii substantia, seu cavo, sed, ut observationes docuerunt, sub ovarii etiam *membrana externa*, quemadmodum de utero jam diximus, sedem suam figunt.

Plerumque sub initio hujus morbi, pluribus in loculamentis ovarium has aquas continet, inter se divisas; crescente vero ejusdem tumore, rumpuntur saepe hae cellulae, atque unicum modo saccum amplissimum, saepe crassum, tenacem, ac tumoribus scirrhosis hinc inde obsessum, constituunt. Sic ovarium sinistrum, quod celebris *Galliae*, de morbis mulierum scriptor, refert, vesicam subcoeruleam, quatuor circiter pintis fluidi mucosi, tenacis, cellulis prorsus separatis et clausis contenti, repletam exhibuit. Differentia igitur in hydrope ovarii occurrit: quod nempe omnis nunc testis foemineus, ingen-

tem in molem distentus, unam tantum vesicam exhibeat; nunc vero plura hac in vesica loculamenta, modo partem illius hydropicam exhibeant. Vesicae etiam aqua repletae, ac sine omni inter se communicatione solitariae, in tumente ovario hinc inde se offerunt. Utplurimum ovarii hydrops, in uno latere abdominis, sub costis spuriis, orditur, atque hac ratione a peritonaei hydrope differt. Tam valde ovarium sinistrum intumuerat, ut diaphragma perforaverit, atque cum pleura, mediastino et pulmone cohaeserit. Ea singularitate eminet hydropis ovarii, centum et septem aquarum libras continentis historia, a praeclaro *Edinburgensium* Scriptore conservata: quod mulier, sub initio se gravidam esse autumans, decimo mense copiosam aquam ex vagina emiserit; reiterata vero humoris collectione, lethum obiverit; quod exemplum, aquas ex *ovario* in *uterum* apertum defluxisse, nos convincit. Uterum ipsum, tumor hic ovarii praegrandis non parum afficit, ad *obliquam* sui, ac oris uterini positionem cogit, atque, ut praeclaro exemplo alibi, cum icone, aeri incisa, confirmabimus, in longum distrahit, nec non pelvis axin protinus deserere cogit.

Non rarum est, in ejusmodi ovariorum tumoribus, imprimis materia adipo-cerea simul infarctis, pilos, et quidem longiores, ossa, et dentes reperiri; quorum specimina, a nobis ipsis detecta, museo pathologico *Ticinensi* conservanda tradidimus.

Sicut vero in pueris longe frequentius *sinistri testiculi* hydrops vaginalis observatur: ita quoque *ovarium sinistrum*, prae dextro, saepius hydrope laborare (in quod satis attenti non fuimus), Vir celebris animadvertit. Forsitan, quod, monente id egregio *Galliae* anatomico, ovarii *sinistri* positio, illa dextri, saepius *elevatior* sit, illius frequentius, quam istius tumor tactu percipitur.

Aliquando quidem, sed certe non semper, ovarium hydropicum vicino cum peritonaeo, atque tunc non facile sine praevia unius vel alterius inflammatione, adcretum est. Quotiescunque vero haec adhaesio locum non habet; *ponderis sensum* a tumore majorem percipit mulier; qua etiam ratione tunc hydrops ovarii ab hydrope peritonaei distinguitur. Frequenter satis ovarii hydropem universalis hydrops sequitur.

Diagnosis difficultates.

Quod *diagnosis* circa ovarii hydropem difficultates manifestat, paracentesis in illo,

pro ascite abdominali declarato, cum effectu nunc sinistro, nunc parum noxio, susceptae, exempla sunt. 'Nos ipsi quondam hunc in in errorem, cum nullo interim aegrae discrimine, incidimus. Mulieris sane confessio: tumorem sibi primum ex pelvis uno, vel altero e latere, in quod scilicet cubasset, ponderosum, aliquando dolentem pependisse, ponderasse, sensim vero sensimque assurrexisse, — a decubitus, vel in hoc, vel illud in latus, ratione, tumoris figuram ac positionem deinde modo parum, aut nihil mutatas fuisse; — profundior, aut nulla, in tumore elastico fluctuatio, — incessus aegrae, alacrioris, cum magno licet tumore, facilior, quam in ascite, et minor diu functionum abdominalium, quam in isto esse solet, laesio; — longior morbi, quam ascites concedat, sine celeri symptomatum incremento, extensio, — remediorum, alvum purgantium, diureticorum, inutilitas, — urinae non tam parcae, quam in ascite, — aspectus foeminae minus cachecticus; cruris, qua parte tumor est, vel oedema, vel stupor, vel ingrata sensatio; — haec omnino medicum de ovarii adfectione satis instruunt. Ast vero, si qua, ex istis, nota defuerit; non igitur tunc

ovarium hydrope *non laborare*, necesse est. Nec certe omnis ovarii hydrops tam *lente* incedit, quin brevi satis tempore aliquando tumor illius se prodat, et *acuti* specimen hydropis offerat. Sic duorum mensium ante mortem spatio, in media supra pelvim abdominis regione, cum dolore natus hydrops ovarii describitur. Nec etiam omnis aegra, eorum, quae sibi plures ante annos, seu primis morbi temporibus, contigerint, qua sibi ratione tumor comparuerit, ac sese dilataverit, aut satis attenta fuit, aut memoriam conservat, aut illius revocandae, ordinandae, satis capax est. Saepe quoque, ubi opem nostram petierunt, tantus jam tumor fuit, ut corporis, in hoc, vel illud in latus, aeque difficilis fuerit conversio; ut ipsa respiratio, quae in aliis perparum laesa est, laboriosa duceretur. Haud raro, hydrope ovarii jam maximo, non minor fuit in eo, quam in quovis ascite, fluctuatio. Nec omnis tumor ovarii, cruris vel torporem vel dolorem inducit.

Sub hac igitur symptomatum ambiguitate, unum nobis signum, coeteris interim minime neglectis, ovarii hydropem certius indicare, duce experientia, est visum. Cum

digiti nempe apice, sub foeminae positione nunc supina, nunc erecta, in regione ovarii, non adeo abdomen percussimus, quam saepius integumenta abdominis interiora versus caute retropressimus, atque sub ipso retropressionis hoc opere, num digitus ad corpus durius, elasticum tamen, et a peritonaeo quidquam aversum, allideret, attenti fuimus, atque re ita quidem comperta, a vero non amplius aberravimus. Coeterum non inutile erit, foeminam cum tali tumore, tam per vaginam, quam per intestinum rectum, explorasse, atque digito, cum his canalibus versus tumorem, vel ad latera, vel ad anteriora directo, foemina nunc in genua, nunc in dorsum posita, tum in extensionem tumoris, saepe sat profunde in pelvis cavum ponderantis, et in oris uterini positionem, hic facile *obliquam*, inquisivisse, tum, alterius ope manus, abdomen, quo magis loco tumet, ad faciliorem fluctuationis perceptionem, percusisse. Tumoris ipsius *mobilitas*, quibusdam ut signum hydropis ovarii potissimum audit. Ast vero, si forsitan principium hujus morbi excipias, sub mole hujus partis quidquam conspicua, tantum abest, ut illa locum, quem occupat, cum alio commutet,

ut pelvis cavo, quasi cuneus, adacta, sub cadaveris sectione, extrahi eodem sine strepitu vix queat.

Hydrops ligamentorum.

§. 747. Ipsa quoque *uteri ligamenta*, tam *lata*, quam *rotunda*, hydropi, non minus celluloso, quam hydatideo, haud rara subjecta sunt. Ac primi quidem ex istis, jam supra (§. 745), exemplum adduximus; *hydatidei* vero hydropis ad ligamentum utrumque plura specimina referuntur ab aliis.

Hydropis causae generales.

§. 748. *Causarum*, quae hydropem in genere ac in specie producunt, considerationem, ne rei fere ejudem inutilis repetitio nobis incumberet, hunc ad locum consulto reservavimus.

Atmosphaera humida.

Ante omnia vero hic adnotandum est: *endemicum* esse hydropem in locis humidioribus, ob situm profundiorem ad ripas fluminum lacuumve, inundationibus crebro expositis, uliginosis ac frigidis; frequentissime quoque eundem morbum occurrere apud homines, qui, etsi elevatae quidquam civitatis incolae, infimam tamen habitaculi consignationem cellasque, solo humidiore lucisque beneficio carente superstructas, incolunt,

osae plantae, talibus in locis vegetantes so-
sque radiis privatae, pallescunt habitumve
acheticum induunt. Non absque multa hinc
atione a vetustissimo Scriptore dictum est:
ex primis aquis, cum, post multam siccita-
em, aqua futura est, et cum alia prava signa
i ventorum cessatione et aeris mutatione
pparuerint, licet aquam intercutem praedi-
ere." Vernum tempus, priusquam tellus sic-
escat, et autumnus pluviosus atque frigi-
us, omnis generis hydropum feraces sunt.
oelum, e contrario, siccum et moderate
alidum, habitatio excelsa, loca montana,
rida, hydropem, si non excludant, aut
um praesentem adeo dissipent, minime ta-
en secundant.

Nec minorem attentionem meretur potior hydropem dispositio sexus foeminei, foe- *Causae disponentes.*
s in utero, aetatis infantilis, senilis, ho-
inum literatorum, artificum vitam sedenta-
am agentium, a morbis vel gravioribus,
cutis, imprimis exanthematicis, utpote
arlatina, variolis, morbillis, vel diutur-
s, potissime dysenteria, diarrhoea, vo-
itu chronico, diabete, infarctu viscerum,
tero, scrophulis, scorbuto, morbis syphili-
cis, dyspnoea, asthmate, tabe, inedia lon-

ga, victu aquoso, parum nutriente, jactura humorum, praecipue sanguinis, lymphae, seminis, vel abusu evacuantium, exhaustorum.

Nervorum influxus.

Sed nec *nervosi* hunc in morbum generandum *influxus* argumenta attenti oculos medici hic fugient. Terror, moeror, melancholia, curae insignes et anxietas animi potissime huc spectant: ut quae solae, hominem pallescere, frangi viribus, cutanea privari perspiratione, et, exemplo hominum carceribus detentotum, proxime ad hydropem disponi faciunt. Eundem influxum exserunt morbi nervosi complures, tussis ferina, epilepsia, paralyses, et ipsa, quam facile ad nevrosos revocaveris, febris intermittens, ut quae, saepe post paucos paroxysmos, non tam solius debilitatis, quam adfecti systematis nervosi ratione, hydropes producit. Comitis *Hungari* proles, cum uno et dimidio aetatis anno plures illi dentes molares simul prorumperent, subitaneam dextri lateris paralysin passa est. Quotiescunque ab eo tempore infans ploraret; more solito quidem lacrymas sani lateris ex oculo, minime vero ex illo paralytici lateris, profundere solebat. Alterum in Principe *Polono*, ob uxoris dilectae ob-

obitum in dextrae partis faciei paralysin conjecto, exemplum vidimus; ut cujus oculus in parte paralytica, conſtanter lacrymas, altero fere sicco, plorabat; ex quibus sane exemplis, quantum nervorum affectio in secretiones nunc augendas, nunc sistendas possit, elucet. Ex uteri gravidi saepe *consensu* magis, quam *mole*, quo tempore praegnationis necdum tanta haec est, hydrops mulieris hunc statum infestat (§. 744.). Miram animi conditionem in hydropicis, jam (§. 735.) tetigimus, sub qua (ut magni scriptoris *graeci* penicillo utamur) „circa minima quaeque solicitudo, vivendi cupiditas, tolerantia, non ex animi alacritate ac bona spe, ut in iis est, qui prospera fortuna utuntur, sed ipsa morbi natura, observatur." Quodsi vero mentis, cum *dejectione* perturbatio, hydropem crebro producat; motus illam *erigentes* atque grati, sanationem hujus secundant. *Viennensi* vetulae, jam diu hydropicae, simul vero catarracta laboranti, nec meliora urinas movebant diuretica; cum vero filiorum aspectu ante mortem gaudendi desiderio permota, lentis obfuscatae extractioni sese submisisset: hac feliciter a celebri anatomes Professore ac nostro quondam collega felicissime, ut solet,

suscepta et visu vix restituto, brevi mora ingenti urinarum sub fluxu, sanitatem illa adepta est. *Opii* in hydrope aegrorum, morbosa sensibilitate laborantium virtus non aequivoca, haec ulterius confirmat.

Debilitas.

Concludimus ex istis: magnam partem hydropum, ratione causarum, esse *adynamicam.*

Directa, indirecta.

Debilitatis interim non una eademque dicenda est indoles; atque dum illa, a *subtracto* virium alimento natales suos trahit; hanc, *calcar* justo *vehementius* illis adactum, producit. Potuum spirituosorum abusus ac frequens *ebrietas* praecipue huc pertinet; ac bibacissimi quique helluones saepius ex hydrope, quam coeteri mortales conflictantur. Nec fere numerum istorum minorem *mercurius*, aut luis inter victimas, aut inter artifices, metalli hujus infidi vaporibus frequenter expositos, propriis in aquis suffocat. *Venenorum* summe stimulantium, vel ex omni regno naturae petitorum, effectus, producendo in hydrope infames sunt. Hos de colubre dipsade jam pridem (§. 480.) commemoravimus. Similia fere de toxicis vegetabilibus, atque de arsenico adnotata fuerunt; nec alia ratione certa *contagia*, intensiore sub stimulo,

hydropes acutos interdum producere videntur.

Longe interim abest, quin omnis causa hydropis, quod aliqui praetendunt, in sola, quaecunque demum ea fuerit, *asthenia* prudenter poni valeat. Frequentem nos in libro de *inflammationibus*, et in altero, *de exanthematibus*, hydropis *acuti*, ex iisdem, et quidem veris, sive, ut vocant, *hypersthenicis* generati, mentionem fecimus (§§. 126. 131. 142. 145. 151. 186 206. 215. 217. 243. 295. 300.); sed *chronici* adeo hydropis, tum universalis, imprimis cellulosi (§. 736.), tum partialis, ex nimia virium vitalium *energia* excitati, et in robustioribus subjectis, sub pulsu pleno, duro, vibrante, post suppressa imprimis profluvia, ex lege vel sexus, vel habitudinis pendentia, ut putate post menstrua, lochia, haemorrhoides, epistaxin, aut per nimiam systematis sanguinei irritationem, aut per styptica, adstringentia remedia cohibita, exorti, exempla non pauca, tum ab aliis scriptoribus, imprimis a nostro quondam in cathedra *Viennensi* eximio antecessore, sub *hydropis plethorici, sanguinei*, appellatione, exposita, tum, partim, anteriora illis, nostris in diariis adnotata, habentur. Cum illa, Indoles hypersthenica.

aliaque, ut Lectoribus non incognita, brevitatis causa, praeterimus; ex propriis observationibus modo paucas, sed ad rem vel maxime facientes, hic adducimus.

Supplices Principi *Spirensi* literas praesentavit mulier rustica, ut proprium medicum ad conjugem, jam ab anno hydrope conflictatum, ac ob expensa in medicos et in pharmaca, vix non omnibus exutum, transmitteret. Hunc aegrum, praesente altero, ordinario, accedentes, ascite illum abdominali, crurumque oedemate, cum perpetuis fere ventri ac intestini recti doloribus detineri reperimus. Omnis generis resolventia, diuretica potentiora, et cum haec urinas nec quidquam movissent, drastica, tandem vero amara, et roborantia sic dicta remedia, ast omnia incassum non modo, sed adeo in aegri perniciem, variis a medicis hucusque praescripta fuerunt. Pulsus, in viro quadrato, necdum igitur viribus dejecto, constanter plenos, vibrantes ac duros, vasa haemorrhoidalia, quae antehac sanguinem periodice sat multum effundere solebant, fluxu hoc jam diu suppresso, turgidissima, dolentia, tormina ventris turgidissimi, fluctuantis, fere continua, urinas parcissimas, jumento-

ssas, bruneas, observavimus. Venae sectionem satis largam, cum decocto hordei, paucoque cremore tartari et nitro, non absque medici adstantis offendiculo, praescribimus. Aliquot post dies, dolorum vehementiam imminutam, urinarum fluxum non parum adauctum, pulsus minus tensos, plenos tamen adhuc dum, observantes, sanguinem de novo, ad libram, mitti, in coeteris vero continuari jubemus. Impetuosus urinarum nunc fluxus insecutus est; sanitas vero perfecta, trium intervallo hebdomadum, absque aliis remediis restituta fuit.

Florentis admodum habitus mulier, viginti sex circiter annorum, quam, abdomine praeturgido, in *Ticinensi* nosodochio, ut praegnantem magis, quam ut aegram, quid hoc in loco contenderet? interrogavimus. Hydropicam se esse, atque tertiam nunc sibi paracentesin, eo quod nec squilla marina, nec aliud remedium opem hucusque praestiterit, parari, dolenter respondit. Experto nosocomii medico fiduciam ultro praestari animatam reliquimus. Post horas aliquot, ad clinicum Institutum, cui tunc praefuimus, admitti, per nuntium, anxie desiderat. In hoc suscepta, refert mulier: se plures ante

menses, optime valentem atque mediis sub menstruis constitutam, a *terrore* percussam, abhinc dicto hoc fluxu illico privatam, brevi post autem, in rebellem omnibus auxiliis et binae paracentesi asciten conjectam fuisse. Urina, duas tresve ad uncias, turbidae cerevisiae fere similis, per nycthemerum reddebatur. Omnes coeterum corporis functiones, si modo sitim, dolorem ad lumbos, alvi siccitatem, calorem quidquam majorem, pulsusque magnos, plenos, haud tamen frequentes, exceperis, vix a sanis aberrabant. Nova tunc primum *Scoti* medici, sublimis in multis, erronea in pluribus, doctrina de asthenica in omnibus hydropum morborumque multorum natura, egregiam quidem, sed novitatis nimis cupidam juventutem inebriaverat. Ex auditoribus nostris potioribus tunc unum, quem novo systemati vel maxime favere noveramus, ut aegram pertractandam susciperet, elegimus. Asciten praesentem pro *asthenico* declarans, hic, et opium et aetherem, magna satis dosi, cum corticis saturato decocto, ut remedium proponit. Venam autem aperiri, libram sanguinis educi, decoctum hordei cum cremoris tartari et nitri portione propinari, jubemus. Non parum

hanc methodum, quod *terror*, seu *deprimens potentia* morbum, ob hanc rationem pro certo, ut susurrabant, *asthenicum*, sodalium plures mox improbabant. Hanc interim iniri viam jubentes, altera jam die libram urinae, clarioris, pulsusque altiores simulque liberiores obtinemus. Altera tunc venae sectio, priore non minor, instituitur. Hanc, urinae secretio insequitur tam abundans, ut, quindecim dierum spatio, hydrops omnis, sub magno contra opinantium stupore, disparuerit.

Post annum, eadem haec mulier, ut plenam singulis valetudinem ulterius manifestaret, clinicum Institutum gratissime et laeta salutavit.

Plura his, quod possemus, nec ex nostris his addimus; sed hydropem, etsi non tam communiter, aliquando tamen, et quidem sub certis constitutionibus, post scarlatinam graviorem ac energicam non tam infrequenter esse *hypersthenicum*, inserimus, et experti, nec soli, docemus, atque jam dudum docuimus.

Ex *colicis* doloribus hydropem hinc inde propullulasse, jam ab aliis est dictum; frequenter interim, quod *colicam* vocarunt, oc-

culta potius *enteritis*, vel haemorrhoidalis indolis inflammatio, in asciten acutum, vel puriformem, pronissima, ut sectio pathologica nos docuit, fuit.

Rheuma. *Rheumaticae* indolis esse partem hydropum longe plurimam, experientiae suae, praegrandi, innixus, celeberrimus nobis *Neapolitanus* medicus, de sedibus variolarum, de ischiade nervosa, atque de re anatomica vel optime meritus, opinionem suam, viginti abhinc annis, exposuit, atque suas hoc de objecto observationes benevole promisit. Etsi vero huic sententiae, quod nimis generalem putaremus, assentiri nequaquam pōtuerimus, nec etiamnum queamus; eodem tamen anno *Ticini*, praeviis, sub autumnum, pluviis permultis, coelo vero mox sereno, nec tamen frigido, *rheumaticae* indolis constitutio, ab expertissimo in celeberrima illa academia nostro tunc collega, nunc vero successore, in oratione publica praeclare descripta, comparuit; sub qua nempe hydropes, solito longe plures, tum in civitate, tum in hujus nosocomio, exorti sunt, cura vix alia, quam quae rheumatismis conferret, superandi. Nec certe antehac, rheumatismi, vel arthritidis in excitando hydrope potentia, haud verum

ideo tam extensa, latere nos potuit. Quaecunque vero rheumatismi theoria sit, et num haec vel ex acri sui generis eum morbum oriri, vel insonte humorum massa, eundem nasci praetendat; hoc saltem certum est: haud raro hydropes ex hac uberrima morborum scaturigine venire.

Nec minus tamen ex alio, qui facile impurior videri posset, fonte, ex illo nempe *impetiginum*, hydrops hinc inde subnascitur: ex psora scilicet, ex herpete, ex tinea, praepostere cum adstringentibus, vel cum unguentis, persanatis; ex sudore pedum, axillarum, habituali suppresso, ex ulceribus antiquis incaute clausis, ex urinae secretione intercepta (eventu, ex pathologiae humoralis, ut vocant, etiam minus crassae, fundamentis forsitan facilius, quam solis ex solidorum erroribus explicando) haud raro proficiscuntur hydropes. Quadraginta duobus abhinc annis jam tale nobis exemplum in puellula quadrienni *Badensi* obvenit: quae, tinea capitis laborans, a parentibus audacter cum unguentis pertractata, in hydrothoracem mox incidit, nonnisi vesicantibus, tonso vertici impositis, a nobis feliciter sanandum. Multa nobis posthinc hydropum, ex

Morbi cutanei.

morbis cutaneis, ac praecipue ab *erysipelate*, vel refrigerio, vel perversa methodo dispersis, ortorum, exempla, omni sane medico communia, obvenerunt. Ea ipsa, quae morbos cutaneos induxit, causa, vel et interrupta, sub methodo exsiccante, cum illis habitudo, in organa viscerum secernentia forte magis, quam ipsa suppressae impetiginis materia, agendo, hydropem, abinde oriri visum, progenerat.

Secretio morbosa.

Potissimum nempe generandi hydropis punctum, nobis, in perversae, ac simul auctae secretionis seroso-lymphaticae, in stimuli nunc defectu, nunc superabundantia, collocata ratione quaerendum esse videtur; nec interim sola *secretio morbosa*, in tali systematis adfectione, rem omnem absolvit; cum non modo serum videamus morbose secerni colligique; sed et partes solidas corporis manifeste *colliquari* observemus; et cum major saepe aquarum, quam ingesta, et corpus ipsum largiri queant, in hydrope, adhibita imprimis paracentesi, collectio, vel *auctam ex atmosphaera resorptionem*, vel *aquarum, processu chemico, compositionem* hic fieri nos doceat.

Obstacula humorum.

Utramque vero, systematis arterioſi non minus, quam lymphatici, actionem morboſam, et *obſtacula*, humorum aut curſui, aut distributioni oppoſita, inferre queunt; exemplis *aneuryſmatum*, tum cordis, tum vaſorum majorum, — *concretionis pericardii cum corde* arctioris, — parietum hujus musculi conſpicua *extenuatio*, ac *valvularum cordis*, vel *tunicarum arteriae majoris in oſſeam ſubſantiam converſio.* Deſcripſimus alibi, hydropis univerſalis, ultimo Principi marchioni *Bado-Badenſi*, triginta novem abhinc annis fatalis exemplum: ut cujus Principis totam aortam, usque ad ſuam in femorales arterias diviſionem quidquod longe ultra, praecipue vero ad arterias renales, quibus nempe vix porcinum immittere ſetum potuimus, in oſſeam ſubſtantiam (et quidem malo, et fratri quondam, et ex hoc fratre nepoti, duodecim annis haud majori, communi) abiviſſe, ſub ſectione cadaveris a nobis inſtituta, comperimus. Ipſa *viſcerum* conſpicuorum, *glandularum obſtructio*, vel *vomica*, etſi crebro eandem, ac hydrops, cauſam illa agnoſcat, et ſaepe ſocium magis iſtius effectum, vel ſolis roborantibus haud raro impugnandum, ſiſtat; — etſi frequenter a medicis longe ni-

mii in procreando hydrope ponderis sit habita, — etsi centenis in hydropicorum cadaveribus nos ipsi nullum obstructionis vestigium repererimus, ac demum, licet summas toties, absque omni hydrope, obstructiones detexerimus; ubi sanguinis vel lymphae cursum, qui saepe laterales istorum vasorum per ramulos adhuc partim absolvi potest, *omnem*, dato in cavo, interceperit, — quod et grandiores *varices* facient, et cognito ligatae quondam venae jugularis exemplo, quo tum abdominis tum capitis hydrops insecutus est, factum esse constat; vel quod circulo humorum obicem ponat nimium, vel quod partes sibi vicinas distrahat, comprimat et irritat, hydropi ansam porrigere potest, Ipse hydrops unius cavi, alterius, vicini cavi hydropem, ex eadem ratione, quamvis saepe non solus, inducit.

Ex his iterum *spasmorum*, quibus tantam in procreanda *pneumatosi tuberosa* partem concessimus (§. 709.), in hydrope, imprimis *vago*, potentia elucet.

Difficilem in explicanda hydropis origine nodum illi findunt magis, quam solvunt, qui vasis lymphatici solutionem, lacerationem, etsi exemplo ductus adeo thoracici dirupti,

minime impossibilem, aquarum collectioni praeesse supponunt. Nulla saltem injectionibus aptiora, quam hydropicorum, sunt cadavera. In multis, hydrope pectoris et abdominis enectis ovibus, vasa lymphatica turgida fuisse ac integra, egregius de corde Scriptor *Anglus* detexit. Diversa denique est lympha morbose *secreta*, in cavis hydropicis reperiri solita, a lympha, sui generis vasa perfluente atque sana.

Et interim, ubi, raris tamen in casibus, humor longe alius in ventris cavum effundatur: utpote ex rene, ureteribus laesis, exulceratis, ex ventriculo perforato, quorum nempe exempla in fastis medicis occurrunt, a vero tamen hydrope diversa.

A potu copioso, imprimis frigidae, post aestum majorem, affatim hausto, morbos alios quidem, sed minime hydropem, nisi secundarium ex illis, oriri vidimus. Si quis tamen abinde, ut legimus, descenderit, frigoris magis, quem ipsius aquae, hoc sub statu ingestae, effectui attribuendus esse videtur. Plurimi interim sanguinis, e vena canis, cui magna aquae quantitas ingesta fuit, detractionem, — aquam moderate calidam, jugulari canis venae injectam, post

semihoram, hydropem cellulosum et asciten, ambiguo satis experimento, induxisse, adnotatum invenimus.

Quae causae, omne in corporis systema agendo, hydropem *universalem* inducunt; eae, in partem modo unam illius, intactis fere coeteris, operando, *localem* aquarum collectionem progenerant. Violentiae externae, ut contusio, concussio, et quaecunque irritatio topica, quamplurimum huc faciunt. Ipse cantharidum stimulus, cui parti externae admovetur; in ea, vesicalis speciem acuti hydropis producit.

Causae hydropis speciails.

§. 749. Ad ultimas rerum causas, humano via non patet ingenio; sed non multum ab illa, tantis in tenebris, aberrasse, huic sufficiat, necesse est. Quodsi igitur, in causarum, quae ad *specialem* quemvis hydropem conducunt, examine, non minor nostri nos teneat diffidentia; id saltem lucri ex ista in artem redundare optamus: ne hujus exercitium, quod casibus fortuitis et rerum experientiae majora sane, quam opinionum commentis, debet, a solo *causarum*, quas nunquam satis cognoscimus, scrutinio, tanquam velo undique lacero, dirigendum esse putetur.

Celluloſi cauſa hydropis, sub corporis in col-luvies serosas dispositione, haud raro majo-rem in tela subcutanea laxitatem, inertiam, saepe nativam, aut cellularum ejus quondam ab adipe copioso extensionem, aut veram adeo in membris paralyticis resolutionem, agnoscit. Vir obesus et sinistro latere para-lyticus, ex aquarum mineralium potu, ut legimus, in singultum, hoc vero per opium sedato, in omnimodam et sextiduam urinae suppressionem incidit. Ab eo, totum latus sinistrum, paralyticum, *intumuit*, et accurate limites dimidii corporis tumor observavit. Frequentia partium paralyticarum oedemata, nemini medicorum ignota sunt. Pingues, prae macilentis, et cutis strictae hominibus, exemplo foeminarum, infantum, in praefa-tum hydropem nituntur. Sensibilioris tex-turae homines, quorum cutis, minoris adeo stimuli, ut a levi emplastro, vel etiam non rancidi a gutta olei, impatiens est, — vel convalescentes, post gravem morbum epider-mide spoliati, in anasarca, prae aliis, sunt proni. Maxime vero cutis inflammatio quid-quam profundior, sub erysipelate phlegmo-nosi, sub scarlatina graviore, sub variolis, morbillis, scabie ferina, post varias injurias, Causae hydr. celluloſi.

laesiones, praegressa, huc pertinet. Quae refrigerio, potissime a longo et nocturno decubitu super humo pluviis inundata, exponatur, prima est corporis externa superficies, vasis exhalantibus innumeris intertexta: quorum humor, saepe suburinosus et foetens, medio sub fluxu his teneris in vasculis coercitus, facile haec exstimulat, ad secretionem morbosam invitat, atque secretus, sicut a vesicante sub epidermide, ita profundius sub cute restagnat. Hinc scroti, apud puerulos necdum feminalibus obtecti et frigida ab aura defensi, quidquod ipsius tunicae vaginalis circa testiculos, tumor aquosus facillime subnascitur. Emphysema, vel hydrops cellulosus, jam semel textu subcutaneo potiti, quo aquae, data causa, facilius eodem potiantur, occasio sunt. Collectis vero quondam ad textum subcutaneum serosis humoribus; facili opera aquarum per omnem telae cellulosae, etiam internae, atque visceralis ambitum fit distributio, atque sic vicissim. Frequenter tumor oedematosus ad illas partes externas comparet, in quarum penetralibus aut corpus peregrinum, aut pus, aut ipse jam hydrops latet.

Hy-

Hydrocephali vitium, prae alio, partim caussae, quarum in ipsa hujus mali descriptione jam meminimus (§. 737.), partim aliae, nunc exponendae, parturiunt. Etsi vero *dispositionis*, lucem nullam spargente vocabulo, rem obscuram illustrare nequaquam contendamus; necessarium tamen ducimus, ante omnia monuisse: uterum eundem, partus saepe repetitos, aut aperte satis cranio hydropicos, aut iniquo morbi hujus seminio, citius tardiusve maturando, contaminatos, eniti.

Sex ejusdem familiae proles, hoc a morbo, secundo aetatis anno trucidatas refert Scriptor de morbis infantum *Anglus*. Foetum, hydrocephalo adfectum, matris e sinu extraxit noster quondam collega, Institutionum chirurgicarum in Academia *Ticinensi* celeberrimus Professor. Sex alios foetus, eadem infelix mater, eodem a malo prehensos, jam antehac pepererat. Nostrum consilium petiit vir optimae constitutionis, quartae jam uxori matrimonio junctus. Ex prima novem hic proles, adhuc vivas, obtinuit. Quas conjux ultima, robusta et sana tulit, quinque proles, eae omnes hydrocephalo, jam primo aetatis anno, perierunt. Plerum-

que hi foetus nullum fere in utero motum prodiderant, nihilominus feliciter, et absque magno labore, sub pleno salutis aspectu, ecdem exclusi. Primis autem a partu hebdomadibus, singulae hae proles, quod mater ipsa non potuit, a nutricibus lactatae, marcescere, ac demum unius anni sub epocha extingui solebant. Atqui tamen hanc ipsam, nulla infirmitatis nota, si forsitan *scrophulosae constitutionis*, propria ejusdem familiae, vestigia exceperis, maculaverat. Cave tamen, ne tale quid supponendo, tuum igitur in tam gravi materia judicium praecipites, atque vel matrem, quae nec a longe quidem morbi, huc facientis, suspecta est, insontem, hypothetice inculpes; aut certae foetum labis, vel scrophulosae, vel rachiticae, vel demum syphiliticae, cujus nulla in plurimis vestigia se produnt, vel se unquam explicabunt, accuses. Fatebimur quidem, proles illas quinque, quarum fata vix retulimus, glandularum mesenterii obstructionibus et atrophia, nec minus tinea faciei atque rachitide laborasse. Nec celabimus, quod, praeter alios, gravis *Galliae* nosologus non minus, quam conspicuus quondam de cerebro ac morbis nervosis Scriptor *Anglus*, singulos,

quos viderent hydrocephalo correptos, *scrophulosos* simul fuisse adnotaverint. Interim haec, in genere, neque aliis nostris observationibus, neque aliorum experientiae, satis respondent. Apud *Lipsienses* certe, nullus in plerisque infantibus, morbus, qui hujus mali causam obtulisset, praegressus fuit. Nullum, inter omnes, cum hydrocephalo sibi oblatos, infantes, ex rachitide aegrotasse, fatetur primus, qui hunc morbum rectius descripserit, auctor *anglus*. Plures nos ipsi infantes, hydrocephalo quidem, sed nulla labe alia, correptos, a matribus aspectu sanissimis exclusos conspeximus. Robustissimas, e contra, vivacissimasque proles, ab hydrocephalo acuto potissime prehendi, jam supra (§. 737.) monuimus; et ubi aliquando glandularum lymphaticarum tumentium, vel ossium mollescentium, vel impetiginum, symptomata sub hydrocephalo comparent; semper tamen dubia, num *causam* morbi haec mala, absque hydrocepho communissima, num *effectum* illius, longe rarioris adfectionis constituant, manebunt.

Injuriis externis, capiti foetus illatis, alii hydrocephalum adscribunt. Ac primo quidem, positionem illius in utero aliquando

iniquam, aliqui, — alii compressionem capitis sub partu laborioso, aut artificiali, longiorem, aut subitaneam, — alii, lapsum, casum infantis, aut ictum in caput, accusant. Animalia, quae concessis sibi a natura cornubus, mutua inter se praelia sub violentis ejusdem conquassationibus absolvunt, frequentius chronici poenam hydrocephali luere, referunt. Puellulam octo mensium, ex vi, capiti illata, in horrendum illud vitium incidisse, legimus. Conspicuus de hydrocephalo Scriptor *anglus*, ex propria experientia, saepe illum, ex lapsu, ex ictu violento ad calvariam, ex saltu, vel fortiore corporis commotione, venientem, a se conspectum refert. Inter *sexdecim* proles, cerebro hydropicas, *sex*, a causa consimili hoc in vitium incidisse egregius *Genevensium* medicus affirmat.

Non multum ab hac opinione distat illa de *cerebri inflammatione*, ut hydrocephali communiore origine. Evidens satis in multis, huic vitio subjectis, humorum sanguinisque *ad caput congestio* est. Venae cerebri ac membranarum, quae hoc involvunt, cruore repletae atque distentae sunt; cerebri involucra, condensata, morbose inter se coalescunt.

Piam meningem copiosa vascula, amoene rubentia, translucent; lymphae coactae, inter plicas cerebri, ac in ipsis ejus ventriculis, copiosa, etsi non perpetua, sunt vestigia, flavescit cerebri mollior simul et deleta quasi substantia. In puero tredecim annorum, hydrocephalo acuto celeriter enecto, sinus longitudinalis cerebri superior, nec non sinus falciformis manifeste inflammati, ex atro rubri, in ventriculis vero lateralibus tres unciae cum dimidia liquidi aquosi, clarioris repertae fuerunt. Viscera abdominis, imprimis hepar, latente de phlogosi, forsitan ex cerebro affecto symptomatica, haud raro testantur; quae singula, sicut ab illis, quae in *encephalitide* partim se manifestant (§.140.), non multum aliena sunt; ita cum morborum, qui hydrocephalum toties praecesserunt, ut scarlatinae, erysipelatis, achorum, tineae, psorae, fluxus aurium purulenti, saniosi, suppressorum, refrigerii, dentitionis, actione, haud parum certe conspirant. Ab eo, quod teneriores etiam infantes, quos sic robustiores fieri contendunt, *nudo capite*, vel flante aquilone, incedere mos est, hydropem cerebri frequentius, ex causa quasi *rheumatica*, obvenire, vix dubium nobis manet.

Aliam *congestionum* ad caput, et hydropis abinde in eodem nascentis rationem redditari, foraminum, per quae vasa cerebri lymphatica, venosa, ex cranio descendunt, per tumores glandulosos, scirrhosos, angustias, — Infundibuli, cui cavum, transmittendis e tertio cerebri ventriculo ad glandulam pituitariam humoribus destinatum, duce magno anatomico, assignant, obturationem, glandulae hujus indolem scirrhosam, abusus emeticorum, tussis ferinae violentias, adducunt.

Fuerunt, qui aquarum in cerebro collectionem, ex *vase lymphatico*, — alii, qui ex *taenia hydatigena*, ruptis, repetere amaverint.

Ex hydrorrhachia frequenter natales suos trahere *hydrocephalum*, alterius docti viri fuit opinio; quod scilicet in hoc vitio, aquas ex quarto ventriculo in spinam descendere, cum humida hoc in ventriculo collecta, mortem repentinam induxisse sint visa, non crediderit; et quod interdum sola, et absque hydrocephalo, observata fuerit hydrorrhachia.

Opinio propria. Ut nostram de expositis opinionibus sententiam afferamus, sufficiet, nos breviter indicasse: fere in omnibus his aliquid veritatis, — in nulla vero, alterius originis exclusionem latitare. *Chronici* hydrocephali causas,

apud infantes, ab illis hydropis asthenici cujusvis, et apoplexiae serosae in adultis, perparum differre supponimus. Quae ossium cranii primam conformationem atque consolidationem in foetu, sinu matris vegetae ac sanae concepto, impediant, ignoramus; sed saepe in illius germine, sicut formae monstrosae, ita vegetationis abnormis, aut alicubi suspensae ratio quaerenda esse videtur. Firmitatem, aetati congruam, cerebrum, ex quacunque demum ratione, non acquirat! et, quod primis a conceptione temporibus fuit, tremula vix non et parum cohaerens gelatina erit, quae primas partis organicae lineas utique contineat; sed, suo meditullio in serum facile colliquescens, has denique, quousque licet, extendi patiatur. Foetus, uterinis in aquis fere natantis, positionem vel hanc, vel illam, ad primam hydrocephali evolutionem plurimum conferre, eo, quod frequentius hic ex tali causa oriri deberet, dubitamus.

Quaecunque vero cerebro, vel compresso violenter (imprimis a forcipe, impetuosius, quam par est, agente) vel contuso, concusso, inferuntur injuriae; hae, licet a variis scriptoribus, causarum hydrocephali e nu-

mero exclusae, vel quod teneram hujus visceris subtantiam infirment, decomponant, vel quod partes ejus incendant, et, utroque in casu, ad secretiones morbosas invitent, hydropis ponere principia, prae omnibus, valent. Quam frequenter viscerum *inflammatio*, *acutum* hydropem, aliquando in *chronicum* abiturum, producat, jam saepius, et potissime sub *encephalitidis* descriptione, exposuimus (§. 140.). Nec ideo, hydrocephalum crebrius ex cerebri phlogosi descendere affirmantes, hanc ipsam ideo ubique *energicam* esse, absque debita subjecti et aliarum conditionum consideratione, praetendimus. Concedimus adeo, morbo, quem hydrocephalum acutum vocarunt, in *primo* suo stadio, saepe magis *encephalitidis*, quam *hydropis* nomen convenire; et symptomata ejusdem (§. 737.), necdum adeo de aquis morbose *secretis*, quam mox, in *secundo* nempe stadio, *secernendis*, testari. Acutissimo nempe hoc a morbo, saepe antequam altera haec, certum dierum ad numerum minime limitata, periodus subintret; mactatur jam convulsus infans; nec ejusdem cerebrum dissectum, aut serum, aut lymphae exspectatum coagulum, quod paulo

serius certe obtulisset, cultro anatomici, ut primae periodi effectum, offert. Atque sic, diversitas symptomatum, ejusdem in morbi stadiis diversis, — ac in *primo* quidem, ex stimulo, vasis secernentibus iniqua proportione admoto, — in secundo, ex aqua ab iisdem jam secreta, et in stamina nervosa ponderante, — in *ultimo* vero, tum ex lymphae, a sero separatae, tum ex utriusque, non modo copia continuo adauctae, sed qualitate simul mutatae, degenerantis actione perversa, ac demum ex viribus vitalibus, quovis momento magis magisque, sub febris, quasi *nervosae*, seu asthenicae, incessu, detritis, explicatur. Cum hac morbi truculenti idea, tam causarum inflammationis vix commemoratarum, prae aliis vero, infamis, hoc quoque titulo, *scarlatinae* actio, quam eorum, quae in cadaveribus post hydrocephalum acutum plerumque detecta fuerunt, indoles, apprime conveniunt; atque si phlogosis, aut lymphae coactae nulla aliquando in cerebro hydropico vestigia comparuerint; absens hoc phaenomenon, vel solam, absque inflammatione conspicua, *irritationem* ad secretionis opus morbosae suffecisse; vel serum, lymphatico suo principio (quod ad ce-

rebrum, prae aliis locum invenit) vix non exutum, aut minoris, aut alterius lege stimuli, hic secretum fuisse, indicio est. Ex omnibus saltem comparet, aquas in cerebro collectas, *effectum* magis, et quidem tardiorem plerumque, morbi, de quo agimus, quam *causam* sistere; atque dum post plures morbos alios, post encephalitidem, post cerebri erysipelas, post typhum graviorem, post apoplexias, haud rarum sit has aquas illinc locorum, quin igitur semper pupillae dilatentur, reperiri; fatebimur: symptoma, quod morbo nostro nomen imposuit, principatum, quem coeteris symptomatibus, nobis ipsis indulgentibus, eripuit, non semper mereri.

Qui hydropem cerebri ex irritatione aut inflammatione crebro oriri dicimus, neque has semper *primarium* morbum, sed saepe totius systematis adfecti, ac febris nunc hujus, nunc illius, symptoma esse monemus. Nec sane, dum suam stimulo ac *inflammationi* auctoritatem vindicamus, *congestionum*, aut subitanearum, aut lentarum, illi quid detrahere contendimus; sed omne illud, quod humorum reditum ab encephalo praegravat atque dimminuit, nec obstaculis mechanicis, nec spasmodicis, ex dentitionis opere diffi-

cili aliasque per causas inductis adfectionibus exceptis, ad cerebri inundationes, tum acutas, tum chronicas, contribuere (exemplo canis vivi, ligata vena jugulari, interea illum arteriae carotides atque vertebrales suum vasis exhalantibus sanguinem advehere perexissent, suprapositis musculis omnibus et glandulis, mox sero pellucido superfusis enecti) fatemur.

Cavum esse *cerebri infundibulum*, etsi plures defenderint; alii tamen conspicui Scriptores negarunt. Ex hominis quidem adulti, in diversorio extincti, infundibulo ingentem aquae limpidissimae copiam effluxisse, magnus *Bataviae* anatomicus adnotavit; et similes fere ejusdem particulae tumores aquosos alii describunt. Longe saepius interim nullum in illa vitium in cerebri hydrope comparuit; neque hinc, in causarum istius consideratione, magni ponderis censenda videtur, dubia saltem, infundibuli obturatio.

Etsi vero, quae, magni de systemate lymphatico Scriptoris *Italici* labore, vasa hujus generis ex cranio redire accepimus, eorumque possibilem diruptionem in dubium revocare nolimus; nec magnum tamen eorum numerum, nec hunc, exceptionibus,

quas supra contra hanc hydropis causam jam fecimus, nisi rarissimis forsitan in casibus, exemptum esse ducimus.

Plura hydrocephali cum hydrorrhachia *complicati* non minus, quam hujus ultimae, *solitariae*, exempla exstant; atque hinc amborum vitiorum unum ex altero posse nasci, admittimus. Quodsi vero aquas, ex alto, profundiora petere, facilius est; antequam contrarium succederet; ex universae columnae vertebralis hydrope, partium inferiorum notabiles paralyses hydrocephalum praecedere (quod tamen in isto rarius contingit) deberent.

Causae hydrorrhachiae. *Causas hydrorrhachiae* partim jam in ipsa diri hujus morbi descriptione (§. 738.) tetigimus; et quae de illis hydrocephali diximus, ea, si ad columnam vertebralem referantur, causarum huc pertinentium summam fere constituent. Uterque nempe morbus pro magna parte in mala ossium conformatione, — ille vero, de quo hic agimus, in defectu partium intermediarum, juga cum spinis vetebrarum aut futuris, aut praesentibus, formantium, — vitio nempe aut *primigenio*, aut per *morbos*, *ossibus infensos*, producto, consistit. Quemadmodum vero de

hydrocephalo jam diximus, matrum, quae plures etiam cum hydrorrhachia proles genuerint, exempla habentur. Ipsa vertebrarum, et cartilaginum his intermediarum, fabrica haud raro incompleta, vel et earundem substantia, nec ipso adeo corpore verticulorum excepto, erosa hinc inde, vel etiam perforata, corrupta, destructa, consumpta est. Laterales adeo vertebrarum rami ossei, aut valde imperfecti et malae directionis sunt; aut plane cum ipsis apophysibus obliquis et transversis deesse conspecti fuerunt.

Quod vero non modo ad locum, quo vertebra dehiscit, sed per longiorem aliquando tractum columna spinalis hoc in morbo a statu sano aberret; spinalis cavi, apud infantem, cui tumor ad mediam ossis sacri partem haerebat, amplitudo longe aucta ostendit. Absque praevia in vertebris fissura, si infimam ossis sacri, ex natura dehiscentis, partem excipias, saccus ille, qui aquam hoc in morbo continet, non oritur; nec tamen etiam sine aquis vertebrae dehiscunt; ut igitur, num praevia fissura, aquis, num istae, ossis fissurae, magis faveant, nisi utrumque subinde aequali cum jure diceretur, quaestio nasci posset. Aquae nempe interdum

vel ex occupatis primum cerebri ventriculis lateralibus, per aquaeductum *Sylvii*, in ventriculum tertium, ex eo vero, sub statu majoris repletionis morboso ac violento, in quartum, qui initium est rimae, per omnem spinalis medullae longitudinem decurrentis, — vel, ut clari *Sueciae* scriptoris opinio est, ex utroque latere medullae oblongatae ac spinalis, inter tunicas istius, scilicet ubi humor inter cranium et membranas cerebri stagnat, vertebrarum in cava descendunt; atque hoc in casu, si hydrorrhachia sequatur, fissuram vertebrae, a vi, certe insigni, qua liquidi altioris columna omnem in sensum premit, natam esse, dicendum videtur. Saepe tamen absque hydrocephalo, hydrorrhachia certe frequentiore, serum in cavo vertebrali colligitur; quod, vario modo corruptum, verticulorum substantiam, vix antehac morbosam, inficere, erodere, ac perforare potest. Quodsi tamen causa in foetu lateat, quae ossibus cranii rite evolvendis atque consolidandis contraria sit; eadem sane haec causa, vertebrarum integritati amica vix erit, ac ut opera longe faciliori hae findantur, contribuet.

Non tamen perspicimus satis, cur omnis

um hydrocephalus, tum hydrorrhachia, soli
ssium, quae vel sanos etiam apud infantes
eneriora sunt tamque facile sub rudiore quid-
uam tractatione interpositas sibi vel con-
exas cartilagines deserunt, vel uterinae,
ongenitae, vel a causa alia productae labi,
ut partis osseae in cranio, aut in vertebris
efectui adscribi debeant. Hydrorrhachia
erte, quae *incolumis* nobis dicitur, respectu
ausarum, a *dehiscente* diversa est in eo: quod,
im haec plerumque praevium in *ossium syste-*
ate morbum praesupponit; illa, sine isto,
: solo secretionis morbosae vitio inducto
scatur. In ipso nempe spinali ejusque in
bo membranoso, vel in vertebralis adeo
vi periostio, ut vel in cerebro, vel in me-
gibus apud hydrocephalicos, in hydrorrha-
ia persaepe malorum sedes est. Nunc me-
llam spinalem, nunc ejus involucra mem-
nacea, a causis variis, aliquando incendi,
n diximus (§. 141.). Sub hac igitur ad-
tione non minus, quam sub quavis alia,
ausis vel debilitantibus, vel excitantibus,
ue nunc simul in omne systema, nunc in
nc modo partem agentibus inducta et se-
tiones augente, pervertente, effusio, col-
tio aquarum, puriformis materiae, in spe-

cu vertebrarum, morbo nunc acuto, nunc lento, tum ipso in utero, tum extra hunc, nasci, — tubi membranosi spinalis ad fundum usque descendere, atque hunc inferius adhuc per rimam ossis sacri urgere, — hoc ultimo vero in casu, vel sola, vel filis ex cauda sic dicta equina nervosis remista, in saccum, vel quasi bursam, aliquando herniosam, dilatare potest. Ex vertebra duodecima, loco suo quidquam dimota, spinalis compressio medullae, simulque seri in cava vertebrarum effusio, describitur. Tumoris parietes in puerulo ab hydrorrhachia extincto, cum ille per audacem chirurgum lethali cum effectu jam fuisset adpertus, Vi summus collapsos et rugosos, ob hanc ver causam crassiores, detexit; iis tamen pres sis, e vulnere exibat aqua non pauca, non nihil grave olens, urinae pallidae similis. D ductis parietibus incisis, manifesto adparu spinalis medulla, tenui meninge convestita per quam, distentis vasculis, totum ruber medullae corpus cum prodeuntibus nervis a medium fere illorum parietum, secundu longitudinem arctius adhaerebat, ut evide esset, coeteras medullae tunicas in unu cum iisdem parietibus coaluisse. Nec d

flue

fluens erat, sed etiam tum satis firma et solida medulla.

Omnia vero illa, quae tenero foetus corpusculo, imprimis circa dorsum aut lumbos, quibus saepe inflexis et incurvis in utero degit, vim inferunt, medullae spinalis inflammationem, et ex hac, hydropem specus vertebralis acutum, puriformem, creare queunt: ut lapsus matris, ventris gravidi allisio, crudelis conculcatio. Videtur tamen foetum ab aquis in utero circumfusum, in primis saltem gestationis mensibus, ubi hae, respectu ad illum, copiosiores sunt, non tam facile, quam ultimis graviditatis temporibus, ab injuriis externis attingi. Violenta vero, nimisque celer, aut artis regulis tam saepe contraria, foetus in utero versio, vel ejusdem cum dorso aut lumbis ad partum expositio, frequentem nimis tenerae adhuc columnae vertebralis laesionibus ansam praebet.

Luem genitorum veneream, cum docto quondam viro, hujus mali causam in foetu accusandam esse, quamvis illa ossium integritati tam saepe funesta sit, ideo, quod rarior, pro causa tam late patente, effectus foret, vix credimus.

Causae hydrothoracis.

Hydrothoracem potius, quam aliam hydropis speciem, sub causarum diversarum (§. 748.) imperio, incurrunt homines, quorum pulmones sanguini transituro quemcunque obicem ponunt: quorum pectus aut proprio tantum, aut spinae simul, a linea praescripta deflexae, vitio, male conformatum, gibbosum, complanatum, angustum est; qui hac parte nobilissima vel a prima juventute, inflexibili cum strophio arctius praecincti, coarctati, vel eadem concussi, contusi, laesi; aut quamcunque injuriam passi sunt; quorum pars costarum cartilaginea, osseam assumpsit indolem; quibus aut costae diffractae, subluxatae, intropressae sunt; aut quibus hepar maximum, scirrhosum, diaphragma altius in pectus assurgere pulmonesque comprimere cogit; qui dyspnoea, vel asthmate diuturnis laborarunt; qui pulmonum a tuberculis ad phthisin praeparati, aut praecordiorum vitiis aliis, cordis, vasorum majorum aneurysmate, varice, polypo, valvularum adfectionibus, detenti sunt; qui, pectoris debilitate, irritabilitate peculiari, aliquando congenita, aut haereditaria, instructi, morbis hujus thecae acutis, imprimis peripneumonia, pleuritide, pulmonum

erysipelate, catarrhalibus, rheumaticis affectionibus, aut frequenter laborarunt, aut vehementius prehensi sunt; qui Baccho Cererique frequentius libarunt, aut, magno corporis sub aestu, gelidam avidius hauserunt; qui arthriticis, podagrae circumagentis doloribus diu subjecti, — qui exercendis flatu musicis instrumentis, aut vocis modulationibus, vel cantui, vel concionatorum, oratorum officio per annos maxime intenti, — qui noxiis fumi metallici, acidorumque mineralium auris frequenter expositi fuerunt; quorum guttur praegrandibus a strumis cingitur, opprimitur; quorum anima, longa spiritus dejectione, curis, moerore, suspiriis, spasmis, frequenter impedita est; qui plurima vix non suffocantur a pinguedine; qui vicino pectori, aut vago, imprimis celluloso, vel ex scarlatina maxime oriundo, hydrope laborant; vel quibus pedum oedema, urinis non auctis, disparuit, aut ulcus antiquum, fonticulus, clausa sunt.

Hydatides pulmonum, cordis, sicut, integrae, horum viscerum, — ita, diruptae, cavi pectoris, pericardii, hydropem inducunt.

Causas hydropi cuivis, ut hydrothoraci, communes, alterius speciei hydropis ad ori-

gines inquirendas transituri, hic non repetimus.

Causae ascitidis.

Non minus, quae causae *asciten* (§. 743.), quam quae flumina oceanum, quo nempe nulla non confluunt, constituant? arduum est edicere. Amplissima scilicet *peritonaei*, tum musculos abdominis investientis, tum ejusdem viscera obducentis, vasculosa membrana, quam late patet, vapores hoc in cavum, a statu sano diverse secretos, et mox in aquas condensandos, exhalat, et jussu totius plerumque, nunc infirmi nimis, nunc imperiose tumultuantis systematis, rarius auctoritate propria, eructat.

Nec mirum est, cavum corporis, tot arteriis majoris diametri, tot venis omni valvula destitutis, irrigatum, nervis innumeris, subtilissimis, gangliis istorum maxime conspicuis, ad sensum acutissimum instructum, sub his vero conditionibus, tot causis morborum expositum, turbis omnibus ex ingluvie, crapula, aquae gelidae, magno internorum sub aestu, potatione, vermibus, flatibus, subjectum, — ab injuriis externis minus anxie custoditum, munitum, — ab emeticis, drasticis, aliquando a venenosis, aut suspectis saltem remediis, tam male to-

ties tractatum, — apud sexum sequiorem, nunc ab utero, diaphragmatis usque ad fornicem, vel, inferiora versus, ad genuum confinia, pondere alieno protensum, a partu saepe laborioso, maximisque sub nixibus vix absoluto, mox iterum desertum, relaxatum, collapsum, ac semiparalyticum, — nunc veste arctiore, trabecula lignea, vel, ut nostris temporibus solet, ferramento concavo, compressum, constrictum, — refrigerio toties expositum, — visceribus infarctis, obstructis, scirrhosis, calculosis, vel jamjam hydropicis, tam crebro oppletum, atque sorte tum horum, tum propria, tam frequenter ab inflammatione, erysipelate, spasmis lacessitum, — tot profluviis cruentis, vel aliis, atque pejori saepe istorum, jam habitualium, suppressioni, retentioni obnoxium, — non mirum est, dicamus, hocce corporis cavum, tum morbis fere omnibus, tum *hydropi*, istorum tandem effectui, frequentius, quam aliud quodvis, obrui, vexari. Cellulosum aliarum partium ac viscerum hydropem, diruptis textus subcutanei, parenchymatum laminis, vel et saccis majoribus, sero, aut libero, aut hydatidibus incluso, hucusque repletis, paucarum saepe dierum, vel adeo

horarum, spatio, in *asciten* terminari, jam monuimus. Febrium intermittentium, aut diu sibi commissarum, aut praepostero et incauto corticis aliorumque, intestinis jam debilioribus cumulatim ingestorum, usu, suppressarum magis, quam sanatarum, in hydrope quocunque, sed maxime *abdominis*, producendo potestas nemini medicorum ignota est.

Quid *foetum* in utero materno aliquando in *asciten* conjiciat, nisi illud ipsum sit, quod hydrocephalum, aut hydrorrhachiam in illo inducit, minus apertum est; sed hujus mentionem hic, obstetricantium in usum, injicimus; ac simul gravidarum tam frequentem, tum ex compressione, tum ex miro uteri consensu oriundum, abdominis, vel alium hydropem, iterum in mentem revocamus.

Peritonaei hydropem, foeminae magis, quam viri, eaeque non modo nuptae, sed et virgines, patiuntur; quod extensis saepe plurimum in illis, cum hac membrana, musculis abdominalibus, vel et nixibus ad partum gravioribus, longioribus, aut ventris ad partum tensi, allisioni, et iniquis obstetricum contrectationibus, aut iterum insanae ventrem constringendi consuetudini, adscribimus. Sed

utroque in sexu, *peritonitidis*, sicut *membranosae* (§. 217.), ita musculosae (§. 215.), hydrops acutus, frequenter illinc, hic rarius, effectus est.

Causae hydrometrae.

Tempus auctae secretionis serosae in utero, prae aliis, illud est: quo menstrua vel imminent, vel fluere desinunt. Nulla nempe mulier est, quin sibi tunc, per diem unum alterumve, interna genitalia sine sanguine irrorari observet, et vel instantem ex his fluxum cruentum, vel terminandam protinus periodum, praesentiat. Similem fere sanguinis congestionem circa uterum, stimulus, huic ipsi, aut vicinis partibus admotus, tam venereus, quam alius, vel extra hanc periodum, provocat (§. 641.) Cum talia interim vel a levi occasione, vel sub *metritide* (§§. 223. 227.) facilius, obveniant; frequentior foret morbus, quem pro *raro* agnoscimus, nisi uteri positio declivis, ac vis ejus contractilis, tenuioris effluxum liquidi, aperto ejus ostio, secundarent. Hinc statim post fluxum sanguinis menstruum, uteri nempe orificio prius, ac omnis in eo secretio seroso-mucosa cessaverit, jamjam connivente, foeminis quibusdam abdomen turgescit, et aliquot modo post dies,

insecuto semel aut iterum repentino, nec semper exiguo, aquae ex uteris profluvio, non sine virium aliqua jactura, detumescit. Similia vero post *abortum* hinc inde foeminis, quod divus jam senex indicavit, contingunt.

Sunt vero, quae ostium uterinum, ne cruori, vel et sero effluenti exitum concedat, nunc *brevi* satis tempore, nunc vero *longiore*, obturando, ad liquidi secreti collectiones hoc in viscere, contribuant. Quam fortis saepe *spasmus* os uteri corripiat, obstetricantibus nimis est notum. Hunc facile aut frigus, aut quaevis alia nervorum irritatio, producunt.

Vix tamen longioris morae spasmodica haec oris uterini contractio est; sed post horas non multas, aut post unum alterumve diem, ea remittit, et collectis hucusque liquidis transitum concedit. Talis nempe hydropis uterini, post *lochia* suppressa a nobis observati (§. 744.), origo fuit.

Nec diutius facile persistit oris uterini a *grumo sanguinis*, aut *lymphae coactae* frusto, in foemina menstruante, aut in puerperis occlusio. *Placentae* portio in istis quidquam diutius delitescere, exitumve aut sanguinis, aut seri praecludere potest.

Haud raro vero *vitium*, quod uteros claudat, et aquas in iisdem secretas retineat, *organicum* est. Tres aquae foetidae, albescentis, pintas, ut celebris de hydrope scriptor *scotus* refert, uterus, osseam hinc illinc indolem prodens, continuit, cujus orificium tumor scirrhosus obturuerat. In hydrometra centum octoginta libras aquarum continente (§. 744.), os uteri miris modis occuluerat, et ejusdem uteri praemagni superficies anterior tota sua sede peritonaeo erat concreta. Uteri, ab aquis adeo, ut puero decenni continendo non impar videretur, distenti, orificium a *tumore glanduloso*, ut legimus, angustatum fuit. Quivis etiam *callus*, post abscessus, post vulnera, contusiones sub partu laborioso, vel cum instrumentis ruditer absoluto, vel a variolis, vel a morbo venereo, relictus, eosdem effectus agnoscere potest. Impervii ad os uterinum *ligamenti* mentionem jam fecimus (§, 744.).

Variae quoque *excrescentiae*, ut polypi, scirrhi, steatomata, quae cervicem magis uteri, quam cavum illius opplent, huc revocandae sunt. *Argentoratensis* quondam mulier ultra decennium utero hydropica, molis carnosis septuaginta sex conflictata fuit.

Foemina, quae fluidi serosi fere pintam quotidie ex utero amiserat, referente summo, dum viveret, *Germaniae* medico, uterum a morte ex parte scirrhosum obtulit.

Atresia quoque, ac non tam infrequens *concretio vaginae* post partum nimis arduum, variasque sub illo laesiones, vel post ulcera variolosa, venerea, uterinae secretionis eliminationem cohibent.

Atqui, si haec, retentiones magis *cruentas*, quam *serosas*, productura videantur; quoties tamen uterus, sub statu morboso, non tam sanguinem, quam mucum, vel puriformem, serosam plorat materiam, istius potius, quam cruoris collectio, uterum impervium distendet. Ipse sanguis uterinus, in grumos coactus, serum sibi socium mox deserit, atque, dum suo pondere, inferiora petit et replet: serum, se ipso levius, superiore uteri in loco separatum, coercet.

Frequentius tamen *hydatidum* ac *molae aquosae*, quam aquae libere fluctuantis, collectio, animalium brutorum non minus, quam humanis in uteris contingit, et complura portionis *placentae*, a copiosis, sero pellucido repletis, aliquando naturae animalis, vesiculis

obsessae, non intellecta satis exempla jam
citavimus (§. 744.).

Quae *cystidum*, sero, inter foetus velamen-
ta et internam uteri faciem, in praegnantibus
repletarum, ac *spurias*, ut vocant, harum
aquas largientium (§. 744.), origo sit; nisi
cum hydrope *celluloso* illae, ut supponimus,
conveniant, indicere nescimus.

Hydropis tubarum (§. 745.), *ovarii* (§. 746.), **C. hydropis tubarum.**
cum suis *ligamentis* (§. 747.), causas hic si-
mul complectimur. Saepius hae partes, de
statu vicini et affinis sibi uteri participant,
ac iisdem morborum rationibus, menstrui
sanguinis aberrationibus, suppressionibus,
aliisque potentiis nocivis subjectae, analo-
gos effectus patiuntur. Cum tamen uterus,
ore suo, menstruorum partusque tempore
saltem, nisi saepius, hiante, stimulantem
aut morbose secretam materiam absque ma-
gno labore expellat; difficilius his tubae an-
gustiores ac ovarium se liberant. Quare, si
rarissima in virgine *hydrometra*, — longe fre-
quentior in illa, et universim in caelibe fae-
mina, quam in alia, *ovarii hydrops* est; ita ut
Viri magni sententiae accedamus, dicentis:
„saepe adeo mulieribus, praesertim si cum
faeminis conferas coeterorum animalium, ac-

cidunt *testium* vitia, tumores praesertim sive hydropici, sive alterius generis, ut facilis sit conjectura, pleraque horum *non sine culpa animi* contingere." Saepius nempe occulta his in partibus inflammatio, tacitis, nec auferendis cum pharmaco stimulis, — his vero secretiones omnis generis morbosae, inniti videntur. Erecta coeterum faeminae humanae positio, uteri moles gravidi, sub ea, in adnexa sibi haec viscera ponderantis, horum, sub partu, non parum homini, quam aliis animalibus, difficiliore, compressio diuturna, quamplurimum huc contribuere censenda sunt. Nec minus violentiae externae haec ad mala concurrunt. Nostrum, *Genuae*, pro illustri faemina triginta trium annorum, petitum fuit consilium. Sex anni praeterfluxerant, quod, multis animi adfectibus vexata, ex equo haec ceciderit. Post septem octove menses ea mulier, facie primum, dein super pube inflari adeo, ut, menstruis licet rite fluentibus, utero tamen ferre videretur, incepit. Dolor nunc sinistram abdominis partem occupavit. Sub hac interim rerum positione, post menses aliquot, concepit, filiumque sanum recto tempore exclusit. Increvit nunc sinistri non modo lateris inflatio,

rca quam, filii, dum praegnans esset, mo-
um nunquam perceperat; sed alius, in dex-
a quoque parte, durissimus tumor circa
varium in conspectum venit. Immanem
unc venter in molem insurrexit. Diuretica,
uod morbus pro *ascite* haberetur, quam plu-
ma incassum, squilla vero non minus, quam
gitalis purpurea, cum damno aegrae pro-
nata fuerunt. Dolor ad lumbos, ad ven-
em, nunc nullus; incessus vero facilis, cum
ulla, nisi sub ascensu scalarum, dyspnoea.
rus sinistrum intumuit; supine decumben-
, tumor hic evanescere, nec tamen diffi-
ltas spirandi accedere observantur. Sub
entris exploratione, distantiam illam, quam
faeminis ovarii hydrope adfectis, inter
dominis musculos et ovarii tumorem, qua-
vacuam percipere solemus (§. 744.), pro-
abili ratione quod hic jam cum peritonaeo
nterius coaluerat, minime percepimus. Ex
nistra parte, quam ex dextra, turgidior est
enter; in hac tamen tumor duplex, sub he-
ate unus, alter vero profundius, detegitur.
luctuatio aquarum, quasi hae in ventre,
ummum ad gradum extenso, delitescerent,
anifesta est. Ciborum, quos tamen aegra
el maxime appetit, subactio difficilis est,

ac, his assumptis, frequens illi vomitus accedit. Animus, sub tantis aerumnis, nihilominus compositus est. Sed licet nec febris, nec sitis urgerent, nec somnus deesset, macies tamen continuo adaucta fuit. Menstrua, sub morbo genitalium tam insigni, ac in quartum nunc annum extenso, rite tamen, etsi quidquam solito parciora, fluxerunt. Sinistrum igitur ovarium hac in faemina, a gravi lapsu ex equo, non absque praevii incendii interni sensu, hydropem tam magnum, — dextrum vero mutationem in scirrhum subivisse, sine omni haesitatione declaravimus. Quod interim tantus utriusque ovarii tumor, faeminam, quin, ante paucos annos, et utero conciperet, et filium feliciter excluderet, nequaqam impediverit; hoc sane nostram non minus, quam aliorum admirationem merito excitavit.

Prognosis gener. hydropis.

§. 750. Ex ipsa hydropis descriptione (§. 731—747.), et ex causarum, quae illum inducunt (§§. 748. 749.), scrutinio, quam gravis et saepe indomabilis ille morbus sit, elucet. Ac revera, caedibus innumeris hostis iste, omnes inter gentes semper infamis fuit nec hodiedum medicorum opprobrium ess

desinit. Non spernendos utique in hoc etiam morbo debellando progressus illi fecerunt; et si his, cruoris in quovis vix non morbo ad internecionem fere usque detrahendi, alvique perpetuo, ac sine quavis indicatione plausibili movendae, libidinem ubique imminutam vel demtam superaddas; tanti etiam morbi uberrimam radicem resecuerunt. Ast vero, sorte artis iniqua, cum, *debilitantem* medendi methodum proscribendo, hos antevertunt; — novos, ultra modum *excitando*, hydropes provocant atque creant. Sed et absque medentium culpa, et quin artis imperfectioni id tribuas, majora saepe, quam ut ab ista removeantur, morbi atrocis sunt discrimina. Haec vero, ut aliorum morborum sub *prognosi*, ex fonte, quo iste scaturit, ex parte quam inundat, ex aegrorum, quos corripit, sexu, aetate, constitutione, virium vitalium tenore, ex morbi denique longitudine, progressibus, symptomatum ratione, definienda sunt.

Asthenici scilicet *hydropis* pericula, illis, quae hydrops ex virium superabundantia propullulans portendit, majora sunt. Hinc aquarum collectio ex conspicua humorum, per haemorrhagias graves, per diarrhoeas, dy-

senterias chronicas, onaniam, gonorrhoeam, galactirrhoeam, fluorem album copiosum, suppurationes abundantes, diabeten, ptyalismum, inediam logam, jactura, — ex gravi morbo acuto, vel alio, ut ex tabe quacunque, febre lenta, cum siti maxima, ardore interno, cutis maculis, atris aut lividis, marasmo senili, ictero, scorbuto pertinaci, febre intermittente, imprimis quartana, rebelli, diutius neglecta, — si non omnibus, plerisque saltem lethalis est. Saepe interim febris *periodica*, hydropes, quin adeo debilitas extrema, quam potius secretionum serosarum suspensio, perversio in causa sint, produxit, quorum plurimos sub recta his febribus medendi ratione restituimus. Hydropem ex *scarlatina* profectum, cujus sanationem perfacilem esse plures praetendunt, nos quoque, sub certis epidemiis non tam ardui laboris rem esse, — sub aliis tamen haud parum negotii medentibus attulisse, vel etiam lethalem fuisse, reperimus.

Quam vero abusus irritantium, stimulantium, adynamiam reliquit, ea, si jam hydropem generaverit, immedicabilis hic vix non erit. Potatorum hinc et hominum gulosorum hydrops, — ille, quem incauta mercuria-

curialium, arsenicalium administratio, aut apud artifices, operarios, in hydrargyri fodinis vitam miseram degentes, longior vaporum ex illo metallo inspiratio, venena assumta, drastica, violenta remedia, stimulantia fortissima, in morbis acutis continuo propinata, producunt, opem medicam in paucis modo casibus admittit.

Hydrops in hominibus robustis, ex causis excitantibus, ex praescriptae vel habitualis evacuationis sanguineae, menstruorum scilicet, aut haemorrhoidum, suppressione oriundus, sub promta satis medicorum assistentia, pro sede aquarum diversa, aut facilem satis, aut difficiliorem etiam sanationem concedit.

Colluvies serosa, quam *vitia topica*, locala, viscerum conspicuorum obstructio, scirrhus, abscessus, polypi, aneurysmata cordis, vasorum majorum, vel istorum, aut valvularum in osseam substantiam permutatio, proferunt; prout haec morbosa constitutio spem sanationis, ut solet, nullam, aut exiguam saltem, concedit, vel absolute lethalis est, vel raris admodum in casibus medentium votis respondet. Eadem de hydrope cystico, saccato, hydatideo, prognosis,

nisi forsitan feliciorem aliquando chirurgia concedat, formanda est.

Recidivus hydrops, vel ille etiam, qui insignem subito ad molem ascendit, aut sponte, brevi temporis intervallo, sub insigni virium jactura et extrema sub macie, disparet, plerumque aegris fatalis est.

Difficilioris semper sanationis hydropem illum fuisse vidimus, qui, urinis licet sat abunde fluentibus et claris, nihilominus et exortus est, et augeri continuat. Arduae quoque res aleae est, si urinae semper bruneae, turbidae, oleaginosae, foetentes, paucae, medio etiam diureticorum sub usu, persistant. Diarrhoea, quemadmodum, sub morbi initio, urinae per artem movendae difficultatem longe auget: ita, sub fine hydropicis periculosissima.

Hydropem, qui *maniae* accedit, quod parens medicinae edixit, salutarem esse, nos quidem, si viri quinquagenarii observatum a nobis hydrorrhachiae ex hydrocephalo exemplum rarissimum (§. 738.) forsitan excipias, haud observavimus. Hydropis interim vel *sponte soluti*, et exitu aquarum per renes, muliebria, intestina, umbilicum, per vomitum, ptyalismum, per haemorrhoides, men-

ua insecuta, per arthritidem, sanati ex-
pla non desunt. Raro satis, sed tamen
quando, suborta partis tumidae laesione,
ustione, — rarius per bullas et vesicas
aneas, aqua plenas atque diruptas, —
issime per cutis poros largiter adpertos,
amplo aquarum effluxu sanatus fuit.
epius his fontibus, sub spe fallaci adpertis,
sipelas aut lethalis gangraena superac-
ssit.

§. 751. *Cellulosi hydropis* (§. 736.) sicut *rocephali* (§. 737.) *prognosin*, ipsi horum borum descriptioni jam intertexuimus. hanc ultimam quod pertinet, num vel s, de cujus hydrope ad cerebrum *acuto* rea constiterit, ab eodem, nisi casu quasi uito in aliam partem conjecto, aut in m morbum converso, convaluerit, etsi graves de hoc sibi suaviter blanditi sint, que ulla in istos injuria, quae in nos ip- non recaderet, dubitare licebit. Quous- nomen *hydropis* necdum meretur, sed e post tempus meritura est, acuta cere- irritatio, inflammatio; si modo in quo s haeret, recta ejus diagnosis non de- non omnem curationis spem ab illa re- Pr. hydro- cephali.

spui, concedimus; quamprimum vero tantum aquae in ventriculis cerebri, ut certa quidquam per signa se prodat, collectum est: sub tam pigra seri his e locis resorptione, de sanatione morbi conclamatum esse putamus. Sola cadaveris sectio controversiam hic omnem dirimere, — qui vero abhinc incolumis rediisse refertur: ille tum hoc a morbo, tum a consimili, evasisse, aequo jure defendi potest. Quodsi eadem alios circa morbos dici posse, objeceris; de quibusdam quidem, quod minime hucusque celavimus, dolenter id concedimus; nullum tamen quin nostram aeque dubitationem, ac ille, sibi vindicet, existere, non obiter persuasi sumus. Nemo saltem eorum, quos hoc a morbo restitutos dicunt, tardius, vel primo stadio, vel, ad maximum, secundo necdum absoluto, sanitatem obtinuisse, — tempore scilicet, quo diagnosis illius *probabilitatem* quidem aliquam, *certitudinem* vero non habere asseritur. Quidquid sit, nec enim artis nostrae gloriae quid detrahere contendimus, gravissimum saltem inter omnes morbum esse hydrocephalum *acutum*, retinendum est. Illum vero, quem *chronicum* vocamus, cerebri hydrops, ubi certum quondam ac satis evide

eem ad gradum provectus est, lentiorem uidem incessum, sed non minus infamia lehi futuri indicia offert. *Vagi* interim hujus norbi non lethalis, rarissima certe, exemla (§. 737.) retulimus; atque de hydrocehali in *hydrorrhachiam* transitu, non sine omii exceptione funesto, mentionem sine moa injiciemus. Infantes hydrocephalo cum ehiscentibus suturis laborantes, haud diu, l est, raro ultra tres quatuorve annos, ese victuros, — eos vero, e contrario, quoum suturae clausae sunt, ad maturitatem sque, licet raro ultra aetatem provectam, ubsistere, non exiguae vir experientiae edilit. Veremur interim, ne plures ex illis, uorum suturae ad cranium hydropicum maure coaluerint, incognita morbi indole exncti, hydrocephali funeribus non fuerint dscripti. Robustorum infantum morbus, erumque illo, qui debiles prehendit, citius thalis est.

§. 752. *Hydrorrhachiae prognosis*, cum exosita vix hydrocephali prognosi conspirans, x illis, quae sub morbi illius descriptione iximus (§. 738.), deducenda est. Hydroraachiam, quam *incolumem*, quod nempe in Pr. hydrorrhachiae.

ea vertebrae non dehiscant, vocavimus, non ubique prorsus lethalem esse, exemplis, etsi paucis, tum eorum, qui hoc morbo, probabili saltem ratione subsistente, ab extremitatum inferiorum paralysi restituti sunt, tum aliorum, quos *vago* cerebri hydrope detentos conversione mali in minoris subsellii hydropem, salvatos fuisse citavimus, admoniti, supponimus. Quamvis autem hydrorrhachia *dehiscens*, majorem, et ossibus ipsis communem, morbi causam, vel effectum indicet; exempla tamen sanationis, etsi certe rarissima, jam supra quaedam adduximus atque meretur utique summi quondam archiatri pontificii, de uno ex illis, testimonium hic integrum referri, dicentis: „Puer quadrimulus, propter magnam occipitis ex scalarum ruina contusionem, hydrocephalo laborabat. Huic vero post mensem forte fortuna in coccyge elevatus fuerat tumor, qui dolore ac fluctuatione chirurgum coegit ad paracentesin; qua peracta, et illinc multa noctu diuque post octiduum egrediente lympha, caput paulatim detumuit; sed quod nobis praesentibus visu mirabilius accidit, illud fuit, ut, cum chirurgus superstitem in occipite hydropem manus vola paulo fortius com

primeret, statim ex aperto in coccyge forami-
ne ichor prodiret." Sanati vero hujus pueri
exemplo, similem *Viennensis* quondam chirur-
gi historiam hic non addimus. Cum vero
unius mensis spatio hydrops ille cranii et sub-
natus, et in columnae vertebralis hydropem
conversus fuerit; *acutam* magis, quam *chro-
nicam* illius indolem fuisse constat. Num au-
tem hydrocephalus *meningeus* potius, ut su-
spicamur, quam *encephalodes*, — num subse-
cuta hunc hydrorrhachia *cellulosa* magis, quam
vaginalis fuerit, determinare hic non possu-
mus. Sed manifeste adeo *chronici*, et a na-
tivitate, ad vigesimum octavum aetatis an-
num extensi mali historiam refert *Batavus*,
summi, dum viveret, nominis chirurgus:
quae scilicet provecta jam hydrorrhachia,
cum aeger in mortis periculo versaretur, om-
ni humore inopinanter resorpto, collapsis et
corrugatis membranis cicatricem formanti-
bus, firmam quidem, sed foedam, mammae
scirrhosae instar, costis adnatam sanata fuit.

Nec tamen ideo, ut morbi, de quo agi-
mus, aut ejus, cum chirurgicis auxiliis per-
tractati, reticeamus pericula, haec dicta
sint! nec etenim protractae ulterius vitae ex-
empla perpauca, prognosin, quae non adeo

ex rarissime contingentibus, quam plurimorum ex fato derivanda est, funestam immutare valent. Quo magis columnae vertebralis tumor aquosus a cranio distat: eo lentius interitum minari videtur.

Pr. hydrothoracis.

§. 753. Praeter ea, quae sub *hydrothoracis* consideratione, de periculis hujus morbi atrocis jam fusius exposuimus (§§. 739-742.), sequentia, *prognosis* in illo praecipua momenta constituunt. De viscere vitali, variis modis oppresso, atque hinc de morbo discrimine plenissimo, et ex quo modo pauci salvantur, hic agitur. Rarius quoque huic ipsi, ob diagnosis majorem incertitudinem, priusquam radices suas profundius defixerit, satis promte occurri datum est. Plurimae quoque causae, quae hunc hydropem inducunt, ut sunt vitia organica, viribus humanis, queis abigi tollique possint, longe superiores sunt. Praeterea effusi in thoracis cava humores iniqui, difficilior, quam ex abdominis cavo, vel ex telae cellulosae spatiolis, resorptio nobis visa est.

Pulmonis quidem, a sero in suis interstitiis adcumulato, facilius, quam si humor in pectoris cavum effusus haereret, liberari,

docuit copiae majoris sputorum serosorum, post praevia hydrothoracis symptomata, summa utilitas; atque tam ex eo, quod hicce hydrops saepe has per vias judicatur, quam quod, ruptis repagulis, in pectoris hydropem *independentem* frequentius ille transeat, et quod per alvum, urinas, sudores, eliminetur facilius, rarior idem in cadaveribus conspectui se offert. Quamvis autem *divus senex* „hydropes ex *acutis* morbis obortos, quod nempe a febre non liberent, dolorisque pleni sint, omnes malos esse" declaraverit; — quamvis nos ipsi hujus veritatem persaepe edocti fuerimus sententiae; ac demum quamvis effusum a morbis pectoris inflammatoriis serum plerumque aut cum multa lymphae, in floccos coactae, ac partibus contiguis adhaerentis materia commistum sit; a matura tamen satis pectoris paracentesi, haec morbi, alias tam lethalis, pericula posse imminui, non est cur non speremur. Hydrothorax, quem transpiratio, quem vitia cutanea suppressa recenter produxerunt, nisi a restitutis, per artis subsidia, cutis aut sanae aut morbosae functionibus, morbus, quod ut saepe vidimus, jam cedat; ab eodem chirurgico auxilio, nisi nimis, ut solet, dila-

to, non minus levamen exspectat. Brachium hoc in morbo a stupore correptum, aut manus ab oedemate obsessa, sputa denique cruenta, subcruenta, absque levamine rejecta, summa certe rerum discrimina indicant. Accedens pedum sub hoc morbo tumor aquosus, aegris frequenter solatio, — discedens vero ex istis, aucta mox dyspnoea, pestiferum est. Uberior hydrothoracis *recidivi*, atque citius tunc lethalis, quam alterius hydropis, proventus est.

Mediastini anterioris *hydrops*, modo certa satis sit ejusdem diagnosis, si aliis resistet, suppurationis hac in parte exemplo, a chirurgicis auxiliis levamen exspectat.

Hydropericardiae, cum aliis hydrothoracis speciebus junctae, feliciter sanatae, in ipso clinico Instituto, exempla aliqua habuimus; pars vero illius longe maxima citius lethalis fuit.

Pr. ascitidis. §. 754. Descriptio *ascitidis*, specierum ejus diversarum (§. 743.), et causarum, quae illum producunt, consideratio (§. 749.), *prognosis* circa hunc morbum fundamenta constituunt. Ascites *abdominalis*, etsi saepissime lethalis, ac simul communior, facilioris ta-

men sanationis est, quam *cysticus*, *saccatus*, *hydatideus*, *peritonaealis*, qui nullam plerumque admittunt. Aetas infantilis, senilis, vires exhaustae, febris lenta, calor urens, ardentes siti fauces et asperae, cutis arida, macies, imprimis brachiorum, continuo aucta, maculae ad cutem lividae, tumor manuum, dyspnoea, tussis pertinax, urinae pauciores, foetentes, profunde tinctae, sedimento crasso instructae, narum stillicidia, haemorrhagiae per uterum, anum, atro hunc morbum carbone notant.

Diarrhoea, sopor, tacita deliria, animi defectio, dolor colicus, vomitus, singultus, meteorismus, frigus extremitatum, pulsus minimi, intermittentes, funestum rerum exitum vel proxime instare significant. Plura, vel sub hac morbi conditione, vel etiam dum meliora sperantur, mortis in ascite subitaneae exempla obveniunt; ac ipsa adeo, quod supra jam innuimus, subitanea aquarum sua sponte depletio, instantis interitus subinde praenuncia est. Non desunt tamen salutis, vel sub pessimis auguriis hoc in morbo celeriter, quin arti hoc debeatur, restitutae exempla. Quem viscerum, imprimis hepatis cum ictero, pancreatis obstructio

pertinax, aut scirrhus inducunt, ascites, prae aliis funestus est. Asciten etiam ex tabe, scorbuto graviore, vix non perpetuo lethalem observavimus. Si, absque obstructionibus, a sanguinis jactura non summa, vel a febre aut intermittente, aut continua, vires non prorsus exhauriente, ortum ducat morbus; aut ubi, sub habitu corporis minus infirmo, suppressa pridem menstrua, haemorrhoides eundem provocarunt; spes exitus felicis non penitus abjicienda est. Gravidarum ascites, non tamen omnis, a partu absoluto, frequenter vel sponte disparet. Communior ascitidis per urinas copiosas solutio est. Vix tamen istam, quin cutis pristinam simul siccitatem deponat, atque molliter humescat, sperabimus. Quosdam aut vomitus aquosus et abundans, aut fluxus alvi serosus (quibus facile dirupta in ventriculo, intestino, cystis, ansam quandoque dedisse potest) salvasse visi sunt. Aquarum ex cavo abdominis per umbilicum evacuatarum exempla, tum felicia, tum infausta, non sunt rarissima. Ex aquae per abdominis paracentesin eductae habitu, prognosis momenta quidem aliqua, vix tamen firmiora, deduci queunt. Multos sane, dum aquae

aut clarae, aut citrini coloris essent, nec minime foeterent, nihilominus morte abreptos vidimus. Pejoris interim significationis, aquae spissiores, glutinosae, albuminosae, bruneae, vel multo sanguine tinctae, vel graviter olentes, esse solent; ut rarum sit, non tamen unicum, paracentesis abdominis quinquies cum exitu aquarum cruentarum, puriformium, feliciter repetitae, conservatum in medico *Parisiensium* diario exemplum.

Qui aquas, lymphaticos, gelatinosos humores, aut pluribus in cellulis, vesiculis, aut uno et capaciore in antro, stagnantes fovent, *sacci*, plerumque crassiores, saepe vix non cartilaginei, inelastici, vasis lymphaticis, atque remediorum aditu vix non omni destituti, illi, quamvis mitiora suo in principio symptomata inducant, medico nihilominus imperio subtracti sunt. Nec chirurgia, quae cystides minores aliquando feliciter vel exstirpat, vel injectionum irritantium, setacei ope, inflammat, suppuratas coadunat; patentes licet manui saccos grandiores, in plura saepe loculamenta divisos, superficie impuros, ubi cultri ope hos, cum peritonaeo forsitan concretos, aperit; eosdem

aut depurare, aut, ne denuo ab aquis, aut aliis humoribus repleantur, praemunire potest. Si quem illa hydropem saccatum, quo loco cum integumentis abdominis non cohaeret, perfodiat; aquarum ex hoc sacco in cavum abdominis effluxum, saepe lethalem, promoveat necesse est. Si cum vicinis partibus saccus amplior concretus est; huic, ab aquis liberato, haec ipsa concretio, ne se contrahere et coalescere queat, obstaculo est.

Hydatides, si forte uno loco dispositae fuerint vesiculae, cultro quandoque obediunt. Sic, celebris scriptoris *angli* testimonio, e latere dextro, paulo infra costas spurias mulieris, aperto, cum aqua multa et limpida, quingentae hydatides ejusmodi pariter aqua turgidae, proruperunt. Similem huic casum insignis quondam *Galliae* medicus descripsit. „In universum vero, ut viri magni verbis utamur, ubi vel ex hydatidibus, vel cum hydatidibus hydrops est, modo multae sint, aut magnae, frustra abdomen perforatur. Nam praeterquam quod, quae jam dissilierunt, pergere possunt humorem effundere; aperta una vesica, reliquas non evacuat, quanquam cohaereant racemorum uvae in moram; non modo si aliae ab aliis disjunctae sint.“

Paracenteſis sub *hydrope peritonaei* chro-
iico instituta, quod nec ars medica praesti-
it, paucos certe aegros sanavit, quidquod
ontenta in illo materia promtissime in mul-
ss repullulaverit. Est tamen, dum meliora
egantur, aliquid, obtentum saepe ex illa
ttae protractae beneficium, ac suffocaturae
iias oppressionis, temporaria licet, immi-
itio. Fractis interim jam nimis viribus,
intam amplius humorum jacturam aegri vix
erferunt. *Stupendum* peritonaei hydropem,
ymellis ope colchici, a viro quondam cele-
i sanatum fuisse, non minus nobis stupen-
um videtur.

§. 755. Minoris aliquando ponderis *hy-
ometra* est, dum os uteri, ad serosas secre-
ones excitati, vel a spasmo constrictum,
l sanguinis a grumo, a placentae portione
ssessum, non multos post dies, vel resti-
ta nervorum quiete, vel lymphae coagulo
uto, remoto, adperitur, ac humor aliquam-
i retentus, proprio non minus a pondere,
am a visceris, modo parum extensi, op-
ti, contractione, satis facile expelli pot-
:. Tenacior vero interdum ac subsolides-
ns materia, orificium cervicemque uteri

Pr. hydrometrae.

longiorem in moram impervia reddit, et collectos hoc in viscere humores, donec vis major in illam insurgat, eamque dividat, expellat, diutius incarcerat. Sic *Arabi* jam medici conspicui testimonio, uxor ablutoris pannorum hydropica, dum, conjugis sui pannos ablutura, corpus proprium super vase aqua pleno inclinaret, defecit, et in humum delapsa, aquae croceae viginti rotulos per vulvam emisit. Hinc magnus *Graeciae* medicus, „uteri hydropem coeteris sanabiliorem esse, quod nempe, si ejus osculum a priore conclusione hiare coeperit, humorem quidem, si habeat, effundat,“ edixit. Quodsi vero causa uterum potentior, ut concretio, tumor glandulosus, scirrhosus, occluserit; summae extensionis capax est hoc viscus; immenso suo volumine contigua sibi viscera opprimit ac mulierem vix non suffocat. Ex uteri hydrope, universum aliquando inflatur, ac monente jam *graeco* scriptore, „si uterus anasarca laboret, plurimum tota mulier aquam intercutem patitur.“ Sed minoris etiam extensionis cystis utero contenta, si forsitan hic, quod illa interdum haud impedit, conceperit: tum foetus incremento ac evolutioni non parum obest; tum primis adeo ab im-

praegnatione mensibus, eundem domicilio, adhuc immaturum, expellit. Hinc divus senex, „mulierem, ex aquis in utero laborantem, si quid in ventre habeat, illud corrumpere ac ejicere, aquas cum ipso foetu effundi, ipsam vero matrem plerumque mori,“ edixit.

Cum igitur *aquarum spuriarum* communior praegnantibus collectio, mulieres vix aliter, quam vano partus praematuri, aut magis laboriosi timore adficiat; de illa certe, quae tardius succedit, ac satis moderata est, ne viscus illud proliferum nimis extendendo, ejusdem tonum infringat, ac ad futura sanguinis a partu profluvia praeparet, timendum nil erit. Aliter vero de hydrometra, quae vel primis jam praegnationis mensibus contingit, vel, tardior licet, modum tamen excedit, sentiendum est; atque primam ex istis, nimis saepe, sub vago *abortus* nomine, ad medicorum intelligentiam pervenire, ac majorem hinc obstetricantium attentionem sibi promereri arbitramur.

Ex variis hydrometrae historiis, quam facile *recidivus* fiat hic morbus, elucet. Cum vero haec adfectio fluxus menstrui abnormis aliquando aut socia, aut effectus sit; ac ste-

riles hucusque mulieres post eandem, satis moderatam, conceperint, et „ubi peperissent, momente jam *Hippocrate*, sanae evaserint;" hydrometra in illis subinde actionem uteri, nimis torpidam, excitasse; in aliis autem, ob nimiam uterinae compagis infractionem, eandem potius delevisse, ac sterilitatis rationes auxisse videtur.

Pr. hydr. tub. ovar. ligam.

§. 756. Cum illis quae de *hydrope tubarum*, ac *ligamentorum uteri* jam diximus (§§. 745. 747.), modo pauca, quae circa *prognosin* huc pertinent, addenda habeamus; ea ipsa sub hydropis *ovarii* praedictionibus hic complectimur.

Non quaevis hydropica ovariorum tubarumque extensio, quin menstrua secretio continuaverit, vel adeo, quin mulier conceperit, impedivit. Cum vero sub majore illorum viscerum, vel et ligamentorum, tumore, positionem uterus obliquam, ut monuimus, assumat; vel hic ipse, in longum distractus, aequaliter extendi, dilatari non queat; praeter magna debitae foetus evolutioni opposita obstacula, partus aut immaturus, aut admodum difficilis exspectandus est. Cum quoque hydrops ovarii vel tubae, haud

ro occultae atque chronicae his in partibus
nflammationis effectus est; humores sub
ta secreti, indolem aliquando suspectam,
rritantem assumere, atque varias sacci has
ontinentis adfectiones, ipsamque aliquando
angraenam, provocare debebunt. Nec, si,
co aquae clarioris ac limpidae, lymphatica
otius materia amplissimos hos in saccos co-
osa aberraverit, mulieris hoc nutritionem
ntactam esse sinit; sed, quod pluries ex-
erti sumus, maciem illis ac virium jactu-
m maxime conspicuam inducit. Quamvis
ero foeminae ovarii aut tubae hydrope cor-
eptae, multos saepe per annos cum tanto
more sat libere incedant; et quamvis vir-
nis exemplum exstet, quae trigesimo aeta-
s suae anno ab ovarii hydrope correpta,
m eodem tamen, licet omne abdomen im-
evisset, ad annum octogesimum octavum
rvenit; est tamen, ubi illae sub eodem,
ostremo imprimis tempore, prae viscerum
ompressione, ac musculorum abdominalium,
erumque summum ad gradum extenuato-
m, extensione, vel etiam ex nervorum
uralium compressione, nec erectae amplius
cedere, nec nisi genubus innixae, et cor-
ore antrorsum inclinato, vel somnum ca-

pere, vel animam ducere queant. Neque vanus est timor, ne extensum nimis ab aquis ovarium, quod de *Tuba* etiam hydropica valebit, sub cachinno, sub vomitu, sub nixu quovis alio, vel omne, vel aliquas modo ad cellulas, abdominis in cavum rumpatur, atque praeter reliquum forsitan in se ipso hydropem, insanabilem asciten producat. Saepius interim callosa sacci crassities haec pericula a muliere avertit. Etsi vero cruris, adfecto imprimis in latere, oedema, tardius hic accedere soleat, sub finem tamen nisi prius jam animo linguat aegra, crus utrumque a compressione vasorum intumescit, et aliarum hydrops partium infelix subsequitur. Sicut uteri, — ita quoque ovarii, tubarumque hydrops, vicinam comprimendo vesicam, vel urethram, urinae aut retentionem, aut incontinentiam, aliquando excitabit.

Hydropis cura gener.

§. 757. Quanta non, ut quam parum nos scire noscamus, scienda sunt! immens[a] de hydrope doctrina, sed spicis quam frugibus uberior seges est. Indomabilis tamen morbi apud multos naturae id magis, quam arti, adscribas; nec tanta hic, felicia nemp[e]

uno alterove in casu, paucis autem aliis profutura, remedia laudari, cum nullibi plurima, nisi pauca modo prosint, venditari consueant, mireris!

Indicatio I. Quodsi ulla hoc in morbo pertractando praecepta, certa se utilitate commendent; in eo haec, primo, ut scilicet vel causas, quae viam hydropi pandunt, avertamus, vel ut morbos magis, qui istum generarunt, quam ipsam aquarum collectionem, dispellere conemur, quaerenda sunt.

Indic. II. Cum vero ipsi morborum aliorum effectus, proprios quoque in aliis, et quos ipsimet progenerant, foetus agnoscant; aquarum inique secretarum, nisi morbo principali sanato, hae ipsae quoque aufugiant; promta satis eliminatio, *secundam* in hydrope dispellendo indicationem constituit.

Indic. III. Cum etiam nova, aquis jam feliciter abactis, subsistente nempe diu ab istis vasorum secernentium in idem hoc vitium proclivitate, serosi laticis collectio contingat; perpetuo et ad causas, et ad effectus hujus morbi sub respectu, ea, *tertio*, quae occasionem istorum praescindant, demum ordinanda sunt.

Sanatio spontanea.

Ad primum quod attinet, sunt hydropis species, quae, sponte cessante earum causa, cum tempore vel sponte quoque ipsae dispareant: hydrometrae gravidarum post partum absolutum, vel et oedematis pedum post febrem intermittentem, etiam sine artis auxilio fugatam, disparentium exemplo. Ipsum adeo hoc pedum oedema, forsitan a febre periodica praepostere suppressa exortum, modo paucis paroxysmis cum plurimo sudore vel suapte absoluta, interdum absque alio, quam debitae diaetae subsidio profligatur. Sunt etiam hydropes, qui sola, sed promta satis, domicilii frigidioris, uliginosi, vel coeli humidioris, cum habitaculo elevatiore, vel cum atmosphaera puriore, calida et sicca, permutatione evanuerint.

Cura hydropis asthenici.

Saepius tamen causae aliae hydropis efficacem artis assistentiam sibi exigunt; et cum *primo*, pars hujus morbi vel maxima *debilitatis* majoris effectus sit (§. 748.); in hanc praesentem, potissimum cum debito ad indolem et gradum illius respecto, agendum est. Victus nutriens facileque subigendus carnes succulentae, satis maturae, assatae ovà sorbilia, ex vegetabilibus vero, radices dauci carottae, cichorei, scorzonerae, turio

nes asparagi, lupuli, napus, aut rapa, herba cichorei, endiviae carnium cum jusculo coctae, vini generosi, e. c. rhenani, vel similis, secretioni renali faventis, portio moderata, tranquillitas mentis, amica, spem salutis erigentia consortia, corporis pro virium tumorisque ratione exercitatio, navigatio, imprimis maritima, frictiones, matutinas ad horas cum pannis laneis, fumo aromatico imbutis institutae, remedia, volatilibus parca manu adjunctis, amara, aliquando mercurialia, ac tandem martialia potissime huc spectant. Frictiones, quas, cum oleo institutas, prae coeteris laudarunt, inutiles observavimus. Hydrops, cui fortiora excitantia, ut abusus spirituosorum et alia occasionem porrexerunt, stimulos, quibus nimis jam adsuetum est corpus, majores sibi expetit.

Inter plurima remedia, quae vires amissas potentius restituunt, *cortex peruvianus* certe eminet; nullibi tamen, quam in hydrope *athenico*, quem febris *periodica intermittens* induxit, aequali efficacia pollens. Eximiae hujus virtutis cognitionem *Italiae* quondam medico, *Therapeutices specialis ad febres periodicas pernitiosas* immortali Scriptori, po-

tissimum debemus. Necdum tamen hujus viri experientia ad nos usque pervenerat, cum, quadraginta abhinc annis, *Rastadii*, summam hujus remedii potentiam jam experti simus. Sartor nempe juvenis ibidem sex jam a mensibus, et ultra, febre quartana rebelli laboraverat. Senior hanc medicus, obstructiones viscerum hunc hydropem generasse supponens, a multo jam tempore cum solis resolventibus et alvum evacuantibus, salinis remediis eo cum effectu, ut hydrops universi corporis cellulosus cum ascite vel maximo insecutus sit, pertractaverat. Ad hunc aegrum, sorti suae vix non relictum, accersiti, cum primo ejus medico, pro nostra tunc juventute, reverenter circa illum conferentes, *corticem*, quod febris periodica, hanc usque in diem subsistens, morbum produxisset, proposuimus. Consilium hoc ille, quod lupum, ut dicebat, stabulo inclusuri essemus, indignabundus rejecit. Ob molem ventris, viscerum nobis hoc in aegro conditio ignota fuit; quodsi tamen subforet, corticem non minus indicatum esse credentes, cum fiducia divinum hoc remedium, et quidem eo cum effectu arripuimus, ut urinis, huc usque parcissimis ac turbidis,

lixiviosis, compressa vix febre, summa co-
a excretis, trium spatio hebdomadum,
eger hic ad perfectam et constantem valetu-
iinem rediverit. Paucos post annos vir illu-
tris, febre simili correptus, medici celebris,
Chinae corticem praescribentis consilium per-
inaciter contempsit, morbumque per octo
nenses sibi ipsi committens, in gravissimum
sciten cum magno crurum tumore, conjec-
us fuit. Tunc nostram opem exploranti, ut
odem, quod prior medicus sub morbi prin-
ipio contra febrem proposuerat, remedio,
iec alio, contra hydropem, ex hac origine
caturientem, uteretur, non sine arduo la-
ore persuasimus. Ingente, sub hoc, uri-
arum copia excreta, perfecta demum stabi-
sque sanitas secuta est. Magnum certe si-
nilium aegrorum deinde, tum in *Italia*, tum
n *Germania*, simili ratione, nunc quiden sa-
s cognita, ab hydrope restituimus.

Fateamur interim oportet, tam dictum ydropem, quam alios, quos *debilitas* indu-
it, a solo *corroborantium*, ut vocant, usu equenter non modo non dispelli, sed adeo, onec moles aquarum vel quidquam immi-
uta sit, evidenter *augeri*. Tanta nempe artium, a sero stagnante infiltratarum, ten- **Limitatio roborantium.**

sio saepe atque sensibilitas est: ut actionis remedii quantisper magis stimulantis, tolerandae hae sint impares, ac istius sub calcare mox rebelles recalcitrent; ex quo sane elucet: *primam* illam, quam supra posuimus, in curando hydrope indicationem (quod non tam morbo *principali*, quam sequenti hunc *aquarum effectui* tribuas) a *secunda*, quae aquarum evacuationi praest, non semper posse separari.

Juncta diuretica.

Cum igitur, vel in ipso hydrope, post febrem periodicam insecuto, corticem vel non prodesse, vel non tolerari conspicere mus; lenia huic diuretica, tandem vero effi cacia, cremorem tartari, rob sambuci, pri mum, dein vero et oxymel scilliticum, ele tuarii sub forma superaddimus, et, quod solo cortice non potuimus, a composito ha ratione remedio impetravimus.

Amara.

Ob eandem etiam nimiae sensibilitati rationem, amara saepe, ut centaurium mi nus, trifolium fibrinum, absynthium, lignu quassiæ, cum radice ononidis spinosae no spernendo, ut experti loquimur, diuretic remedio), vel cum baccis juniperi juncta ipsum adeo *corticem* superare cernuntur; nec i certe semper cum stimulo majore hoc in mo

bo, quod minor saepe praestat, obtinemus. Ejusmodi scilicet blandiora tonica, in hydrope post morbos acutos, post graves haemorrhagias secuto, coeteris fere palmam eripiunt. Principis *Germani* uxor quadragenaria, *Mediolani* ex gravissima uteri haemorrhagia cum labore restituta, multos in diaeta errores commisit. Mox febris nervosa gravior insecuta est. Hoc etiam morbo feliciter devicto, hydrops cellulosus et ascites in scenam prodierunt. Sensibilissima, et simul impatiens admodum aegra, omnem medicinam per plures hebdomadas recusans, ab amaris tandem ac a solo corticis decocto, cum pauca squillae marinae dosi, restituta est.

Saepe interim ad *chalybem* gradatim ascendendum est; quo in casu aut vinum martiale, aut *vitriolum martis* egregie conveniunt. Hoc ultimum nempe, a grano dimidio ad granum et ultra, mane ac vespere, porrectum, melioris diuretici vices exserit, imprimis si apud homines magis sensibiles, turbis nervorum subjectos, *opii* granum dimidium atque corticis cinnamomi grana aliquot, eidem jungantur remedio. Martialia.

Nervina. Quantum nempe systema nervosum ad pervertendas augendasque secretiones con tribuat, jam supra indicavimus, atque hinc volatilia, calamus aromaticus, angelica, opiata nervisque amica pharmaca, sub tali rerum conditione, diureticis vel et aliis commista, non parum opportuna sunt. Saepe illa, quae in aliis, urinas potenter movent; hoc vel illo in casu, quovis sine effectu, nisi malo, per alvum ruunt; ab adjecto vero opio, vel pulvere *Doveri* cum radice columbo, moderato alvi fluxu, suam magis in renes actionem convertunt. Sic magnos ex foliorum sex vel octo *Solani nigri* infuso aquoso effectus, celeberrimus, sed fato iniquo ereptus *Neapolitanus* medicus in hydrope obtinuit.

Mercurialia. *Mercurialium* in hydrope asthenico usum, insana hypothesis ad illos modo hujus generis morbos, quorum ortum ex *humorum tenacitate*, *spissitudine*, derivari illi placuerat, restrinxit. Est tamen ubi excitans et penetrans hoc remedium egregios in illo hydrope effectus praestiterit. Paucis mercurii dulcis dosibus ascites cum universali anasarca, sub copiosissimo urinae fluxu, sanatus fuit. Ipsa hoc ex remedio salivatio, similem hydropem, ut acta academica *Parisiensia* retulerunt

erfecte dissipavit. Calomel cum allio junctum, laudes sibi conspicuas promeruit; et e per alvum ruat mercurius, parca dosis pii eidem superaddita impediet. Incedenem cum lue venerea hydropem, mercurius, otissime diureticis commistus, persanat.

Sub tanta cutis in hydrope siccitate, ac nprimis ubi *arthritis*, *exanthemata*, *impetigines*, ıum internis partibus stimulum intulisse dentur, *balnea tepida* vel simplicia, vel cum bus aromaticis praeparata, non parum virıtis exserunt. Communissimum in *Russia* ontra hydropem remedium sunt balnea, quias calamus aromaticus, vel betulae quoque bae folia, infusa fuerunt. *Lituaniae* juvenis citicus, cui, ab instituta paracentesi, aquae erum abdomen impleverant, ope balnei tedi, ex ligno *fraxini excelsae* conciso, per ctionem parati, sanatus fuit. Similem hoc balneo effectum filia Principis *poloni* hydroca experta est. Copiosa in thermis sanati dropis exempla sunt. Oedema pedum haud ro per vapores spirituosos discussum fuit. nc Antiquis etiam, ut sudores, plerumque hydrope difficiles, prolicerent, *sicca*, ut cabant *balnea*, ex arena calefacta, vel ex conico, vel clibano, in usu fuerunt. Hy-

Balnea tepida.

dropem ex podagra per frigus dispersa oriundum, sudores sponte succedentes dissiparunt. Iisdem rationibus permotus, medicus ille celebris *Neapolitanus*, qui omnem fere hydropem ex suppressa transpiratione, vel ex *rheumate* derivat, remedia potissimum *antimonialia*, quibus simul diuretica commiscet, adhibere consuevit; ac in hydrope illo arthritico, quem *Ticini* regnasse diximus, non alia fere medendi ratio, quam quae cutis poros adperiret, suffecit. Acetum ammoniacale, pulvis *Doveri*, interdum vero repetita vesicantia, potissime huc pertinent. Flores sulphuris cum melle remisti, vel alio modo ingesti, hydropem ex *psora* praepostere suppressa oriundum, hac demum impetigine ad cutem redeunte, haud raro persanarunt.

Emetica. Ipsa *emetica*, licet totius corporis succussione, secretionum opus permutandi, resorptionem, evacuationem aquarum promovendi potentiam illis minime detrahamus, imprimis *antimonialia*, ex eo, quod haec, in cutem magis agendo, transpirationis opus secundaverint, utilitatem subinde habuisse, cogitamus. Fatemur interim, nos in hydrope quidquam provecto, hoc auxilii violenti, nec facile certis limitibus circumscribendi, ad genus nun-

…am recurrere auſos fuiſſe. Nec eorum de…nt exempla, qui, viſcerum obſtructionibus …centi, vel ad haemorrhagias diſpoſiti, ani…rm, ipſis cum aquis, evomuerint.

Aquae frigidae ab uſu, tum interno, tum …terno, imprimis ad fontes minerales, hy…opem aliquando diſpulſum fuiſſe, conſtat; …qui Antiquorum non minus, quam Recen…rum experimenta cum frigidae aſperſione, …atione in typho non ignorat; majora ille …ſitan, quam cautior medicina docuerit, …neficia ex illis exſpectabit. „Si aeſtas …, inquit vetuſtus de medicina ſcriptor *Ro…us*, in mari natare (hydropicos) commo…n eſt.“ Solo aquae frigidae potu, teſte …ebri *Galliae* chirurgo, cum nec paracente… abdominis conduxiſſet, urina plurimum …a, et aſcites ſanatus fuit. Hydropem …ilosum univerſalem quondam in *Spirenſi* …tate feliciter abegimus. Recruduit, ex …i culpa, ut videbatur, malum, quod ite… ſanavimus. Redeunte interim poſt ſex …ſes anaſarca, aeger, noſtri pertaeſus, …que tumidiſſimus, *Argentoratum*, ac fa…iſſimum, tunc illinc degentem empyri… C*. petiit. Vix aegro conſpecto, ſana…em ille certam promiſit. Deſcende, in- Frigida.

quiebat, in *gelidam*, cui *extracti saturni libram* commiscueris! — Balneo egressus, aeger prodigiose mingere cepit, et unico hoc subsidio ab aquis in totum liberatus, sanitati perfectae restitutus fuit. Audax sane nobis tunc hujus viri consilium esse apparuit; nec tamen ejus eventum, forsitan arti (non adeo ratiocinio, quam experientia, cujuscunque originis ea sit, promovendae) quondemum proficuum, reticere hic voluimus. Nedam proficuum, reticere hic voluimus. Nemo utique prudens id ipsum sub summa jam virium jactura, sub pulsu debilissimo, sub respiratione difficili ac tussi aspera, sub rheumatica morbi indole, sub frigore artuum; imitare cogitabit; sed frigidae, quae saepe diuretici aut vices agit, aut ejusdem actionem secundat, potum, ardenter ab aegris efflagitatum, ac ipsam, modo vires quidquam superstent, cum gelida momentaneam lavationem, etsi hanc ultimam nos ipsi in hydrope necdum experti simus, eo minus, quod in morbo toties in medicos rebelli, tentari quid liceat, vetabimus.

Anpotus concedendus? Atque sic ad quaestionem, num potus hydropicis, — num voro strenua a liquidis abstinentia, consulenda sint? partim jam respondimus.

Quam

Quamdiu scilicet causam hydropis princi-
palem pathologi a *sanguinis* in serosos humo-
res *resolutione*, sine habito ad solida respectu,
repetierunt: tamdiu hypothesi huic antiquae
et ipsum artis exercitium conforme esse, ac
potum vix non omnem aegris prohibere opor-
tuit.

Nec omnis *exsiccantem* hanc methodum
eventus fefellit; sed complura sanationis ex-
empla, quae ejusdem asperitatem quodam-
modo excusent, in diariis medicorum conser-
vantur. Pars interim eorum, qui ex atroci
hoc morbo convaluerunt, vel maxima, stat
ex parte majoris versus aegros indulgentiae,
nec etiam, si quis rationi magis, quam Ve-
terum auctoritati obtemperet, argumenta
pro potu aegris concedendo illi desunt. Vix
ideo nempe liquida ingesta, collectionis
aquosae, illis longe superioris, originem il-
lustrant; atque si *resorptionis defectui*, et sy-
stematis lymphatici pigritiae hucusque hy-
dropes adscripserint; majoris forsitan ponde-
ris opinio illius videri posset, qui *auctae inha-
lantium* ex atmosphaera vasorum *ingluviei*, seu
verso magis cutis, transpirationi potissime
dicatae, *officio* hos adscriberet. Ne tamen
hypothesin cum hypothesi trudamus, quo

contrariae rationes sententiae pateant, suffi- ciet, urinae in hydropicis indolem, — majores, a potu negato, lotii ruborem, parcitatem, acrimoniam, foetorem, — diureticorum, nisi liquidis idoneis suffultorum, inertiam, — summam, medias inter paludes, faucium, narium, cutis, alvi, partiumque vix non omnium ariditatem, — aegrorum, qui posteaquam diu nihil liquidi hausissent, ingentem tamen aquae copiam, non imminuto corporis sui pondere, sub paracentesi offerentium exempla, ac demum pejorem sitis, quam ipsius morbi tyrannidem, ante oculos posuisse. Quare nostris hydropicis potum nec obtrudimus, nec etiam, moderatum, negamus. Sunt nempe hujusmodi inter aegros, qui parum admodum sitiant; alii, qui potum ambientes, ob abdomen vel pectus ab aquis jam nimis repleta, eidem capiendo, retinendo, propter nimiam oppressionem et angustias abinde excitatas, vix pares sunt. Nec ingrata palato decocta, vel ptisanas pro siti fallenda, sed aquam vel solam, vel succo citri, aurantiorum, aut cremori tartari solubili atque saccharo, ad gratum saporem, vel, pro re nata, et vino commistam, pauca quidem copia, sed, praeci

pue dum diureticis remediis utuntur, frequenter satis concedimus. Nec aliter hodiedum vel maximi nominis medicos procedere videmus.

Cum vero excitantem in hydrope asthenico curando methodum hic exponimus, nec externorum stimulantium mentio praetereunda est. *Cantharides* scilicet, quorum actio in omne systema, sed maxime in cutem, satis nota est, dum in textu hujus celluloso humores restagnant, effectum haud raro insignem satis edunt, ac morbosam secretionem non modo arcent, invertunt, sed et opus resorptionis coadjuvant. Ne tanto vero stimulo, sub deleta fere partium infiltratarum, et jam nimis extensarum vitali potentia abutamur, atque facile timendae gangraenae sic viam pandamus, cavendum est. Frequentior etiam vesicantibus locus est, ubi exanthematis, impetiginis, aut arthritidis, ex cute partibusque externis praemature aversorum stimulus interiora lacescere, ac secretiones serosas auxisse, permutasse videtur.

Vesicantia.

Hydrops ex stimulis majoribus, vim vitalem vix non exhaurientibus, productus, fortiora sibi utcunque excitantia, spirituosa

H. ex asth. indir. cura.

magis, aromatica, volatilia, coeteris non omissis, exposcit.

Cura hydr. energici.

Exempla hydropis, non adeo ex virium vitalium defectu, quam excitata per stimulos varios, imprimis autem per profluvia sexus, vel habitualia, suppressa, *superabundantia* exorti, et quidem ex nostris, jam adduximus (§. 748.). Ipse vero jam *Cous* senex, hydropicis, sub aetatis flore constitutis, aut verno tempore hoc a malo correptis, aut spiratione difficili oppressis, venam aperuit. Utriusque etiam sexus homines, coeterum robusti, aetatem, quadragesimum fere quartum inter et quinquagesimum annum agentes, ab *energico* hydrope, ut recte monuit *Angliae* expertus medicus, non semel tentantur; sub quo igitur rerum statu, non alia, quam *debilitante* a methodo auxilium erit. Haec etiam celeberrimus, qui nos in cathedra *Viennensi* praecessit, rerum medicarum Scriptor suis observationibus, — in *Gallia* vero, vir, in colligendis nosocomiorum militarium aegrorum et curationum historiis, clarus, abunde cofirmarunt. Puella quatuordecim annorum, ut legimus, ob ascitem jam quater paracentesin passa, fluentibus tandem haemorrhoidibus perfecte convaluit.

Sub hoc igitur aegrorum statu, quaecun-
que magis stimulent, evitanda, quae vero
ustum in corporis functionibus aequilibrium
estituant, adhibenda sunt. Hinc cibi ni-
mis succulenti, nutrientes, animalis potissi-
mum naturae, potus spirituosi, et intensio-
ris effectus diuretica, fugienda; quies vero
et corporis et animi major, lenia per alvum
ac per renes simul subducentia, cremor tar-
tari imprimis et nitrum, venaesectio vero,
aut hirudinum circa vulvam, aut anum ap-
plicatio, subinde etiam repetita, ante omnia,
imperanda sunt. In *tonico* hydrope, inquit
celebris *Philadelphiae* medicus, saepe terror et
jejunia auxilio fuerunt.

Obstructiones viscerum, si hydropem magis
fecisse, quam modo *comitari* videantur, —
scorbutus, *lues venerea*, hydropis socii, adpro-
priatam sibi medendi methodum, alibi ex-
ponendam, desiderant. Saepe nimis medici,
reserandis per sic dicta resolventia, alvum-
que continuo moventia remedia, obstructio-
nibus, aut nunquam, aut cum damno aegro-
rum resolvendis diutius intenti, quem sana-
re contendunt, hydropem, nullis amplius
auxiliis cohibendum, auxerunt *Vitia orga-*

nica nullam plerumque, ut saepius jam diximus, nisi palliativam, medicinam admittunt.

Evacuatio aquarum.

Secunda, quae aquas morbose secretas, et collectas *evacuare* jubet *indicatio*, partim, ut monuimus, jam ipsa morbi causa praedictum ad modum sublata, vel saltem non facile, nisi brevi solatio, sine illa, absolvitur. In casu contrario, id ipsum auxiliis tum *medicis*, tum *chirurgicis*, praestare molimur opus.

Per interna remedia.

Aquas igitur, vel textu celluloso, vel cavis corporis stagnantes, favente systemate lymphatico, ac stimuli organis secretoriis, excretoriis admoti, actione, ars *medica* per ductus corporis excernentes, atque dum impervia cutis spiracula vix illâs admittant, vel per *alvum*, vel per *renes*, vel utramque per viam educere conatur. Quae per vias *urinales* tentatur, ea tutior plerumque ac minus viribus infensa est, aquarum eliminatio;

Alvum evacuantia.

morbi tamen sub principio, ubi aegri juniores minusque irritabiles sunt, ubi nec obstructio, nec scirrhus ventrem occupant, ubi hydrops ex profluvio quocunque, diarrhoea, dysenteria, haemorrhoidibus, originem non sumpsit; illas quoque per alvum, — non facile sine damno utrasque per vias, expellere licebit. Non interim reticenda est recentior

Galli medici, de hydrope in *Vendeae* locis paludosis endemico, observatio: ut quae *hydragogis* magis remediis favet; diuretica vero, ipsumque adeo potum, vix non excludit.

Cum igitur dubiam satis intestinorum per viam aquas egerere contendimus: non facile mitiora id remedia praestabunt; sed fortiora quidquam ex radice jalappae, cum foliis sennae, aut cum calomela, vel, quod saepe nobis conduxit, ex eadem radice, cum sale medio et oxymelle squillitico, mollioris electuarii sub forma exhibita, — saepe vero *drastica* ex gummi gutta, elaterio, scammoneo, bis terve per hebdomadam praescripta, requirentur. Raro tamen, si unquam, *hydragoga*, ut vocant, praescribendi occasio prudentibus se offeret.

Haec artis tutioris praecepta, forsitan, ut medicus unum alterumve ex multis hydropicis, quem audax agyrta sanasset, valetudini non restituat, — sed ut plurimos eorum, quos iste, inflammatis, sphacellatis intestinis, mactasset, illibatos patriae conservet, efficient.

Etsi verum sit, hydropem per *renes* frequentius, quam omnes coeteras per vias simul sumptas, solutum fuisse; non tamen Diuretica.

hic reticendum est, decantatissima hoc in morbo *diuretica*, saepe nullum in renes effectum exserere, lotiumque sub illis vel minimam, aut copia, aut indole, mutationem subire. Fortiora adeo hujus generis remedia saepius, stimulando nimis, urinae secretionem adhuc parciorem inducere, et, vel provocata demum, vel aucta febre, in verum foetensque lixivium urinas convertere solent. Tentanda interim res est; et frequenter, quod illum non javit, alteri vel maxime proficuum fit remedium. A *mitioribus* igitur semper incipiendum, et habita sensibilitatis, debilitatis apud aegros ratione, ad fortiora tandem adscendendum est. Ne tamen his ultimis forsitan incassum jam adhibitis, debiliora igitur vituperanda sunt auxilia. Hydropem, cui longe potentiora diuretica jam diu, cum continuo morbi augmento, praescripta fuerunt, cum ejusdem remedii dosi ad quartam modo partem redacta, sanavimus. Nulla in adulto hydrope auxilia profuerant, cum, ut Vir celebris *Viennensis* refert, medicus, ne nihil agere videretur, roob sambuci praescripsit: unde, secuta copiosissima urinae secretione, aeger convaluit.

Mitiora.

Non mirabimur hinc, vel *succum millepe-dum* cum vino contritorum, recenter expresſum, quibusdam hydropicis, quod tamen nunquam ille nobis praestitit, salutarem fuisſe; vel *semina sinapis* non contusa, mane ac vespere ad cochlearis plenitudinem assumta, sanitatem illis restituisse, — vel *oxymel colchicum*, quod longe pluribus a nobis praescriptum, modo quinque nostris ex aegris salutare fuit, alios juvisse; — vel a *baccarum juniperi* infuso aquoso, quod nunquam ab eo solo obtinuimus, aegros ab aquis liberatos fuisse; — vel, ut nobis videre licuit, *radicem ononidis spinosae* cum aqua decoctam, urinas potenter satis movisse, — vel demum, et centena alia taceamus, *lactucam virosam*, a nobis nunquam, a *Viennensibus* autem, apud quos tamen laudes hujus plantae primum exortae sunt, nunc perraro praescriptam, iis contulisse.

Quodsi de mitioribus in hydrope remediis quaestio sit; fatemur, nos, modo nulla diarrhoea subfuerit, a nullo eorum frequentius, quam a *cremore tartari*, prout acta *Bononiensium* academica docuerunt, vel a cremore tartari *solubili*, a drachmis duabus ad unciam usque dimidiam spatio nycthmeri, tempore

sat longo, porrecto, atque vel solo, vel cum roob sambuci, aut cum oxymelle scillitico, nec non cum spiritu salis dulcificato praescripto, opem habuisse.

Potentiora. Constans vero medicorum observatio, efficaciora inter diuretica, tum *salibus alcalinis*, vel puris, vel cum acido vegetabili saturatis, tum *squillae bulbo marinae*, tum denique recentiori *digitalis purpureae* remedio, principatum assignavit.

Salis alcalini aliquot modo grana remediis amaris superaddita, et quosdam per dies repetita, urinas saepe satis jam movent; majore dosi porrecta, nimis irritant, ac febrem, in hydrope timendam, excitare valent. Hinc *urinam* ovium, asinorum, jam *Arabes*, — juvencae vero illam, *Italiae* celebres quondam medici, ut potens in hydrope diureticum, ad quatuor, pluresque ad uncias in die porrigendum, commendarunt. Frequentioris vero, atque, nisi alvum nimis solicitent, tutioris usus sunt alcalia cum acido saturata.

Scilicet, vel cinerum vegetabilium libra una, cum herbae absynthii uncia, infunditur per diem ac frigide in vini aciduli, rhenani, vel mosellani libris duabus; collaturae vero filtratae, bis vel ter in nycthemero, un-

iiae duae propinantur; vel salis alcalini ve-
ιetabilis uncia una, eundem ad usum, in
:raedicta vini ejusdem quantitate solvitur.
ii quidquam salis alcalini saturatum satis
ion fuerit, tanti non interest. Loco vini
ttiam cerevisiae recentis libris duodecim, li-
rra cinerum una, limaturae martis unciae
uatuor, seminum sinapis unciae duae, ad-
untur; per biduum digesta, colantur, ac
quidi istius, aegris ter, quater in die cya-
ius dimidius porrigitur.

Squillae marinae bulbus, vel *recens* vino cum
ortice cinnamomi et radice helenii infundi-
ır; aut sub forma pilularum cum extracti
mari et cardamomi minoris aequali portione
ommistus, aut etiam cum aqua aromatica
ontritus, naphtha vitrioli et grato syrupo
ιperadditis, praescribitur; — vel debite
ccatus, in pulvere porrigitur; — vel *extracti*
uosi sub forma exhibetur; — vel *infusi ace-*
si, vel demum *oxymellis* sub specie, aliis
ιperadditur. Turbas interim saepe magnas,
auseam ac vomitus excitare bulbus recens
onsuevit; nec certe, ut squilla urinas mo-
eat, nauseam ab illa excitari oportet. Al-
li vegetabile cum aceto squillitico satura-
m, aqua juniperi gratoque syrupo adjunctis,

debilioribus conduxisse observavimus. Insignem, aliisque rebellem, asciten pedumque tumorem cum cremoris tartari solubilis et oxymellis scillitici uncia una, spiritus salis dulcis drachmis duabus, et aquae menthae piperitae unciis octo, — dum omni bihorio uncia hujus remedii dimidia sumeretur, atque dum interea lumbi bis in die cum linimento ex spiritus terebinthinae drachmis duabus, cum vitello ovi et aqua subactis, inungerentur; *Petropoli* fugatum fuisse conspeximus.

Digitalis purpureae, in urina hydropicorum pellenda virtutem saepe maximam, saepe satis quoque nullam, experti sumus. Vix cognita hujus plantae efficacia, ejusdem in *Italiae* experimentum nos primi instituimus. Insecuto digitalis purpureae defectu, *luteam*, cum effectu tamen, nisi duplici remedii a dosi, minore, consuluimus. Digitalem *epiglottidem* iisdem viribus instructam esse, quod noster quondam auditor, nunc vero clarus Instituti clinici *Patavini* antistes, docuit, necdum nos ipsi, ob plantae raritatem, experiri potuimus. Cum vero digitalis has species pulsuum lentorem in plurimis notabilem inducere satis notum sit; illa, quae *ferrugi-*

ea vocatur, sicuti vehementius operari, ita quoque arteriarum ictus numero augere, quo etiam experimento destituimur, refertur. Recentia plantae hujus folia, nos nunquam, virulentia eorum facilisque hypercatharsis timore permoti, praescripsimus.

Quotiescunque vero tum squilla marina, tum digitalis purpurea, alvum nimis excitaverint; ne bono eorundem effectu hac via frustremur; opium illis et radicis columbo pulvis jungenda sunt.

Iridis palustris succum, plura hydropis sanati exempla, nec tamen ea, quae nos ipsi, non multa, instituimus, commendant.

Urinae secretionem ab usu *cantharidum* interno non adeo augeri, quam ejusdem excretionem praegravari observavimus. Gravem interim hydropem in *Lituania* cum quatuor illorum granis, emulsionis amygdalinae librae uni commistis, dum omni hora cochleare unum istius sumeretur, fugatum fuisse novimus. Infidum interea in hydrope remedium *meloen*, tum *vesicatorium*, tum quem aliqui laudarunt, *proscarabaeum*, esse credimus. Nec facile *nicotiana tabaco*, ab *anglo* scriptore insigniter laudato in hydrope remedio, uti audebimus.

Non tamen remedio, similibus in casibus apud alios saepe proficuo, ex eo, quod praesente in malo ac tempore effectum non habuerit, in perpetuum renunciandum esse, docet non infrequens observatio. Sic virginem asciticam in clinicum Institutum *Ticinense* suscepimus, ac eidem remedium ex radice jalappae, sale medio, atque oxymelle squillitico compositum praescripsimus. Cum nullam hoc virtutem exseruisset; dimidium per annum ad alia, et quidem decantatissima in hydrope medicamina, quin haec morbi augmentum praevenissent, transivimus. Cum feriae academicae interea subintrassent; aegra haec suis sese parentibus, sorti propriae commissa, restituit. Post menses quatuor, ea, curae nostrae necdum pertaesa, ad nos rediit. Antiquum igitur, quod supra indicavimus, remedium denuo praescripsimus; et ab hoc solo, brevi satis tempore hydrops omnis feliciter devictus fuit.

Atque haec de auxiliis, ab arte *medica* hydropi opponendis hic sufficiant! Quodsi vero his ipsis, quacunque demum ex ratione, morbus pertinaciter restiterit; colluvie serosae *chirurgia* tandem vias aperire, atque sic, prout nempe licet, morbosae collectio-

nis effectibus saltem mederi tentat. Hoc interim de artis salutaris subsidio, sub cura hydropis speciali opportunius loquemur.

Cura convalescentium.

Nisi causa hydropis, aut ejusdem adeo effectibus, sublatis; vix corporis e cavis expulsus, mox iterum repullulat, ac saepe adeo citius recolligitur, latex aquosus. Hinc non una eademque medendi methodus tam tristem eventum apud omnes praecavebit; sed post *energicum* hydropem, si vires adhuc praedominent, tum in victu parciore ac minus nutriente, tum in fuga stimulantium, ac demum in illis, quae aequilibrium restituant, iat diu pergendum, nec de corroborante, ut vocant, remedio cogitandum est. Ab hydrope autem, quem *debilitas* produxerat, cibi nutrientes, facileque subigendi, animales imprimis, remedia vero, quae stimulo adaequato vires amissas restituant, amara scilicet, decoctum corticis, tinctura martis, non neglectis interim illis, quae urinae potissimum secretioni uberiori faveant, — externa quoque subsidia, ut corporis, sub coelo sereno ac tepido, sub debito vestitu, exercitia, animi recreatio, frictiones, fasciae, quarum ope partes solidae, diu nimis extensae, relaxatae, suffulciantur, ac similia, or-

dinanda sunt. Si *viscerum obstructio* hydropem generasse videatur; hoc ipso devicto, illa, quae reliquum forsitan infarctum tollant, cum magna tamen cautione, ne *resolvendo*, robur partis infrangatur, extracta scilicet taraxaci, cichorei sylvestris, cum terra foliata tartari, gummi ammoniaco, sapone medicinali, vel et unguentum mercuriale, praescribenda, — quodsi vero ea ipsa, quae hydropem induxerat, obstructionem etiam generaverit, *debilitas*; ea modo, quae hanc ultimam, et gradus illius, ut supra exposuimus, respiciunt, adhibenda sunt.

Cura hydropis specialis.

§. 758. Praemissis, quae hydropis ad curam pertinent generalibus praeceptis, in illorum expositione, quae species hujus morbi diversas concernunt, breviores esse nobis licebit.

H. cellulosi.

Ac primo quidem, *hydrops cellulosus*, seu *intercus*, inter omnes communior, et aliarum hydropis specierum frequenter parens (§. 736), sicut prae istis, medicorum in conspectum cadit: ita quoque, malorum ex sui augmento et neglectu instantium imaginem sat promte offerens, citius ab illis auxilium exposcit. Pro causarum vero, unde hic morbus

bus procedit, diversitate (§. 748.), aliud aliudve hoc esse oportet.

Saepius forsitan hydrops *intercus*, quam Hypersthe- quivis alius, etsi hoc cutis ubique tumida, nici. aliquando simul inflammata, per oppressas ab aquis et tactui digitorum vix non subtractas arterias indicari vix sinat, morbosae corporis *energiae* adscribendus est; quo in casu, ex morbi regnantis, ut scarlatinae, aut alterius exanthematis, ex subjecti, et causarum praegressarum ex indole eruendo, medendi methodus, quam hydropi *hypersthenico* adsignavimus (§. 757.), debilitans arripienda est. Hinc vena esectio interdum, plerumque vero repetita, nec tamen impetuosa, alvi evacuatio, potus acidulus, subfrigidus, victus autem parum nutriens, et quies corporis ac animi, imperanda sunt.

Frequentius interim hydrops cellulosus, Asthenici. vel ex cutis laxitate nativa, vel per collectam prius pinguedinem inducta ejus inertia, vel quod, sua, post graves morbos, epidermide spoliata, sensibilior, debilior, aut semiparalytica sit facta, vel quod frigori, imprimis humido, diutius fuerit exposita, caracterem agnoscit *adynamicum*, et a transpirationis opere quasi inverso, cutem turgidam et languen-

tem subtus inundat. Hac igitur sub rerum conditione, tum morbi primarii, a quo scilicet hydropis hujus scaturigo est, recta pertractatio commendanda, tum restabiliendae transpirationis cutaneae vel maxima cura habenda est. In primo hinc casu, corticis peruviani decoctum cum sale alcalino vegetabili, aceti squillitici ope saturato, ac spiritu nitri dulci, — in secundo vero, aut cremor tartari solubilis, cum refracta tartari emetici dosi cum roob sambuci, et spiritu salis dulci, aut aqua florum sambuci, petrosellini, cum aceto ammoniacali et vino antimonio, indicantur. Si magna cutis siccitas ac tensio subfuerint; balneum ex aqua tepida, cum infuso herbarum aromaticarum aut calami aromatici mistum, adhiberi mereretur. Frictiones lenes, cum pannis laneis, fumo aromatico imbutis, ad horas matutinas, ubi crurum tumor quidquam subsedit, institutae, maxime vero adplicitum hinc inde, nisi major jam cutis tensio ac sensibilitas hunc stimulum recuset, vesicans, vasa cutis resorbentia nimis pigra, potenter excitabunt.

Scarificatio, incisio cutis. Cum vero plura hominum, hydrope cellulosο correptorum casuque fortuito, vel per ignem, vel alia ratione ad cutem laes

m, mox autem per ipsam hanc cutis solu-
nem aquis omnibus depletorum exempla
erentur; cutis tandem *scarificatio*, aut sat
spicua, quae ad textum cellulosum, non
nen profundius, penetraret, maxime pe-
m super talos, *incisio*, jam antiquitus cum
ctu tentatae fuerunt. Est tamen, ubi hu-
generis subsidium, ob vires aegrorum
nimis collapsas, imprimis ubi crurum
igeratio, ob humoris stagnantis, saepe
is, continuum adfluxum difficulter evi-
da, subintraverit, inducto prius partis in-
ae erysipelate, aut ulcere impuro, spon-
so, funestam tandem aegris gangraenam
saverit; quando ex altera parte, institu-
forsitan scarificationis vulnuscula, ante-
m humoris multum effuderint, cito ni-
occlusa, susceptae operationis omne be-
cium promtius averterint. Quodsi ideo
c viam tentandi sit animus; non tarde ni-
illa, sed viribus aegrorum adhuc satis
stantibus, ineunda, maxime vero partis,
co, et minuto, satis tamen profundo vul-
e incisae siccitas calorque moderatus omni
do conservanda sunt. Cavendum quoque
, ne, si forsitan plurimus humor e vul-
e citius effluxerit; quod magno quondam

Britanniae medico contigit, aegri vires cum vitae periculo concidant. Hinc illae carnium cum jusculo, cum vino generoso aliisque sustentandae, partes vero solidae, egressis aquis collapsae, cum fasciis muniendae sunt. Si tensio, rubor dolorque vulnus circumdederint: pars adfecta cum decocto emolliente, cui quoque herbae aromaticae infusae, et spiritus vini camphorati portio superaddita fuerunt, tepida fovenda est.

Scroti. Qua vero ratione crurum oedema in hydropicis, — hac etiam genitalium externorum anasarca, si aquis, insignem ad molem collectus, aliter liberari illa non queant, ets hic quoque magna gangraenae pericula premant, apud adultos scarificandum est. Scrotum viri hydropici, ab aquis summe extensum, ac sponte humorem cum livore plorans, insperso pulvere corticis subtili, cui camphorae subactae quidquam admistum fuit, ab imminente gangraena praeservavimus. Apud puerulos, scroti tumorem aquosum a partis hujus refrigeratione exortum, fomenta sicca ex herbis aromaticis, vel repetita fumigatio ex saccharo, carbonibus injecta vel alia, quidquod solus feminalium usus plerumque jam dissipant.

(Qui foetus ad cranium a partu laborioso H. cell. capitis ext.
ntur tumores quasi cystici, hos cum fer-
rractari, ob faciles infantis convulsiones,
culosum est; solum vero gossypium, cui
phorae frustulum commissum fuit, sicce
erimpositum, sufficit. Oedema capitis ex
a leviore ortum, cucupha, vel sacculi,
is aromaticis cum camphorae pauxillo
eti tepideque adpositi disperguut. Sic
bris quondam *Basiliensium* medicus, ad
icem infantum duorum, non ita pridem
o exclusorum, tumores, ovi magnitudi-
referentes, molles, indolentes, atque
lores, ac fluido seroso repletos, cum sac-
, herbis, ut vocant, discutientibus re-
s, atque vino calido infusis, feliciter dis-
. In malo quidquam majore potentiora
iruntur artis subsidia. Sic Veteres, ad
ndum hydrocephalum (externum) ne-
arium esse caput tonderi ad cutem, dein
ni sinapi sicut exulceret; si id parum
erit, scalpello utendum esse „docue-
" Siquidem parvus esset tumor; api-
unica sectione dividendum; si vero ma-
duas aut tres sectiones fieri, aut plu-
juxta magnitudinis proportionem in lo-
d effluxionem commodis, „monuerunt. —

Quodsi temporum sub musculo collectio fieret, exspectandum esse, donec humor redundet, ut ne musculus incidatur, et postea a lateribus musculi sectionem faciendam esse; et siquidem humor in profundo sub musculo contineretur, duas sectiones utrimque a lateribus musculi ipsius instituendas esse," jusserunt. Pulchre istis recentiorum medicorum observationes quaedam, ob raritatem hic referendae, respondent. „Mulieri scilicet quinquagenariae, crudeli capitis dolore interno detentae, tandem media hieme caput exterius tumore oedematoso in tantum excrevit: ut duplo fere majus videretur, oculi amplius aperiri non possent, auresque ad pollicis crassitiem intumescerent. Ab eo, dolor capitis internus non parum sublevatus fuit. In curatione autem, caput variis vulnusculis lanceola factis, hic illic perforatum est; a quibus serosus liquor copiose exstillavit, sicque caput paucis diebus multum detumuit, et aegra, cucupha ex herbis aromaticis imposita, saluti restituta fuit." Similis fere casus cephalaeae acutae atrocis, in frontis tumorem insignem terminatae, a nobis descriptus fuit (§. 332.). Puella bimestris,

tumore capitis praegrandi et pellucido, ejusdem undique coloris, afficiebatur. Tumor, in altum elevatus, tactui cedebat rursumque adsurgebat; compressus vero, aquae fluctuantis motum sine dolore prodebat. Cataplasmate autem ex pulvere radicis cucumeris asinini et iridis, utriusque ad unciam dimidiam, ex seminibus cumini ad unciam, et ex farinae fabarum unciis duabus, cum melle parato, et capiti raso calide aliquamdiu imposito, sensim sensimque tumor omnis disparuit. In viri ex diutura hemicrania ad caput exterius tumentis exemplo (§. 736.), cauterium postico capiti inustum, ichori, ut videtur, sub pericranio latenti exitum felici sub omine paravit.

In externo, ut vocant, hydrocephalo, *Romanus* chirurgus eximius fomenta ex aceto squillitico consuluit. Quotiescunque autem cum externis hujus indolis remediis aegro subvenire curamus; nec causarum, si quasi pateant, impugnatio, nec interna, quae in hydrope commendavimus, subsidia negligenda sunt.

Longe vero abest, ut externi ejusmodi ad caput tumores, si cum cavo cranii mutuum commercium alant, vel etiam, praeter

aquas, partem cerebri suscipiant, chirurgicum auxilium tam facile admittant. Est interim, ubi haec minus a dispositione foetus in hydrocephalum primaria, quam a tardiore quidquam in uno alterove cranii puncto ossificatione, ut vocant, dependeant: quem osseae particulae defectum, non admodum conspicuum, post menses a nativitate aliquot resarciri posse, non prorsus desperandum est. Sic, ut in actis R. Academiae chirurgorum *Parisinae* legimus, circa lambdoidaeam infantis adhuc teneri suturam, tumor aquae repletus, ad ovi magnitudinem, comparuit: quem tumorem tum ferro adperiendum esse, quidam consuluerant. Adplicita tamen alterius jussu chirurgi lamina plumbea, sub compressione moderata, hiatus ille sensim sensimque ab ossea materia impletus, ac tumor aquosus dissipatus fuit. Similis eventus aliquoties et aliorum conamina, simili sub rerum positione, coronavit.

Cura hydrocephali.

§. 759. Tam funestam esse *hydropis cerebri* prognosin jam fassi (§. 755.); quid ad hujus morbi, dum semel cognoscitur, tam lethalis, sanationem proponamus, nisi messem alienam, ut nostra uberiorem, vendi-

temus, vix nobis superest. Atqui nec nobis etiam infantum exempla desunt, quos, *primi stadii* symptomata aequivoca offerentes, ex hydrope cerebri a nobis sanatos esse, non minore, ac alii, jure praetendere possemus. Nec tamen, quod *dubium* est in diagnosi, hoc indicationis basin satis solidam vel unquam constituet; aut si felicioris gloriam eventus ex illo captare contendimus, jactationis notam nobis non inuret.

In *chronicum hydrocephalum*, qui sua in ipso utero fundamenta jecit, et vel mox a partu se prodit, vel in prima jam infantia sese evolvit, nullum certe medicae arti conceditur dominium. Si tamen hic hydrops, vel et *acutus*, ut paucissima exempla ostendunt (§. 737.), antiquam sedem cum alia, minus nobili commutaverit, aut minus gravem in morbum alium transiverit: inexspectata istius translatio, conversio, eundem magis esse tractabilem sinet, ac propriam mali naturae, nunc magis cognitae, medendi methodum indicabit. Hydrocephalus chronicus, sibi ipsi commissus, etsi saepe jam primis annis lethalis, aliquando vigesimum, et trigesimum adeo ad aetatis annum protractus fuit; quas morbi inducias, artis sollicitae nimis Chronici.

tentamina certe plurimum contraherent. Fasciae, quae cranium infantile in sua ab aquis extensione forsitan cohiberent, has ultimas in cerebrum, quod in ossa non possunt, vim suam exserere coacturae, statum aegri soporosum, citius certe lethalem, provocarent. Miramur hinc *Galli* medici, quondam summe conspicui, testimonium: quod nempe cum fascia, quam *Guidonis* vocant, in formam cucuphae concinnata, totum caput obvolvente, et quotidie renovata, quindecim dierum spatio, prolem recens in lucem editam, cui omne caput *cum magna suturarum dilatatione* tumebat, perfecte sanaverit. Saltem, non obstante suturarum hoc in casu dehiscentia, num aquae, capitis tumorem hic efficientes, *sub* dura matre magis, quam *supra* illam, et sub integumentis cranii, aut extra cavum istius, stagnaverint, dubitamus. A balneo vaporis capiti hydropico admisso, hunc morbum, ut *Angliae* chirurgus refert, disparuisse, nisi *externus* forsitan hydrops fuerit, non minus in dubio relinquimus; nec majorem aut vesicantia, aut fonticulus, aut setaceum, effectum promittunt. Si quae, sub morbi principio, tentari medicamina possint; in illa potissime, quae vires sustentent, et fluxum

urinarum promoveant, in corticis, rubiae tinctorum, glandium decoctum, cum sale alcalino, per acetum squilliticum saturato, spirituque salis dulci superaddito, vel aliquando in usum digitalis purpureae cum calomela, fiducia (quam nulla interim nobis experientia hic suggerit) saltem aliqua ponenda esse videtur.

Magnae vero quaestioni, *divi senis* effatum occasionem largitur, dicentis: „aqua, si in cerebro suborta fuerit, ita tamen, ut in adulto, secus sano, contingat, adhibitis medicamentis si non sanetur, *caput ad cerebrum ipsum perforandum est.*" Conjicimus autem ex istis, Virum hunc immortalem, quem jam adeo a *calculi sectione* abhorruisse notum est, ut discipulos jurejurando, ne talem unquam susciperent, adstrinxerit, non absque omni experientia, aut propria, aut aliena, tam distincte operationem, de qua agimus, praecepisse. Ac revera, posterioris aetatis *graeci* medici, ubi *sub calva* collectio aquarum facta esset, exspectabant, donec humor redundasset, et suturas magis dehiscere induxisset; quo in casu, locum istarum magis prominentem adperiebant. Fuit tamen inter illos, qui se neminem a capitis hydrope hujus ope

An capitis paracentesis?

auxilii liberatum vidisse fassus sit, qui manum hic adhibere chirurgicam recusaverit, licet chirurgi nonnulli, ut refert, terebratione circumcirca instituta, os calvariae eximere consueverint. Dubitare interim licebit, operationem talem chirurgicam, a viro summo commendatam, si funestum in omnibus eventum agnovisset, per non pauca saecula a pluribus hoc in malo impune continuari potuisse.

Quodsi tamen aliquorum hac in re ausus, tum a celebri de sedibus et causis morborum Scriptore, tum a magnis *Galliae* non minus, quam *Germaniae* medicis atque chirurgis recensitos, nec ideo hic loci repetendos, in examen revocamus; fateamur oportet, hos, capitis paracentesi vel minime favere; nec nisi unico exemplo, nobis quidem cognito, eoque nequidem satis certo, hanc ulli profuisse, constare. Rusticum nempe referunt, qui impatiens diuturni saevissimique doloris capitis, a sero inter cranium et duram meningem concluso, veterinarium coegit sibi sinciput perterebrare, unde seri copia exsiliente, prorsus convaluerit. *Boves* tamen ab hydrocephalo per sectionem sanari, forsitan audiverat ille rusticus; atque si ex-

terno tantum, ut vocant, hydrocephalo has bestias laborasse, sint, qui praetendant; *ovium* saltem *vertiginosarum* exemplo certiore constat: earum cranium, ubi *taenia vesiculari* eae adfectae sunt, satis tuto tricuspidis ope perforari, ac pristinae haec animalia saluti restitui.

Non quidem hoc bestiarum, cranio propter hydropem cum felici effectu perforatarum, exemplo, ut ex illo ad hominem argumentum transferamus, abutemur; quamvis nec in illis, ut ipso in homine, pro certo poni possit, num inter ossa cranii et duram meningem, num inter hanc et tenuem, num piam matrem inter et cerebrum, aquae restagnent. Sed nec hoc reticebimus: partem nempe criminationis adversus cranii humani paracentesin non minimam, ex ignota pridem cerebri, absque omni medullaris substantiae in liquamen aquosum resolutione, destructione, explicandi, evolvendi aptitudine venisse. Cum tanta vero visceris expansione morbosa, pars plurima functionum ejus plerumque diu manet intacta; et si aequalis foret in illo, contractionis, vel in se ipsum post aquas lente eductas redeundi potentia; ex hoc quidem argumento difficultas

haec paracentesi opposita, dum fasciae sub ipso aquarum moderato effluxu gradatim cir- ca caput constrictae supplere quodammodo possint, corrueret. Nec tricuspis extenso forsitan in vesicam cerebro admota, vulnus huic tam profundum, ac si convolutae in gy- ros medullae impulsa fuisset, inducit. Ac revera infans necdum quadrimestris, in quo, ob insignem hydrocephalum, celebris *Galliae* chirurgus paracentesin instituit, ac praefa- tam vesicam inscius compunxit, per quinque dies non modo vixit; sed aspectu bene se habuit, etsi tunc, aquis nempe noviter col- lectis, perierit. Sed ipse hic aquarum redi- tus tam facilis, cum causam hydrocephali paracentesis non tollat, magnum sane adver- sus istam argumentum est. Aliarum inte- rim punctio cavitatum hydrope laborantium, in quibus cohaesionis beneficium ex praevia inflammatione exspectari non potest, non minus ab hoc premitur; nec tamen ea, ob hanc rationem, in totum rejicitur. Timor magni quondam viri, ne unquam meninges recisae, tam laxae aut crassae, aut lacerae ad *cicatricem* perduci possent; si ad ea, quae in summis calvariae laesionibus natura saepe praestat, vix satis ubique fundatus esse vi-

detur. Felicior sane rerum status videri posset, ubi aquae, non profundius, quam sub cranio, aut crassa meninge haerentes, cerebri ipsius a ferro laesionem praevenirent. Atqui tamen et hoc in casu, cerebro a pondere liquidorum in exiguam saepe molem compresso, ne intima ejus structura labem, vitae ulteriori contrariam conceperit, verendum erit. Sic (ut in medicis *anglorum* commentariis refertur) hydrocephalus cum hiantibus suturis in tenero infante, ad locum, quo sinus laedi non poterat, cum lanceola apertus fuit. Exiguo e vulnusculo, cranio ambabus manibus compresso, decem aquae clarioris unciae effluxerunt. Cum fascia munito nunc capite, infans bene se habuit. Die tertia, aquarum libra una, — die vero sexta, unciae quatuordecim emissae fuerunt. Suturae nunc claudi, cranium consuetum ad volumen reduci, et infantis valetudo illaesa videbantur. Post mensem interim, capitis moles aucta, novam sibi incisionem exegit. Libra integra aquarum, — at post mensem, triginta duae unciae illarum, eductae fuerunt. Nunc vires infantis, hucusque intactae, collabi ceperunt, et decem post dies ille animam efflavit. Dissecta calvaria, cerebrum,

ut medicus se exprimit, consumptum (in minus modo volumen compressum?) fuit.

Sub tanta vero jam cerebri *extensione*, vel et *compressione*, nulla certe amplius recuperandae per operationem chirurgicam salutis spes adfulget; atque omne hic artis conamen audacius, celeriorem aegrorum interitum, et scientiae salutaris oprobrium post se traheret. Nec etenim cranium, ab aquis tam copiosis liberatum, ut abdomen a peracta paracentesi solet, se contrahit, aut ratione tam aequali constringi cum fascia potest; nec visceris tam mollis, et tam parum elastici, contractiuncula, ut idem pristinam in sedem satis firmum descendat, atque novae collectioni aquarum efficaciter resistat, sufficiet. Quare his provecti adeo jam mali in casibus, Recentiorum opinioni de proscribenda hydrocephali punctione lubenter subscribimus. Cum interim latex aquosus saepe non adeo in ipsis cerebri ventriculis, quam inter cranium ipsumque hoc viscus resideat; cum chronica hujus partis inundatio interdum non tam congenitam ad hydropem infantis dispositionem, quam violentiae externae, a partu laborioso, a lapsu, effectum localem, seu topicum sistat; si modo signa hujus differen-

fferentiae satis certa forent, ac si tanta nec-
dum aquarum moles cerebrum comprimeret,
quid in morbo alias semper lethali, *hippocra-
tico* praecepto contradiceret, non satis vide-
mus. Hoc saltem hucusque novimus: quod
ventriculorum cerebri hydrops, sub initio,
plerumque *unius* lateris, prae alio, sympto-
mata, eaque maxime ad faciem, ad oculos,
nares, *nervosa* producat; cum ab aquis, cal-
variam inter et cerebrum haerentibus, sutu-
rae citius dehiscant, aliquando adeo promi-
neant, ac nervosum systema, si forsitan so-
porem excipias, longe minus adfectum sit.
Orbitarum etiam descripta in hydrocephalo
constitutio, ossiumque parietalium convexi-
tas, ab hydrope *ventriculorum cerebri* citius,
quam a simplici aquarum *super cerebro* effu-
sione exspectanda videntur; quae singula
diagnosis, ulterius excolendae, momenta
chirurgorum expertorum, qui tanta jam feli-
ci cum successu in humani generis benefi-
cium ausi sunt, judicio committimus. Quod-
si vero unquam tam dubia suscipi posse vi-
deatur operatio: non omnis certe aqua simul
emittenda, sed iteratis modo vicibus, per ex-
gua et cribriformia cranii perforati ostiola

educenda, omnis vero aeris atmosphaerici accessio, qua potest, cura avertenda foret.

C. hydrocephali acuti.

Nisi omnia nos fallant (nec enim, sub tanta diagnosis ambiguitate, nostris adeo confidimus aut superbimus curationum exemplis) hydrocephalus iisdem, ac coeteri hydropes, legibus subjectus, nec aliis, quam quae istis opponuntur, artis praeceptis impugnandus est. Quemadmodum vero *cynanche laringea, peritonitis puerperarum*, nisi primis adgressionis momentis resistamus, vix non omne artis conamen eludunt: ita quoque hydrocephali lethalitas, signorum, quae primam aegri invasionem manifestent, aut silentio, aut indoli aequivocae, ac retardato sic auxilio, adscribenda est. Quousque vero inquirenti attentius medico natura respondet; morbum hic, universi systematis affectionem, atque nunc *energicam*, nunc autem *adynamicam*, inveniet.

Energici,

In primo igitur casu, si vegetum hucusque ac firmioris contextus infantem morbus, imprimis post causas excitantes, corripuerit; maxime sub facie rubra et accensa, oculis splendentibus, calore, dolore capitis intensis, pulsu arteriarum frequente, quidquam duro ac vibrante, ut nimium humorum ad

caput impulsum, congestionem ac stimulum fraenemus, aut venaesectio, aut saltem hirudines circa aures, vel tempora, collum, ponendae, alvus autem tum per cysteres, tum evacuante, blandiore tamen, cum medicina, imprimis ex calomela, rhabarbaro et magnesia, purganda est. Ne interim, ob *inflammatoriam*, ut vocant, indolem, morbum hunc tam saepe hypersthenicum esse credamus, observatio virorum clarorum, nec venaesectionem, nec hirudines adeo profuisse, quam aegris potius nocuisse, nos advertet. Emetica, nos, quod vomitus sub impetu, humorum, caput violentius appetentium, reditum ex isto nimis impediant, cum aliis, non facile praescribimus; ac fuit adeo, qui a magno vomitoriorum apud infantes abusu, frequentiorem nunc hydrocephali proventum derivaverit, conspicuus de morbis infantum Scriptor *Anglus*. Quemadmodum autem de *puerperarum peritonitide* quondam monuimus (§. 221.); ita et in acuto hydrocephalo, debilitantis occasio methodi promtissime, subintrante scilicet pulsuum lentore, sub secundo jam morbi stadio, aufugit; atque dum rarius medici, morbo infantem vix agrediente, in auxilium ducantur; haec ratio esse vide-

tur, cur excitans ipsis longe magis, quam deprimens medendi ratio conduxisse sit visa.

Asthenici. Tum hoc igitur in casu, tum in altero, mox a morbi principio manifeste satis *adynamico*, tum vesicantium, vel ad caput, ad nucham, dorsum, vel ad crura, et ubi abdominis simul dolor urget, ad hepatis regionem adplicandorum, tum mercurii, externe non minus, quam interne adhibiti, tum denique eorum, quae seri resorptionem et urinae secretionem magis promovent, utpote digitalis purpureae, terrae foliatae tartari, usus magis opportunus inventus fuit. Quamvis autem jam diu in *Germania* calomelem in hydrope propinaverint, et laudatus jam saepe *Genevensium* medicus hoc remedium, antequam aliorum cum hoc tentamina ad ipsum pervenissent, adhibuerit; *Anglis* nihilominus medicis eximii hujus remedii magis cognita nunc, hoc maxime in morbo, virtus debetur. Primum igitur, puero, calomelas granum unum semel vel et bis in die, ita quidem, ut illius, octo dierum spatio, viginti grana consumeret, porrectum, praeterea vero unguentum mercuriale fortissimum a drachma una ad scrupulos quatuor, lumbis atque cruribus, non sine insecuta post quadriduum sa-

livatione, illitum fuit. Mox utriusque dosis remedii, ab aliis aucta, atque novem annorum puero, calomelas quadraginta duo grana, unguenti vero fortioris mercurialis unciae tres et ultra, inunctae fuerunt. Sub majore vero mercurialium dosi, ita ut in puero necdum trienni, praeter drachmam dimidiam dicti unguenti, post quatuor horas repetito inuncti, eodem temporis intervallo quovis granum unum calomelas ingestum fuerit, saepe nullus in aegris ptyalismus exortus est; ex quo igitur, salivationem hoc in morbo ex mercurialibus (quod nervorum in eo stupori tribuerunt) nunc nullam, nunc tamen satis manifestam, excitari constat.

Quantacunque vero sit mercurii in hydrocephalo acuto utilitas; fatendum tamen est, eundem, non absque vesicantium adhibito simul usu administrari solitum, cum haec ultima, vel sola, aliquando morbum dispulerint, dubio, num ista magis profuerint, medentibus ansam dedisse. Nec reticendum est, non modo plura ex abusu hydrargyrii hoc in morbo infortunia, laudibus remedii haud parum huc usque detraxisse; sed multos etiam hydrocephalos nullum prorsus a mercurio effectum obtulisse. Infans

quem, hoc morbo laborare creditum, copioso usui mercurii subjecerant, nullum tamen, a morte, aquarum in cerebro vestigium exhibuit. In decem hydrocephali acuti casibus, mortem sat abundans usus mercurii adeo avertere non potuit: ut nequidem ptyalismum aegris excitaverit, utque morbos, quibus hoc remedium profuisse ab aliis relatum est, ab hydrocephalo prorsus alienos fuisse, sibi persuaserit recentior hoc de morbo Scriptor Anglus. Sine fructu se mercurium hoc in morbo adhibuisse, plures quoque ejusdem gentis, et alii celebres viri testantur.

Non tamen igitur virtutem hydrargyrii, quam in aliis hydropis speciebus, quarum nullatenus incerta est diagnosis, tam efficacem saepe reperimus, in hydrocephalo saltem aequalem non esse dicemus; sed in omni cerebri hydrope, sub quavis hujus indole, et quovis demum sub ejus stadio, tam anceps remedium laudari, hoc saltem, quemadmodum rationi consentaneum non est, ita experientiae nec quidquam respondet.

In asthenico igitur hydrocephalo, mercurius, non tamen ad dosin, quae teneros adhuc aegros nimis exstimulet, tentari utique me-

retur; et quod solus ille non potest; id, praeter vesicantia, juncta ipsi digitalis purpurea, — atque si nervosa urgeant symptomata, si vomitus, spasmus dolorque aegrum divexent, nunc opium, nunc moschus, flores zinci, aut et alcali volatile, serpentaria virginiana cum floribus arnicae, maxime autem vinum generosum, *hispanicum* praecipue, interdum praestabunt.

§. 760. Non minor in *hydrorrhachia curanda*, quam in dispellendo hydrocephalo, artis est inopia. Quos nempe vitae dies illa, sibi ipsi commissa, aegris, aerumnosos quidem, sed non tam paucos aliquando concederet; hos artis nimis sollicita conamina vix non semper celerius abrumpent. Etsi nempe pars longe maxima illorum, quos hic morbus a nativitate corripuit, nec secundum quidem vitae annum vel attingat, vel compleat; puella tamen duodecimum aetatis ad annum cum eodem pervenit; altera, ab utero spina bifida laborans, donec menstrua sibi erumperent, cum eodem superstes utcunque vixit. Juvenis, ut alia exempla supprimamus, cum simili tumore ad lumbos, licet ab incu- C. hydrorrhachiae.

nabulis pedum debilitate laborasset, vigesimum tamen annum complevit.

Quodsi nihilominus *acutae hydrorrhachiae*, extra uterum nascentis, nobis cognita magis esset diagnosis; non omnis forsitan, sub morbi principio, spes curationis deponenda, sed quae, duce experientia, in hydrocephalo acuto, licet pauca sint, consuluimus: ea hocce quoque in morbo tam affini, adhibenda forent; quemadmodum ille quoque hydrops, quem columnae vertebralis, ex injuriis externis, ex rheumate, podagra, morbis cutaneis praepostere suppressis, aliisque ex causis inductum incendium minatur, sub recta medendi methodo (§. 146.) imprimis vero a fonticulis utrimque ad columnae vertebralis latera positis, non parum auxilii admittit. Quam interim jam tumor descriptus manifestat, chronica et *dehiscens* hydrorrhachia, ea, si exitus animosae magis curationis tristissimos rimemur; sibi ipsi potius committenda, et cum illis modo artis cautae adminiculis, quae cutem jam nimis tenuem ac tensam ab injuriis externis defendant, ac ne promtius cum celeri vitae dispendio rumpatur, custodiant, sollicite pertractanda est. Ipse emplastrorum adstringentium usus, cum illa

cutem, a qua saepius detrahenda sunt, spurcitie inquinent, ac facile vel inflamment, vel teneram nimis laedant, non satis tutus, et solum illis molle gossypium superimponendum est. Prudens igitur viri bene meriti consilium fuit: qui, cum tumor ad spinam tam magnus, omne auxilium respueret; quotidie autem, vi ponderis aucti, summas proli molestias crearet; illum ipsum cum fascia, circa ventrem ac super humeros deducta, laxe suffulsit, nec non sellam parari curavit, in cujus parte posteriore ac dorso sustentando dicata, spatium excavatum, tumori suscipiendo idoneum, mollique pulvinari circumcirca munitum fuit; quo demum artis subsidio, ut puer absque magno incommodo et sedere, et somnum capere, et tempus ludendo terere potuerit, obtinuit.

Dum vero hydrorrhachiae dehiscentis tumores, vel adhuc exiguos, a compressione auxilium forsitan admisuros esse sperarent; vel eosdem, jam plurimum auctos, sub quacunque demum cautione, plerumque tandem dirumpi, vel adeo imperitis ab hominibus rudi manu audacter aperiri, ac sero, nunc pellucido ac flavo, nunc subcruento, nunc vero puriformi, aut etiam ichoroso, cum impetu

depleri, — mox vero ab istis, convulsiones, vomitus, animi deliquia mortemque ipsam, nunc promtam, nunc paulo tardiorem, subsequi conspicerent; num forsitan experta magis manus vel patentes obturare vertebras, vel saccum, ex illis dehiscentibus prominentem cum filis circumductis constringere, exstirpare, vel setaceo transversim inducto lente deplere, atque excitatae abhinc inflammationis ope, parietum illius inter se concretionem obtinere, vel demum simplici sectione, suppurationis beneficio, ad sanationem perducere valeret, cogitatum fuit.

An compressio? Ad *compressionem* quod spectat, eam quidem, ex chirurgi experti relatione, ope linteorum quadruplicatorum, liquore spirituoso imbutorum et gradatim sibi cum fascia superimpositorum, integram hydrorrhachiae dehiscentis sanationem promovisse, legimus. Quamvis autem externa compressio, in vertebrae dehiscentis labia minus, quam in cutem his superimpositam, actura videatur; ossificationis tamen, quae vacuum hoc sensim sensimque adimpleat, spes tardioris, et *herniarum cerebri*, quarum genesis, ab ea hydrorrhachiae dehiscentis vix differt, compressionis ope aliquando sanatarum exempla

(§. 758.), hoc genus auxilii, caute tamen, ne medulla spinalis, aut vero caudae filamenta nervosa equinae, tumore hoc forsitan comprehensa, simul comprimantur, adhibendum, sub nascentis hujus mali primordiis, haud neglectis interea internis remediis, non prorsus rejiciendum esse, nobis persuademus.

An ligatura?

Tumor ex vertebris dehiscentibus assurgens, plerumque spatium, cui filus apte applicetur, vel prorsus nullum, — vel basin nimis latam, et quae, fortius quidquam constricta, praemature discindi posset, huic offert. Quodsi vero medullae portio spinalis, quod praesciri haud potest, ligato huic tumori innataret, quam lethalis haec ejusdem constrictio foret, vel sponte apparet. Infelix hinc operationis exitus fuit, dum *batavus* chirurgus tumorem infantis ad lumbos, rapae forma inductum, et angustiore pediculo innixum, filo circumducto constrictum rescinderet; et magni Viri *Germani* sub manibus infaustus fuit, qui ligando ejusmodi tumorem pellucidum, aquosum, a tenui radice ad infantis quadrimestris ultimam lumborum primamque ossis sacri vertebram haerentem, duarum spatio hebdomadum eundem abstulit

quidem; sed mortem prolis, mox a tumore ablato insecutam, impedire non potuit. Quemadmodum vero, qui non nisi saccum herniae communis ligaret, is sanationem istius constantem nec unquam attingeret: ita quoque simplex, discrimine tam plena, tumoris in hydrorrhachia constrictio, exstirpatio, vertebrarum nisi dehiscentia simul ablata, ad curationem mali ne hilum quidem contribueret.

An setaceum?

Hoc idem vero argumentum, *setacei*, in hydrorrhachiae dehiscentis tumore dissipando, usui adversari nobis videtur. Quamvis scilicet filorum, huic tumori commissus funiculus, non modo foramina huic ipsi inflicta, ita, ne aquae citius, quam guttatim distillent, paene oppleat; sed simul inflammationem, qua internae tumoris superficies ad mutuam cohaesionem invitentur, inducat; contententae tamen forsitan in illo medullae spinalis a setaceo contactus, aut laesio, convulsionis ab isto epilepticae, ac facile lethalis metum, non injustum sane, nobis incutit; nec, ut vix monuimus, vertebrarum dehiscentium abinde obtinebitur, necessaria tamen ad sanationem, obturatio. Setacei, a

umoris modo lateribus positi, inutilitas, gregii Viri testimonio evicta est.

Quae fata miseros, quorum tumor e columna vertebrali hydropica promergens, vel sponte tandem rumpitur, vel cultro adperitur, exspectent, jam diximus; nec tamen paucos felicioris sortis eventus suppressimus (§§ 738. 752.). Si certa foret *cellulosae* hydrorrhachiae, ab illa, quam *vaginalem*, nominavimus, distinctio; illam minori cum vitae discrimine, quam istam, pertundi posse crederemus; sed nullam symptomatum in utraque differentiam indicare valentes, ne morti, sectione chirurgica vix non semper secutae, occasionem dedisse videamur, ut ab a prorsus abstineatur, nos quoque consumus. An sectio?

§. 761. *Hydrothoracis* curandi ratio, ex causarum indole diversa (§. 749.), et ex praeceptis generalibus, supra (§. 757.) expositis, haurienda est. Rarissime hoc sub morbo, non obstante pulsuum in eo, frequente satis, plenitudine, tensione, vires in eo praedominant, ut in illo (si peripneumoniam energicam aliquando excipias) venaesectio indicetur, aut fortior aquarum per C. hydrothoracis.

alvum evacuatio aegris sit proficua. Magnum quidem hi, a cruore emisso, levamen utique percipiunt; sed, quod nimis saepe vidimus, post horas non multas, pectoris augentur plurimum angustiae, ac pede hydrops celeriore decurrit. Tutior vero in hoc, asthenico plerumque morbo ad salutem via, in usu diureticorum quaerenda est; nec eorum hic aut numerum, aut varios agendi modos repetimus. Remedium a *Seckingensi* quondam medico his in casibus praescribi solitum, quod primum, ut nimis compositum, rejecimus, et quod ex roob sambuci, ebuli, juniperi ana drachmis sex, ex pulveris scillae compositi, radicis bryoniae, extracti elaterii ana scrupulo uno, vel drachma dimidia, et ex theriacae Andromachi drachma una constabat, — cum syrupo rosarum solutivo in electuarii formam redactum, ter in die ad castaneae magnitudinem, cum decocti radicum adperientium unciis tribus porrectum, sub copiosa urinae excretione, aegris pluribus hydrothorace gravissime detentis profuisse conspeximus. Non raro gummi ammoniacum, ad drachmas duas, in liquore terrae foliatae tartari solutum, cum aquae petrosellini et juniperi ana uncis tribus cum

dimidia, praeterea vero cum pulpae squillae marinae recentis granis viginti, naphthae vitrioli drachma dimidia, et syrupi cinnamomi uncia una, — omni bihorio ad cochleare unum vel alterum porrectum, nisi alvum nimis sollicitaverit, nostris solamen aegris attulit. Plures interim ex illis, digitalis purpurea, quam ullum aliud remedium, ex hydrothorace apud nos restituit. *Vindobonae*, octo abhinc annis, ad virum conspicuum septuaginta octo annorum in consilium vocati, faciem pallidam, tumidulam in illo, cum orthopnoea, tussi, jactatione corporis, crurum praeterea oedemate, urinas parcissimas, turbidas, pulsus intermittentes, parvos, inordinatos, extremitates frigidas, observavimus. Sub rerum positione tam flebili, fomenta sicca et calida duoque emplastra vesicantia cruribus admoveri, camphoram omni bihorio ad granum unum sumi, infusum iuniperi pro potu, illud vero digitalis purpureae pro medicina exhiberi, eo cum successu, ut urinis ac ipso sudore largiter fluentibus, perfectam, et quatuor adhuc ad annos extensam sanitatem aeger recuperaverit, proposuimus. Radicis polygalae Senekae decoctum, vel et Kermetem mineralem, ut re-

media hoc in morbo ab aliis laudata, quod vomitum facile aut alvum nimis haec moveant, raro praescripsimus. Si pulmonum parenchyma ab aquis infarctum supponi possit; calomelas cum pulvere squillae et camphora commendari meretur. Vesicantia pedibus admota, praeprimis ubi oedemate ex istis disperso, pectoris angustia subito increvit, haud raro hanc imminuunt.

Paracentesis pectoris. Quodsi firmum satis aggerem ars medica morbo continuo crescenti opponere nesciat; ad auxilium chirurgicum, sive *pectoris* ad *paracentesin*, etsi haec illius causam minus tollet, quam inducias adferat, ne tandem suffocatus aeger succumbat, sat promte recurrendum est. Plures interim hoc genus auxilii nostris temporibus commendant; paucissimi, tum aegrorum, tum adfinium ab illo horrore permoti, exsequuntur. Atqui tamen, si plures aegri aut mox ab instituta paracentesi thoracis, aut pauco post eam tempore, morbo, quod negari non potest, nihilominus succubuerint: vel quod tarde nimis suscepta fuerit operatio, vel quod pulmonum, praecordiorum vitium aliud simul subfuerit; aut quod aeris influxus atmosphaerici non satis aversus fuerit; felicis tamen a paracentesi even-

eventus exempla, nequaquam desunt; nec est, cur cultrum aut acum tricuspidem chirurgi, tot vulnerum, thoracem, ex utraque adeo parte penetrantium, feliciter tamen sanatorum, exemplo admonitus, lethalem esse pronuncies. Si bene constitutos coeterum sanosque apud homines hanc facilius, quam apud aegros, succedere, urgeas; concedimus id quidem; nec tamen, si mortem certam cum ancipiti quidem, sed ob se ipsam haud lethali, auxilio conferas: hoc ipsum, in casu, quo nec cordis, nec vasorum majorum, nec pulmonum labes organica prudenter supponi potest, rejiciendum est. Majoris res momenti quae paracentesi refragari quodammodo possit, *diagnosis*, quam ultro fassi sumus, et fontis, unde hydrothorax scaturiat, *incertitudo* est, — et virorum gravissimorum, in illa tamen hallucinatorum, aut concretionis etiam pulmonum cum pleura incidenda, exempla sunt. Saepe interim tanta de vera morbi indole nos dubia non amplius premunt; haud raro etiam vera hydrothoracis origo non tam obscura est; et si viros in artis exercitio peritos hac in re aliquando a vero aberrasse fatendum; — ex altera parte, id magis ex eo, quod *uni* magis

phaenomeno, quam quod *singulis*, generali artis praecepto fideles, confisi sint, venisse, dicendum est. Ad pulmonis cum pleura, non infrequentem sane, cohaesionem quod pertinet: minus longe ista, nisi pectoris morbi alii, imprimis acuti, inflammatorii, hydrothoracem praecesserint, timenda est; atque si *culter*, in suscipienda paracentesi, *acui tricuspidi*, rudiori ac infidae satis actionis instrumento, praeferatur: non profundius ille, quam explorator chirurgi digitus, incisis prius cute, musculis intercostalibus, et pleura, sine damno fieri posse indicabit, adigetur. In quantum pulmo cum pleura, quod interim praesciri haud potest, non cohaeret: illius laesio, ob aquas intermedias, a tricuspide timeri non potest. Cum pulmonem ab aquis diutius compactum, inertem, s promptius incumbente fluidorum a massa li beretur, a vicino cordis torrente nimis obru timendum, et omnis subitanea depletio ae grorum debilitati adversa sit; maxime ver cum thorax, ad modum abdominis, sub e fluxu aquarum gradatim constringi hau queat; melius est, istas, non una vice, se minore copia, paulatim educi.

Si frequentior inter nos paracentesis th

racis foret, multos sane, quos hydrops pectoris acutus suffocavit, servari potuisse et nos credimus. Saepe scilicet in pneumoniis, sub meliore de exitu morbi, jam plurimum infracti, augurio, inexspectato dyspnoeam insigni prorsus modo augeri, in brachio lateris adfecti stuporem manusque oedema oriri, pulsum verum hinc inde intermittere observavimus; quo in casu, vix non semper, sub inflammatione pulmonum non amplius tam magna et jamjam fere devicta, insignem aquarum copiam in cavo thoracis collectam, ut solam mortis praecipitanter inductae causam, reperimus. Similis fere, sed felicioris eventus, casus celeberrimi quondam *Gallorum* archiatri observatio fuit, dicentis: Equarius curator regius curatus fuerat a pleuritide; sequebatur respirationis tanta oppressio, ut nonnisi sedens potuerit animam ducere et ut vix quatuor horas supervicturus videretur. In tanto periculo pectus adperire non dubitavimus. Effluebant sex pintae quae clarae et flavae, quae per aliquot dies fluere continuabat. Post mensem demum integre curatus erat aeger, ut regem ipsum in venationibus institutis ultra duos annos sequi potuerit." Nec minor fuit viri juvenis

felicitas, cui, ob hydrothoracem ex morbillis reliquum, celebris ejusdem gentis chirurgus paracentesin, eodem in pectoris sinistri loco, bis instituit, ac prima quidem vice, sex, — altera vero quinque pintas aquarum extraxit.

Sed nec in chronico thoracis hydrope felix rerum eventus, ut acta *Galliae* Academica ostendunt, defuit apud foeminam: cui, ab ascite simul et pectoris hydrope detentae, cum pulsus, sub insigni orthopnoea, jam exiles et inaequales essent, paracentesis primum ad abdomen, deinde ad thoracem instituta, sanitatem tam firmam, ut post mensem solitis muneribus satisfecerit, restituit. Vulneri, cum scalpello primum thoraci inflicto, dein cannula per istud inter costas introducto, *Rostochiensis* quondam egregius chirurgus hydrothoracem perfecte sanavit.

Ne interim levioris rem momenti thoracis paracentesin esse credamus, plura curationis per illam non obtentae, ac mortis adeo, ut supra jam monuimus, per illam acceleratae, exempla nos advertunt. Quare celebris quondam *Galliae* chirurgus pectoris paracentesin, ut rationi non minus, quam experientiae contrariam, quod certe nimium est,

prorsus rejecit. Bene meritus de historia hepatica Scriptor *Italicus*, sanationem juvenis, pectore hydropici, illius auxilio obtinuit quidem; simul vero fassus est, se, ut similem operationem de novo susciperet, induci non posse. Duas in hydrothorace paracenteses celebris *Angliae* medicus instituit; sed, excepto, quod vitam eae per sex hebdomades protraxerint, evidenter aer pectori admissus aegris nocuit; ac in uno ex istis, cujus pulsus centum et triginta ictus in primo minuto habebant, hoc ipso, ad mortem usque, ad septuaginta reduxit. Nec meliorem eventum paracentesis thoracis, ab eximio quondam *Viennensium* chirurgo suscepta, agnovit.

Qua ratione, et quo demum loco, paracentesis in hydrothorace legitimo suscipienda sit, docet chirurgia. In cystico, *saccato*, nec tamen ullis ex signis praevie dignoscendo, ejusdem cavi hydrope, punctio parum utilitatis, — nisi vero saccus, quo loco pungitur, cum pleura cohaeserit; effusis, canulla extracta, in cavum pectoris aquis, multum noxae inferret. *Pericardii hydropici perforatio*, jam diu quidem proposita, postea vero, quo tutius perageretur, attentius praescripta, a nemine tamen hucusque, quod

quidem sciamus, absoluta fuit. Nec certe cognita hujus visceris nobilissimi in positione ac motibus suis inconstantia, aut morbosa forsitan ejusdem, praeter pericardii hydropem, constitutio, aut ipsa demum incertitudo diagnosis, ad tantos quemquam ausus invitabit. *Ossis sterni* ob hydropem mediastini anterioris *perterebratio*, jam antiquitus, ac nostris etiam temporibus, puris sub eo latentis educendi ratione feliciter celebrata, si modo signa haerentes sub illo aquas satis certa indicarent, reformidanda non foret.

Cura ascitidis.

§. 762. Hydropis in genere curandi praeceptis (§. 757.), *ascitidi* adplicitis, si mentionem de *paracentesi abdominis* faciendam excipias, nihil fere hic addendum habemus. Magni quondam *Anglorum* medici consilio, ut in ascite grandiore, ac ubi ingens fluidorum copia in ventre stagnaret, aquas per vomitum ejiceremus, ob suspectam et vasorum et viscerum hoc sub statu conditionem, obsequi, etsi nos aliqua melioris ab *emeticis* effectus exempla non lateant, nunquam, quod supra jam monuimus, sumus ausi; et si quae ex diureticis potentioribus, nobis invitis, vomitum movissent: hunc nulli ascitico

proficuum fuisse, observare potuimus. Nullibi vero in hydrope, excepto hydrocephalo, tam frequens, quam in *ascite*, dolor, et spasmodica viscerum ab aquis obsessorum adfectio, — atque si talia in malo asthenico, sine febre aut partium incendio, occurrant, nullibi forsitan *opii*, vel solius, vel cum aliis combinati, cum fructu propinandi, melior, nec antiquis ignota medicis, occasio est. Post inutilem jam abdominis paracentesin, asciten, magnis doloribus duabus in mulieribus stipatum, opium perfecte sanavit; multisque aliis, sensibilioris conditionis ascitis, laudani liquidi dosis hinc inde concessa, vel diureticis, excitantibus, admista, profuit. Quocunque vero hic medicamine utamur, ut antiqui Scriptoris *Romani* verbis utamur, „commodum est lino quotidie ventrem metiri, et, qua comprehendit alvum, notam imponere, posteroque die videre, plenius corpus sit, an extenuetur; id enim quod extenuatur, medicinam sentit. Neque alienum est, metiri et potionem ejus et urinam; nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundae valetudinis spes est."

Paracentesis.

Hydropicis aliquando venter, quousque potuit, ab aquis extensus, vel sponte ad um-

bilicum diruptus, et illarum parte maxima exinanitus fuit. Hydrops ita dispulsus, perraro, — aliquibus tamen aegris, non rediit. Ad hujus imitationem processus, ars primum, ut videtur, umbilicum, — tandem vero aliam, quam major experientia opportuniorem esse docuit, abdominis regionem, eundem in finem, perfodit. Cum vero tam raro aegris conferebat punctio: semper ea, donec aliter jussisset instans horum suffocatio, dilata fuit. Non mirabimur inde, si utriusque, tum spontaneae, tum artificialis operationis aequalis fere sors fuit atque conditio; vel si inter sexcentas circiter paracenteses abdominis, nobis suadentibus tandem admissas, eae modo quinque vel sex aegris opem tulerint. Cum vero „emissum humorem non sanare, sed medicinae locum facere, quam intus inclusus impedit;" veteribus sit dictum; etiamsi plerumque id verum esse credamus; foeminae tamen *Ticinensis*, triginta circiter annos numerantis, exemplum contrarium habuimus. Cum etenim hanc, tabe jam ac febre confectam, difficilime respirantem et summe anxiam, tantos simul abdominis, insignem in modum ab aquis extensi, dolores accusare, ut, nisi op-

ata sibi ventris punctio concedi vellet, hunc sibi ipsi cum cultro se adperturam esse, audiverimus; ne saltem desideratum tam anxie vitae brevioris solatium deesset; paracentesin institui concessimus: qua feliciter instituta, foemina haec, ad coetera rebellis, absque omni alia, qualicunque demum medicina, sub insigni urinarum evacuatione, ab hydrope in integrum, et ad pristinam corporis elegantiam, restituta fuit.

Non interim ex raro contingentibus indicatio haurienda est; atque si urinas ab instituta paracentesi copiosius in asciticis secretas sat saepe conspexerimus; vidimus etiam quamplurimos, in quibus ab illa, nihil in urinis mutatum fuit. Veteribus quibusdam, illum hydropem vix non omnem a *jecinore* adfecto derivassent: vel ob id solum paracentesis displicuit. Ac revera, dum vel hujus, vel alterius visceris conspicua obstructio, scirrhus, aut ulcera subsunt: ventris punctio mortem, quam avertere contendit, plerumque promovere observatur. Est interim, ut diximus, ubi ventris tensio et spiritus angustia in ascite tam intolerabiles aegrum premant: ut spe nulla ad sanationem reliqua, paucorum modo dierum ab illis non caro nimis

pretio paracentesis ope ematur immunitas. Quotiescunque vero ad ipsam hydropis sanationem punctione simul uti intendimus; mature satis illam institui oportet; et ubi ventrem, aquis necdum adeo extensum, acui tricuspidi magis resistere, aut viscera abdominis, ob intermediarum aquarum defectum, facilius ab illa laedi posse certum est; cum lanceola abdomen incidi potius, quam cum acu perfodiri, conveniet. Semper enim vetustum quidem, sed rude nimis ac imperfectum satis chirurgiae instrumentum esse nobis visa est *acus triquetra*: qua semel, necessario cum impetu, cavo alicui impacta, si forsitan internae hujus superficiei viscus morbose adhaeserit, vel aliquid, ne partes internae per aquas ab ista recedere possint, impediat; nihil est, quod illas ipsas intrusae acus ab apice satis defendat. Accedit et istud: quod aquae hydropicorum densiores, glutinosae, aut filis, pseudomembranis remistae, angustam per canulam saepius, nisi istis atque ipso omento, per specillum introductum, cum facili hujus laesione, repulsis, quacunque demum sub corporis positione, transire recusent; cum, e contrario, vulnus abdominis paulo amplius, quin incisionis

hujus majus sit periculum, aut quin aeris copiosioris accessionem illud promoveat, aquarum, qualiscunque earum conditio sit, egressum concedat. Quamvis autem ad laesionem vasorum epigastricorum, imprimis ramorum venosorum, sub extensa ventris cute non parum varicosorum, et ad haemorrhagiam ex istis evitandam, locum cristae ossis ilei anteriori et umbilico intermedium, atque latus abdominis, in quo nullus tumor visceris id impediret, aut sinistrum, aut dextrum perfodiendum prudenter adsignaverint; vidimus tamen, expertissimi alias chirurgi sub manu in principis *poloni* filia ascitica, acum tricuspidem, non adeo ad vasa epigastrica, quam, cum viscera partim peritonaeo adhaesissent, ad interna, aberrasse, et sub insigni cruoris in abdomen effusione et insecuto mox coagulo, virginem hanc, sub lipothymiis, et extremis sub angustiis, doloribus, pauco temporis intervallo animam efflasse. Est interim, ubi absque praevia vasorum laesione a ferro inducta, nunc aqua sanguine inducta, nunc sanguis sincerus fluidusque per canulam tricuspidis, signo plerumque, non tamen, ut vidimus, semper tam promte, lethali, prorumpat. Aliquando

autem sanguis in abdomine collectus, ex varice, aneurysmate, jam ante paracentesin diruptis, venit; atque tunc etiam mortis, hanc insequentis, culpam chirurgus non habet. Sic post typhum, abdomen viri tam celeriter intumuit, ut jam die decima paracentesin medicus instituerit. Aquarum interim loco, sanguis sincerus, cum aegri morte, eductus fuit. Sectio vero cadaveris docuit: cruorem ex *vasis splenicis diruptis* venisse, quae vasa forsitan ex lapsu, ante duos annos perpesso, cum dolor nunquam cessasset, labem conceperant. Nos ipsi puellulam triennem quondam secuimus, ex vitrici violentia subitanea morte abreptam, in cujus abdomine copiosus sanguis, ex *hepate rupto* effusus, nobis se obtulit.

Qui dolium, omni, quod continet, vino exhaurire contendunt: illi, non ad mediam, sed infimam sui ad partem illud perforandum esse norunt. Non absimili ratione, qui ventrem medium pertundit, aquas ille in pelvi, quae constringi non potest, stagnantes, plerumque turbidas, crassiores atque sedimentosas, intactas in ista relinquit. Qui parum aut nihil ex non magna liquidi hic locorum restitantis copia in ascite timendum esse in-

cerunt; his, a fine, quo ventrem aquae depromendae gratia, perfodimus, ex parte aberrari tamen, et puriformem, quae in illis subsidet, materiam, ad intestinorum inter se et cum partibus vicinis concretiones, semper homini molestas, ansam dare posse replicabimus. Hinc diu, aquas, in sexu sequiore aliam per viam, et quidem per *vaginam* educi, publice proposuimus. Antequam vero hoc ad nos jam pervenisset, experimentum ab *Angliae* medicis conspicuis, tardius vero a quibusdam *germanis*, institutum, et vagina muliebris, dum partialis *prolapsus* eandem inter labia pudendi a fluido contento, per compressionem disparente, post illam redeunte, turgentem, depressisset, tum lanceolae ope, quam sectionem sanguinis sat multum secutum est, tum vero cum acu tricuspide, absque cruoris, nisi pauci, jactura, ad centrum sui, eo cum successu perfossa fuit: ut omnis aqua ex abdomine quantocyus effluxerit. Rete autem venosum, quod vaginae latera exornat, justam, ne huic loco vulnus infligatur, cautionem chirurgo imponit.

Quacunque vero ratione instituatur paracentesis, aqua vix educta, alia plerumque,

potum et liquida, ore assumta, longe superans, iterum iterumque, et quidem quo saepius detracta fuit, eo citius, in cavum abdominis repullulat; unde factum est, ut eadem operatio crebrius iisdem in aegris institui debuerit. Sic vidua, referente celebri de praeceptis monitisque medicis Scriptore, a quinquagesimo primo aetatis anno ascitica facta, per quinque abhinc annorum spatium sexagesies sexies paracentesin passa est, et mille nongenta viginti librae aquae ex abdomine profluxerant, prolongata sic per plures annos vita et simul imminuto vitae taedio: ut eductis aquis, alacris non tantum amicorum consortiis, sed exercitationibus, imo et choraeis se oblectare potuerit. Fatemur, nos hydropem hunc, saccatum potius, vel etiam ovarii aut et peritonaei hydropem fuisse, nobis videri; nimis interim repetendae multoties in asciticis punctionis necessitas jam nota est, quam ut vel nostras, vel alienas, quae hanc rem ultro demonstrent, observationes hic adcumulari oporteat. Ut vero tam promtam aquarum renovationem praevenirent, fuerunt, qui, absoluta paracentesi, adstringentia abdomini decocta injecerint. Sed praeter quod, aquis extractis, intestina

arum mox in locum subintrent, et factae
njectionis distributionem impediant; falsae
rorsus theoriae innixum hocce consilium,
inistros potius, quam beneficos effectus pro-
uxit. Nec multam nos, sub humorum in
avo abdominis stagnantium densitate ab in-
ecta tepida exspectandum esse censemus.

Etsi vero tam facilis, ab aquarum emis-
ione, earundem recursus sit; nisi ipsa pa-
acentesis curationem aliter secundet; aegro-
um saltem per illam levamen, ac ulterioris
uxilii ferendi occasionem nanciscimur.

Num aquae simul omnes, num vero par-
itis vicibus educendae sint, disputatum fuit.
Jtramque nos viam inivimus; plerumque ta-
nen, nisi summa jam debilitas vetaret,
quas simul ac semel omnes depromsimus.
lures certe, quibus major aquarum copia
no ductu extracta fuit, in grave animi de-
quium incidisse conspecti sunt, nec tantam
umorum jacturam subitaneam aegri, nisi
enter, qua ratione hi effluunt, sensim sen-
imque aequali ratione constringatur, abs-
ue vitae discrimine perferunt. Hac autem
onditione per fasciam opportunam adimple-
a, nihil ultro, nisi vires jam prorsus ex-
austae sint, timendum est. Vino interim

jusculo carnium haec in talibus sustentandae sunt. Virum asciticum tractavimus, qui per sex hebdomades canulam, per quam aquae jam plurimae effluxerant, in vulnere relinquéns, per omne hoc tempus copiosos humores hac via excernere continuavit. Non quidem ille a morbo superstes fuit; sed neque aeris admissio, si quis ventrem, nunquam vacuum, adire potuerit, huic nocuisse conspecta est.

C. A. saccati. Si opus tam arduum sit, asciten *abdominalem* persanare; quid in hydrope *saccato*, et in *peritonaei* illo supersit auxilii, et quam parum in his ab arte sperandum sit, facile intelligitur. Nulla scilicet resorptio, ob defectum vasorum huic operi praefixorum, hic locum habet; nec ulla in partes vitali potentia vix non non destitutas, remediorum est actio. Per tussin, sternutationem, aliisque modis, tumores cystici pulmonum rumpuntur aliquando, et humore, quem continent per tracheam liberantur; excepto vero hydrope ventriculi, intestinorum rariore (§. 743.), si cystis, vel saccus in abdomen rumpatur, maxima liquidi in illis hucusque placide stagnantis, saepe jam corrupti, hoc in cavum longe sensibilius depletur, ac turbas ma-

majores hic excitat. Quo hoc infortunium praevenirent, vel etiam per diagnosis errorem decepti, hos tumores saccatos paracentesi aliquando subjecerunt chirurgi. Quodsi tunc illi vicino cum peritonaeo satis, ne, retracta canula, in abdominis cavum humores demitterent, concreti fuissent: levamen quidem aegris momentaneum exinde concessum fuit; mox vero recrudescente longe citius aquarum copia, saepius perfossus tumor, alienam saepe indolem assumsit; et cum serosi pridem et insontes fere humores in illo secreti, praeter gravitatem, et partium vicinarum compressionem, vix aliud incommodum aegris creassent; acrioris nunc materiae scaturiginem, stimulatus, tumor adpetit, ac, citiorem in aegri perniciem, vel ipse gangraenosus emoritur; aut vicinas partes maligne aggressus, ac febre lenta, depascente comitatus, omne nunc systema funestum in consensum rapit. Frequenter etiam tumores cystici, imprimis vero ille, quem peritonaei hydrops inducit, saccus, non uno contenti cavo, in plura loculamenta divisi sunt ita, ut modo uno ex his inciso, reliquorum etiam taediosa, ac saepe aegris ob

longam suppurationem funesta, curatio superſit.

Sunt igitur multi, qui his rationibus permoti, hydropem *cysticum*, *saccatum*, nec remediis, nec ferro subjiciendum esse putent; nec minus certe hydrops, quem *hydatides* constituunt, hac de opinione participat. Etsi vero in genere hoc verum sit de hydrope topico vix unquam tangendo judicium; de *peritonaei* tamen illo, nisi jam peramplo, vel saccis nodosis, scirrhosis, aut quasi callosis incluso, cum incisionibus, saepe pluribus, vel per setacea, ac tandem per compressionem aequalem sanato, exempla quaedam exstant; ac interdum instans aegrorum suffocatio, ut ad paracentesin vel in isto, vel profundiore etiam in abdominis hydrope saccato, modo satis de tumoris cum peritonaeo cohaesione simus securi, non celato aut aegris ipsis, aut eorum adfinibus periculo, veniamus, nos cogit. Si, monente celebri *Parisiensium* medico, post abdominis paracentesin absolutam, tumor circa umbilici regionem plus minusque mollis superesset: eadem operatio in ipso elevationis puncto, ne aut ipso in *omento* aquae remaneant, aut, hac parte ab aquis abdomine eductis non amplius suffulta, hujus membra-

nae diruptae fluidum contentum in ventris
avum emittant, repetenda foret. Hoc in-
erim consilium solo iterum in casu, quo epi-
loon cum peritonaeo concretum esse dubium
on superest, profuturum esse credimus.

Evacuatis vel ab ipsa natura, vel cum re-
nediis, vel demum ope paracentesis, abdo-
ninis aquis, partium ab istis diu nimis ex-
ensarum robur, ne subitanea forsitan deple-
o, et ne humorum in vasa relaxata concur-
us praeceps et stagnatio aegris noceant, per
ascias, frictiones, aromaticas, spirituosas,
er victum facile nutrientem, et per interna
nedicamina, diureticis sat diu remista, re-
tituendum est. Non raro ab aquis eductis,
nxietas et, sicut a partu celeriter absoluto,
atus, borborygmi, tormina et spasmi ori-
ntur; quae opposita his remedia volatilia,
: aqua menthae piperitae, cinnamomi, tin-
ura castorei, naphtha vitrioli, praesertim
rro cum opio juncta, sibi exposcunt.

§. 763. *Hydrometrae*, sicut causae inter Cura hydrometrae.
differunt (§. 749.), ita ratio medendi di-
rsa est. Communior nunc sexui sequiori,
erius in multis, quam priscis temporibus
venti, sub utero cruento incuria, et vesti-

mentorum, quae muliebria a frigore satis defendant, inopia, nisi his positio visceris proliferi declivis, ac periodica ejusdem relaxatio, patefactio, saepius mederentur, frequentius certe, sicut menstrui cruoris, ita humoris serosi ex uteri superficie irritata morbose prostillantis, evidentem magis retentionem producerent. Multa vero hoc menstrui, lochiorum, copiosius quidquam redeuntium, aut molae, abortus sub titulo, quae seri quoque in uteris collectionem sat notabilem comprehendunt, medicorum cognitionem vix unquam attingunt. Quoties interim vel cruoris aut lymphae a coagulo, vel a placentae portione in utero haerente, vel a spasmis hujus ostium constantius occluditur, uterique moles, absque novae impraegnationis suspicione, augetur: tunc utique medicinam ferri desiderant; sed obstaculo abacto, quid demum uterus excreverit; raro satis elucet. Quidquid interim morbosi retentum sit in utero; modo causa retentionis sit cognita: aequalis hunc reserandi ubique erit indicatio. Hinc fundator medicinae, hocce sub statu, „multa calida (mulierem) lavari, et si dolor (uterum) habuerit, tepefactoria adhiberi, mollibus etiam ad somnum uti," consuluit;

nec recentior aetas, quo grumos sanguinis, lymphaeque coagula solveret, vel oris uterini spasmodicas contractiones sedaret, thermis, semicupiis tepidis, injectionibus ad vaginam, vaporibus, suffimigiis blandis ad ostium uterinum directis, meliora novit. Quodsi hisce morbum subsidiis reluctari observassent; quo uteri simul actionem, nixusque salutares in opposita obstacula excitarent, Veteres vomitorium propinari, aut pharmacum infra purgans hauriri, vaginae vero pessaria stimulantia diutius adponi, crethmi cortice, poeoniae granis, fructibus sambuci, allio tam crudo, quam cocto uti, obsoniis marinis, prae carnibus, vesci, tandem vero et virum admitti, suaserunt. *Pessariorum* quidem usus, nostra aetate, ad solas vaginae uterique prolapsus mechanice cohibendos restringitur, medicinalis vero naturae pessaria, ratiocinii forsitan et falsi decoris jussu magis, quam solidae auctoritate experientiae, omnem extra usum esse posita dolemus; atque dum acriora Veterum, ex cantharide adprobare nequimus; mitioris saltem stimuli, ex assa foetida, myrrha, castoreo, ipsoque opio, pessaria, haud raro tam hoc in morbo, quam in variis uteri adfectio-

nibus, profutura crederemus, et ut *materiae medicae* objectum, ulteriore observatorum examine non indignum, commendanda esse censemus. *Emetica* quidem, sub morbo jam provecto, et extenso jam nimis utero, ne hoc viscus, nimis infirmum, tantis sub nixibus, quod sub partu laborioso aliquando contigit, rumpatur, minime consulimus; eorum interim, sub morbi principio, nisi forsitan organicum ad os uteri vitium latere timendum sit, medio in balneo usum excludere nollemus. Orificio uteri, etiamsi non gravidi, ac cervici vel catheterem, vel cereolum, vel ipsius adeo digiti apicem, vel spongiam praeparatam, inferri, atque sic has vias, nisi mox a partu, reserari, vel adeo speculum uteri, non ita pridem a conspicuo *Galliae* medico propositum, his cum successu adhiberi posse, haud credimus. Remoto interim quacunque ratione obstaculo, et ore uteri satis adperto, nisi fluxus aquarum per istud sequatur; *hydatides* forsitan has continent: quarum promtam incisionem eodem a medico commendari quidem videmus; sed, nisi unica has aquas *cystis* involvat, ob numerum illarum plerumque majorem, ac po-

ssitionem in utero altiorem, omnes facile attingi posse, ut speremus, vix inducimur.

Paracentesis.

Si tumor glandulosus, scirrhosus, excrescentia fungosa, polypus, steatoma, pseudomembrana, callus, aut uteri, vaginae concretio, atresia, cervicem, orificium illius, aut vaginam occluserint; prout haec *vitia organica* per manum chirurgicam auferri queunt, aut eandem recusant; spes curationis, aut major, aut nulla erit. Ultimum artis chirurgicae subsidium in *uteri paracentesi* hic ponitur. Quam facile vero haec a fine suo aberret, punctionis ad hoc viscus institutae, quam supra, levi modo calamo tetigimus, ad hunc a nobis locum reservatam breviter hic injicimus. Vetula scilicet jam plurimum emaciata, *Ticinense* ad nosocomium, novemdecim nunc ante annos, accessit. Pro *ascite* hic tumor a medico, coeterum egregio, declaratus, atque paracentesis ad illum, chirurgis proposita fuit. Cum vero his, minus evidens in tumore videretur fluctuatio: punctionem illi suo quidem judicio adprobare non ausi sunt. Suscipi hanc nihilominus jussit medicus; ac illius ope, librae purulentae materiae circiter quatuor eductae fuerunt. Morte interim mulieris duos ab operatione

post dies insecuta, sectio cadaveris, uterum ipsum, summopere extensum, a tricuspide perforatum fuisse, ac eundem pure, atque polyposis quasi excrescentiis refertum esse, docuit. Uteri tamen laesiones non semper lethales esse, sectionis longe majoris, quam *caesaream* appellant, felicia exempla commonstrant, et promta satis partium ab acu triquetra perfossarum sanatio docet. Verum quidem et hic est, causam morbi per paracentesin non tolli; sed urget aliquando necessitas: sub qua, vitae, quae conservari non potuit, quidquam superaddidisse, ac mulieris, cito suffocaturae, aerumnis non parum detraxisse, jam satis est. In textricis *Augustanae*, quem summus quondam Anatomicus retulit, casu uteri hydropici, centum et octoginta libras aquarum hoc viscus amplexum est; nullibi interim circum intestina praesente aqua, aut laxo in manibus aut pedibus tumore, aut etiam viscerum, aut alterius cujusdem organi vitio, praeterquam quod magnus ille uterus, cujus os miris modis *occuluerat*, tota anteriore sua sede peritonaeo connatus erat. Atqui, si hac sede, extracto prius e vesica omni lotio, uterus cum tricuspide fuisset perfossus; probabile

est, aquis utero sensim per canulam eductis, virginem, — non quidem sanari, sed ab ingenti pondere aquarum, unde suffocata periit, longo saltem pro tempore servari potuisse. Altera per rectum intestinum, qua ratione per istud vesicae paracentesin cum tricuspide quidquam incurva satisque longa instituimus, ad punctionem uteri hydropici via foret; et quae ante operationem non aduit, ea post istam nasci posset, sicut vesicae, ita et hujus visceris perfossi cum parte vicina cohaesio. Cum interim, ut infra de *vesicae urinalis* punctione dicemus, uterus maiorem ad gradum ab aquis impletus, ex pelvi, quae illum amplius non capit, superiora versus ascendat; ne illum chirurgus cum tricuspide hanc per viam facile attingat, timendum est.

Hydrometra gravidarum, sicut nulla est ejusdem ab anteriori cognitio, et sicut praegnationis sub finem damnum mulieri vix infert, ita curationis medicae objectum non sistit.

Quae curam hydrometrae, vel sponte, vel per artem discussae, concernunt, ea, sub generali hydropis pertractandi ratione jam exposita, hic non repetimus.

C. H. Tubae, Ovar.

§. 764. *Hydropis tubae, ovariorum*, et *ligamentorum uteri* (§§. 745 — 747) pertractandi modum, tam ob affinitatem materiae, quam ob artis ipsius paupertatem, conjunctim hic exponimus. Quam infida morborum istorum, in primis suis incunabulis diagnosis sit, jam diximus; et quam tarde, vel ob levitatem animi, vel ob falsam verecundiam foeminarum, ad cognitionem medicorum illi perveniant, nimis notum est. Hinc rara morbi, jam satis evidentis ac indubii, per interna, vel externa remedia, quae tam proxime has in partes, natura sua tam spongiosas, haud agunt, discutiendi occasio offert; atque unicum modo hydropis ovarii, per fotus resolventes, adperientes, et per cataplasma ex farinis emollientibus, cum gummi galbani, vitello ovorum soluti, sat conspicua quantitate, ac unguento althaeae, compositum, feliciter resoluti exemplum, ex viri *Edimburgensis* praeclari testimonio, nobis notum est. Utplurimum scilicet hi tumores, tam saepe, ut monuimus, ex inflammatione in partibus obscoenis occulta venientes, vel in chronicum hydropem, cuivis remedio rebellem, vel in suspectae indolis suppurationem lentissimam tendunt; atque hac tandem abso-

nta, vel ad interiora abdominis, sub vo-
mitu, risu, tussi, vel nixu quovis fortiore, rumpuntur; vel, casu quidquam tardius ut-
llurimum lethali, exteriora versus dirigun-
ur, et vel sponte, vel per artem adperti, aediosa plerumque in ulcera fistulasque pro-
unde repentes, tandemque tabi, vel hydro-
i universali sociatas, vertuntur.

Cum igitur majus jam volumen tumor dquisiverit, de materia in tuba, vel in ovario ontenta, eaque aut aquosa, aut alia, matu-
e satis educenda, eo magis cogitatum fuit: uod vel sponte rupti atque sanati exempla inc inde occurrant. *Paracentesis* igitur, vel *ctio* turgentis *tubae* aut *ovarii*, non modo ropositae, sed a viris claris etiam susceptae uerunt; atque hujus ultimae, duabus in eminis feliciter absolutae in Actis R. Scien-
arum Academiae *Parisinae* exempla exstant. irginem, cui, ut celebris *Galliae* anatomicus on ita pridem retulit, menstrua ex terrore m pluribus ab annis suppressa erant, ab-
ominis non minus, quam sinistri ovarii hy-
ops corripuit. Ascites, binis punctioni-
s, ovarii autem hydrops unica paracentesi, icta in vulnere canula, perfecte sanati fue-
nt. Suscepta ovarii punctio adeo quondam

mulieri non obfuit, ut plures adhuc post illam proles conceperit, ac utero feliciter excluserit. *Parisiensis* matrona, mox ab aquis ad pintas octodecim plerumque ovario extractis, jam altera die rus frequentare solebat. Paracentesis ovarii hydropici praegrandis, quam nos quondam, ex diagnosis errore, instituimus, non quidem sanavit, sed nequidem pejorem in statum conjecit, mulierem. Nos iterum ipsi casum memorabilem tumoris, jam quatuordecim per annos probabili ratione ad ligamentum uteri latum haerentis, ac non modo cum profunda fluctuatione, cum febre lenta et tabe maxima conjuncti, sed etiam cum vagina (ut purulenti, tenacis humoris effluxus, per compressionem tumoris copiose auctus, docebat) communicantis, et per profundam sectionem felicissime sanati, actis *Moguntinis*, viginti septem abhinc annis, inseruimus.

Difficultates. S.d, heus, quantum sors tentaminum similium contraria dejicit animum! et quantum vel sola jam dejicit ratio! Ad minora forsitan infortunia, repetendae frequentius ad ovarium paracentesis necessitas pertinet: qua alii, quinque vel octo, celebris vero apud *Anglos* chirurgus, quatuor annorum septemve

mensium spatio, ejusdem mulieris ad ovarium, quadraginta cum una paracenteses instituit, et aquae per singulas operationes eductae 2786 pintas obtinuit; nec similium fere exemplorum hic numerum augebimus. Majoris vero periculi argumenta desumuntur ex sacci hydropici crassitie, ac scirrhosa, ulcerosa quandoque indole, — ex ejusdem cum utero partibusque vicinis, quidquod cum hepate, at cum omento, ut vidimus, facile simul laedendis, non insolita cohaesione, — ex casu haemorrhagiae a laesione arteriae epigastricae ac ramorum ejus, rariore tamen, frequentius vero ex venarum, quae tumorem superscandunt, varicibus et facili earundem laesione, ob effusionem etiam sanguinis in cavum abdominis, hinc inde lethali, — ex materiae contentae, saepe minus fluidae, tricuspidem hinc et canulam crassiorem requirentis, aut caseosae, steatomatosae, hydatideae natura, — ex numero cellularum saepe multarum, inter se non communicantium, nec una sectione adperiendarum, — ex magna, num ovarium morbosum, quo loco perforandum est, cum peritonaeo cohaereat, incertitudine, ex largio-

ris interdum sectionis necessitate, et non evitandis semper fistulis, — ex febre, et symptomatibus, puerperarum peritonitidis illis haud dissimilibus, nec non gangraena, has post operationes, ex aeris accessione, ut putatur, hinc inde observatis, — ac demum ex majore plerumque, quam ut concrescere ac obliterari possit, sacci amplitudine et cohaesione distrahente cum partibus vicinis.

Limitatio. Quodsi tamen institutas aliquando cum felici eventu ovariorum paracenteses magnus quondam de sedibus et causis morborum scriptor ita explicare conetur: ut probabile sibi sit hos saccos curatos per sectionem, aut ad *peritonaealem*, aut ad *saccatum* potius hydropem, quam ovarii pertinuisse; pauca modo nobis de horum hydropum sanabili natura dici posse, quae non aeque ovariorum illi applicari queant, videntur. Fateamur interim, partem ovariorum tubarumque hydropicarum vel maximam, ob dictas rationes, et ubi nimis adoleverint, ubi macies, aut febris, aut ardor internus hoc malum comitantur, omne medicorum auxilium respuere; sed minoris molis ejusmodi tumores, si ob illos mulier, futurae sortis conscia, ancipiti se potius,

uam nulli auxilio submittere promta sit, chi-
urgicae artis, tot felices per ausus clarae,
ubsidia non semper excludere. In rebus
empe medicis, quidquid ratiocinia aut mi-
entur, aut promittent, loquente in contra-
ium experientia, haec ipsa, prae illis auscul-
anda est. Atqui tum dictae curationes, tum
liae, quas omnes hic adduci non interest,
lici sub omine susceptae; tum ipsa adeo
variorum, aquis suis prius spoliatorum, ten- Ovariorum
ata jam aliquoties, *exstirpatio*, spem nostram, exstirpatio.
milia et aliis in aegris, de quibus hucusque
esperavimus, per expertas manus aliquan-
o posse tentari, non parum erigunt. Sic
agnus quondam *Angliae* chirurgus, ambo
varia, ut incognitos ad annulos abdomina-
s tumores, eo cum effectu, ut et menstrua
ssarent, et ubera conciderent, amputata
isse refert; sic, exemplo satis noto, ca-
rator scrofarum excandescens, filiae pro-
iae, minus castae, ovaria, simulque vene-
; cupidinem extraxit; sic vulneris abdomi-
lis occasione, ovarium sine damno exscis-
m legimus; et sic, ne cum *sanis* modo ova-
s, ut in castratis bestiarum foeminis, haec
ccessisse dicas, philosophicae transactio-
s, adpertis primum diversis in ovario hy-

dropico saccis, iisque humore contento depletis, hoc ipsum viscus sub optimis auguriis eductum fuisse testantur; sic demum, cum vel summa jam esset mulieris debilitas, magni tamen in *Gallia* nosocomii primus chirurgus, adperta prius tuba uterina, ovarium scirrhosum exsecuit; quae singula, non ut aegras, hoc sub morbo *plerumque* insanabiles, audaci ferro crudeliorem in sortem committendas suadeamus; sed ne *omnes*, quas ars *Machaonia*, exemplis, etsi paucis, aliquibus tamen, innixa felicioribus, quidquam animosior servasset, ineluctabili quasi fato relinquendas esse decidamus, hic adduximus.

De *punctione* ovarii certe, ut singula hic in unum contrahamus, dicendum est: quod ab ea, sacci quidem illius, qui pungitur, depletio, nisi liquidi contenti impediat tenacitas, impetretur; quod vero separata cellularum, quae saepe plures, diversae indolis liquoribus repletae hic adsunt, conditio, ne perfecta sit depletio, persaepe impediat; et quod, eductis ex una alterave modo cellula aquis, coeterae, quae integrae supersunt ablata sororum compressione, eo citius augmentum adquirant. Sit vero unicus modo ovarii saccus! hic, nisi forsitan hydrops pe-

in

nflammationem productus sit, in suo princi-
io, cum partibus vicinis raro satis cohaere-
it; atque hinc punctioni, ob timendam aqua-
um, retracta canula, in cavum abdominis
ffusionem, obstare posse videbitur. Est
amen, qui hoc periculum minoris fecerit,
gregius quondam *Angliae* chirurgus; et ve-
icae urinariae, non semper cum intestino
ecto morbose cohaerentis, per istud, abs-
ue tali urinae in pelvim defluxione, feliciter
aepe peracta punctio (si modo aliqua in de-
leto ovario sese elastice contrahendi super-
it potentia, — aut si, relicta aliquamdiu
 illo canula, ab inducta sic inflammatione,
oc ipsum ab operatione, cum peritonaeo
oncreverit) factae paracentesis eventum non
emper illico infelicem esse praepediet. Tam
 primo interim, quam secundo in casu, vel
i magna jam fuerit ovarii extensio, vel si
oc vicinis cum partibus jam vincula contra-
erit: saccus ille ab aquis liberatus, nun-
uam satis, ut ejus superficies internae se
ngant ac mutuo concrescant, collabitur,
ut collabi potest. Citius saltem, ac diu an-
equam talia contingant, factum a tricuspide
ulnus coalescit. Hinc nova mox, et pristi-
a celerior, repletio, frequente vero nimis

paracentesi, virium jactura promtior, nec parva ex aeris accessione pericula, timenda sunt. *Punctio* igitur in provecto, et suffocationem aegrae minitante ovarii hydrope, non aliud, quam paucorum dierum, solatium concedere, morbi vero ipsius incrementum promovere dicenda est. Per *vaginam* paracentesin ovarii instituendam esse legimus; sed nullo haec opinio curationis exemplo suffulta est. Tam insignis etiam extensionis ovarium fuit, octogenaria, quam supra citavimus, in virgine: ut in pelvis cavo locum non inveniens, longe ab isto, ad illud abdominis ascendere coactum fuerit; quo in casu, punctione per vaginam instituta, id nequidem attigisset tricuspis. Coeterum cum *a latere* vaginae instituenda foret lateralis ovarii punctio, ex retis vasorum hac in vaginae regione haerentis laesione, ut supra jam innuimus, sanguinis haud exiguum profluvium ex ea timendum foret; nec etiam, quocunque demum loco ovarium pungatur, ne aquae redeant, et ne aliae, quas vix tetigimus, difficultates subintrent, evitabitur.

Ad *ovarii* hydropici *incisionem* quod spectat, fatetur ille ipse, qui hanc primus instituisse videtur, celebris *Galliae* quondam

chirurgus, quod unico, in quo tamen aquae eductae jam insigniter foetuerant, feliciore exemplo excepto, *fiſtulae* ab ea semper relictae fuerint; et quod sectio, in casu *adhaerentis* cum partibus vicinis ovarii, quia haec adhaesio, istius contractionem impediret, locum habere non queat; ut igitur haec medendi ratio, recenti magis, ut qui necdum adhaesiones cum vicinis partibus agnoscat, quam vetusto jam et ampliori ovarii hydropi conveniat.

De *exſtirpatione* ovarii, quo loco de scirrhosis harum partium adfectionibus agemus, ulterior dicendi occasio nobis suppeditabitur.

ORDO II. GEN. II.

RETENTIO URINAE.

Suspensio urinae.

§. 765. De illis, quae *urinae secretionem suspendunt*, partim jam variis in locis, maxime de *nephritide* (§§. 258. 261.), *cystitide* §. 265.), *haematuria* (§. 630.), et *hydrope* (§. 748.) agentes, locuti sumus; partim vero de obstructionibus, scirrhis, calculis, arthriticis spasmodicisque adfectionibus acturi, plura referemus.

Nunc autem lotii secretio, vel ipsius organi secernentis vitio, vel universi systematis influxu symptomatice, cum gravi salutis abhinc laesione, *imminuitur* modo; nunc vero, cum summo vitae discrimine, in totum *aboletur*.

Ut ex organi vitio hoc mali genus oriatur, oportet utrumque renem impervium fieri; vel unum saltem ita, ut alterum quoque in consensum trahat, ac secretionis officium, vel ex parte, vel omne recuset, adfici; atque haec vel ab obturatis, compressis ab adi-

pe copioso, ab hydrope vel aliis tumoribus vicinis, a congestione cruoris locali, a sabulo, calculis, a condensato sanguine, muco, pure, polypo, a steatomate, scirrho, hydatidibus, — vel ab inflammatis, — vel ex spasmodice contractis renum tubulis uriniferis, — vel ex arteriae renalis in osseam naturam conversione (§. 748.), vel ex impedito urinae per ureteres defluvio, contingunt. Ut ex universi systematis adfectione renes suo plus minus deflectant ab officio, secretionum aliarum, utpote sudoris, salivae, succi gastrici, seri ad cava corporis diversa hydropica, augmentum conspicuum, inflammatoria, spasmodica constitutio, contribuunt.

Atqui effectus huius indolis tam diversis ex causis in renes semper idem, specialis tractatus objectum offerre, aut *ischuriae renalis* concesso nimis diu sub titulo, eidem subjugari, aut unius ejusdemque indicationis morbum sistere non potest; atque hinc *suspensionem urinae*, ut morbum multivagae prosapiae, *retentione* lotii prorsus diversum, obiter modo hic tangimus; in alio vero opere cum exemplis conspicuis illustrabimus. Nisi vero per sua organa secretus jam fuerit humor e massa fluidorum ablegandus; ejus quidem Diversitas a retentione.

initia et quasi elementa *retineri* possunt; sed illud ipsum, quod haec, *secreta*, constituissent, *cohiberi* nequit. Est interim, ubi, post completam secretionis renalis *suspensionem*, sub sectione cadaverum, nunc in cerebri ventriculis, nunc pectoris, aut aliis in cavis, humor, adspectu, foetore, urinae vix non aequalis, repertus sit. Apud alios, analogum his fluidum ex partibus adeo externis, ut, post lumborum refrigerationem, digitorum ex apicibus, destillasse, — in aliis, per vomitum adeo ex ventriculo rejici, visum est. Etsi vero narium humanarum de liquidorum in cadaveribus stagnantium indole judicium, non parum aliquando a morbi praegressi idea dirigatur; nec ullus sit, qui *sudorem*, post morbos ex ejusdem suppressione tam crebro lethales, sub sectionibus pathologicis ex liquido detecto *olfecerit*; vel si quod volatile principium sibi nares feriisse perceperit, hoc ipsum *sudoris* suppressi subtilioribus particulis aut adscripserit, aut utriusque odoris differentiam adsignaverit, aut denique per susceptam analysin indicaverit; sicut tamen discussio urinae ex sanguine, coeteris secretionibus simplicior est, idque liquidum renales per tubulos *colatur* fere magis, quam

artificiosius *secernitur*; — sicut magna satis facilitate ex imminuta transpirationis insensibilis, aut sudoris (ab urina, nisi gradu saturationis, non admodum distincti) proportione, urinarum illam in sanis augeri; ex istarum vero decrescente copia, vaporis cutanei uberiores mox gurgites in auram elevari observamus; — sicut demum ipsa canalis cibarii superficies interna, dum aut cutis spiracula quidquam contracta sunt, aut parciorem renes urinam plorant, magis humescit; vel, sub alvi profluvio conspicuo, illorum organorum pro tempore fungitur officio: ita partes quoque aliae, etsi longe rarius, manus renibus *vicarias* quodammodo praestare, et urinosis liquidi portionem. vix tamen aut satis sinceram, aut sufficientem, transmittere sunt visae.

In *ischuria renali*, seu *spuria*, ut vocarunt, vesicam, *lotio inanem*, supra pubem non tumere, — urinam aut nullam prorsus, aut certe paucissimam, vel sponte, vel introducto cathetere posse excerni, educi, nullum ideo ad illam excernendam nisum adesse, — dolorem pungentem, pressorium in regione renali urgere, — ructus, nauseam continuam, saporis in ore urinalis perceptionem Symptomata.

molestam, vomituritiones, vomitum materiae, ejusdem aliquando, ac urina, conditionis, tandem vero dyspnoeam, anxietatem, meteorismum, sopores, deliria, convulsiones lethales comparere, dixerunt. Quamvis vero plerumque haec, et ex nostra experientia, ita se habeant; est tamen, ubi, sub media secretionis urinalis suspensione, vesica suo liquido, ante hanc sibi advecto, adeo non careat; ut, cum ipsis ureteribus, ad summum etiam gradum, distenta sit, atque sic ulteriorem lotii ad renes secretionem comprimendo impediat, vel ut ab ipsa *urinae* in vesica, ureteribus, *retentione*, secretionis urinalis *suspensio* descendat. Est etiam, ubi, hoc sub morbo, tumor supra pubim, licet vacua vesica, non desit; est adeo, ubi, calculis in vesica praesentibus, urinae, quae non adest, mittendae nixus atrox, ut exemplis quondam docebimus, continuet.

Retentio urinae.

§. 766. Quoties autem lotium a renibus secretum, vel per ureteres in vesicam descendere, vel hac e cystide placidius expelli, vel absque labore plenoque rivo per urethram excerni non potest; toties *urinae* vel *difficultas*, vel, majore sub gradu, *retentio*, suboritur.

§. 767. Imperfecta valde morborum se- Divisio.
cundum *gradum* vehementiae divisio est. Hac
nterim Veteres, sub *dysuriae*, *stranguriae*,
ac *ischuriae* appellatione, usi sunt: quarum
prima, illis, urinae cum difficultate, inter-
dum cum dolore, ardore, flumine vel nimis
tenui ac fere stramineo, vel etiam diviso,
contorto, excretio, — altera, dolens urinae
per guttas, et cum continuo ad mingendum
stimulo, ex urethra destillatio, — ultima
vero, ejusdem liquidi completa suppressio,
retentio, fuit. Majoris utique momenti,
stius, ex *sede*, qua haerere urina cogitur, in
retericam, *vesicalem*, *urethralem*, distributio,
nec tamen in artis exercitio, nisi *causae* simul,
nunc longius his a viis remotae, nunc in il-
s ipsis defixae (§. 768.), ratio hanc dirigat,
atis perfecta est.

Causarum igitur, quarum indoles admo-
um diversa est, consideratio, cum illa *se-
is*, quam occupant, et cum *symptomatum*, quae
ingulis in locis excitant, descriptione simul
uncta, meliorem hic rerum dicendarum no-
is ordinem suggeret.

§. 768. Longum et obliquum iter *ureteres* R. uretericae.
x pelvi renali ad vesicam absolvunt. Sub

eo, vicinae partes, aut earum tumores, crebrius quidem, raro tamen utroque in latere, illis, *comprimendo*, coarctando, molestae sunt, ac descensum urinae per eosdem retardant, aut prorsus impediunt. Huc pertinent glandularum mesenterii infarctus, prostatae induratae, ad partem vesicae lateralem, posteriorem, elevatio (§. 534.), scirrhi, steatomata, musculi psoas inflammatio, suppuratio, moles uteri, ovarii, vesicae urinalis durities, contractio, fungositas. Haud raro ipsis in ureteribus (vel quod illorum parietes crassitie quamplurimum augeantur, aut vero inflammentur, atque tum hac a causà, tum ab alia, duriores, callosi, fere ossei, contracti, corrugati, proprii cavi diametrum imminutam, aut penitus concretam, occlusam agnoscant (§. 263.); vel quod interior laxiorque tuborum istorum membrana plicam, aut quasi valvulam, urinarum destillationi adversam contrahat, aut crusta obtegatur quasi calcarea; vel quod angusta canalium istorum cava per grumum sanguinis, mucum tenacem, hydatides, materiam purulentam, puriformem, polyposam, arenosam, aut ipsos per calculos, corpus quodcunque peregrinum, obturentur, claudantur et consolidescant) va-

idum descensui urinarum obstaculum sub-
nascitur. Ureterum altero resiccato, altero
calculo obsesso, ita ut nihil urinae ad vesi-
cam descenderet, duos aegros mortem obiis-
e, — utrumque ureterem a crassa pituita
repletum, eandem aegro sortem imposuisse
egimus.

Sedes coarctationis uretericae, ad loca,
quae hi canales inter ipsas vesicae membra-
nas oblique percurrunt, praecipue sub vesi-
cae inflammatione laterali (§ 205), potissi-
ma est. Saepe vero tum hic, tum alibi, su-
pra locum illorum contractum, non exigua
eorundem canalium, in saccum, vel in tu-
um, intestini jejuni diametro aliquando ae-
qualem, dilatatio occurrit, ipsaque pelvis
renalis capacitas sat crebro de ista participat;
vel eandem, aliquando cum substantiae re-
nalis destructione, multoties superat. Sub
hac nempe rerum positione, ipsum in urete-
ribus restagnans lotium, insecuturae ex re-
nibus novae urinae obstaculo est; nec dirup-
adeo, a tanta repletione, vel exesi ab ul-
cere, vel abdominis ad fornicem exterius ad-
erti ureteris exempla desunt.

Etsi vero haec singula ureterum imper- Symptomata.
viorum exempla, ex fidis anatomicorum ob-

servationibus depromta sint; dolendum tamen est, paucas omnino morborum, qui haec, rariora omnino, *utriusque* ureteris vitia comitati, vel secuti sunt, historias, vel tales saltem, quae diagnosin hic multum illustrent, descriptiones haberi. Duas nos, alio in opere, utriusque ureteris a calculis obstructi, et ischuriae abhinc insecutae observationes notatu dignas publicabimus. Renum interim inflammatione, profluvio cruento, purulento, hydatidibus, vel calculis praegressis, si dolor ac tensio, ureterum circa decursum, cum nausea, vomitu, vel etiam cum funiculi spermatici, vel testium consensu accedant (§. 265.); si nec urethra, nec vesica ullam retentionis causam offerant; si nullus fere mingendi nisus adsit; maxime vero si, dictis sub phaenomenis, introductus in vesicam catheter, urina hanc vacuam esse reperiat; de *retentionis uretericae* praesentia, quam tamen *unius* modo vitium ureteris, altero pro isto supplente, producere non solet, dubitari vix licebit.

R. vesicalis. §. 769. Frequentiora vero longe *retentionis vesicalis* exempla sunt. Illam, quae *cystitidem*, vesicae abscessus, duritiem, callosita-

Inflammatio, durities.

es, scirrhos, carcinoma, pro causa agnoscit, m distincte, suis cum symptomatibus, descripsimus (§§. 264. 265. 267. 488. 521. 630.

Summam autem vesicae in aetate *senili* onditio attentionem sibi exposcit. Haec enim cystis membranaceo-musculosa, — el ex praegressis jam diu inflammationibus, axime venereis, vel et sine omni istarum spicione, ab internae tunicae, spongiosae, xae, cryptis et folliculis mucosis ditissiae, infarctu, obstructione, excrescentiis, diuturna, vel spasmodica, vel alia conactione, ex incremento substantiae cum ditatione totius visceris, — haud raro *crassim morbosam*, ac dimidii adeo pollicis, et nge majorem adhuc densitatem, in totum e callosa, adquirit; aut in molem adeo cis juglandis aliquando contrahitur; hoc ro sub statu, interna potissimum tunica rum in modum turget, vel aditum urinae r ureteres occludit; vel ejusdem liquidi per opriam cervicem expellendi potentiam aut. Condensatio senilis.

In foeminis, quibus amplior et brevior est ethra, rarissime in viris, internae membrae vesicalis *prolapsus*, aut *vesicae* totius *inver*-, illi uteri haud dissimilis, nunc minor, Vesicae fem. prolapsus.

nunc major, aliquando suboritur, ac urinae sibi ipsi viam obturat. Cum vero excrescentia spongiosa internae vesicalis membranae, non minus aliquando per urethram propendeat, et felici adeo successu a *Gallino* chirurgo resecta sit; magna certe, ne ipsa *vesica inversa* ausu temerario resecetur, cautione opus est. Hoc scilicet sub prolapsu, tumor ad ovi columbini, aut conspicuam magis ad magnitudinem aliquando adauctus, saccum tenuem, rubrum, transversim rugosum, elasticum, a fluido repletum, sub tussi, nixu turgentem, cum digitis hinc — inde repellendum, sub majore repletione cum dolorum levamine, ac possibili nunc urinae fluxu aliquando vel sponte recedentem, repraesentat. Sarcoma vesicae, ut transactiones philosophicae referunt, urinae effluxum adeo ut haec semper cum fistula educi debuerit impedivit. Cum premeret mulier, tumor ex urethra prominebat. Incisa ad latera urethrae tumor hic cum filo ligatus, et felici cum successu exstirpatus fuit. Aliis autem in casibus non adeo contracta, quam potus copiosioris, ac pessima urinas diutius cohibendi consuetudine, vesica immensam ad molem repletur, atque dum ejusdem membran

allosae sunt, per catheterem etiam depleta, inime tamen collabitur.

Vesicae durities.

Similia vero in quavis demum aetate, ad esicam, aut nimis jam angustam, aut a raegressis extensionibus justo ampliorem, urinis acrioribus, ab arthriticis, herpetis et quasi scabiosis adfectionibus, ab ulcebus, excrescentiis polyposis, spongiosis, hydatidibus, vel ipsis a vermibus (§. 480.), u nimis et ad continuas fere contractiones imulatam, contingunt; quo in casu, non iterna modo ejus visceris membrana, sed isae quoque *fibrae musculares*, singulare prorus augmentum, simul vero pallorem sibi roprium assumunt. Talis fuit vesicae apud otarium *Tcinensem*, calculis et dysuriae mulos per annos subjectum, conditio. Hoc enim viscus, ut ex tradenda alibi hujus orbi historia patebit, *cordis humani* magis, uam cystidis urinariae, figuram habuit. Sex empe circiter pollicum illi longitudo, quaor pollicum latitudo, figura conica, color xternus ex rubro lividus, densitas pariem, ex fibrarum muscularium et numero, ordine, et crassitie auctis, unius cum diidio pollicis, ad internam superficiem nuerosi etiam lacerti, cordis illis non absimi-

les, fuerunt. Ipse vesicae sphincter aliquando callosus fuit, vesicamque in totum occlusit. Copiosa degenerationum istarum, non repetenda hic, exempla tam alii describunt, quam nos ipsi observavimus; atque plura illius specimina, museis pathologicis, *Ticini* non minus, quam *Vindobonae* erectis, in usus publicos commisimus.

Vesica saccata.

Nec minoris ponderis est vesicae, ab aliis sat frequenter descripta, ac binis in casibus a nobis ipsis observata, alio vero in opere pro sua dignitate describenda, in *cellulas* vel *crumenas* laterales, interdum ampliora in cava, quae *appendices* vesicae, vel adeo *hernias*, non aequo satis nomine, vocarunt, *expansio*. *Appendices* nempe, seu *diverticula* vesicae, per *totius* substantiae vesicalis extensionem ac dilatationem, — *cystides* vero hujus visceris plerumque ex membranarum vesicae crassitie, calculis aliquando quasi nidum largiente, nascuntur; eae vero, de quibus hic loquimur, *vesicae crumenae*, molles, et urinae plenae sunt, suamque originem in hujus visceris membrana interna, cystidis inter fibras musculares, exteriora versus, cum extima, quae a peritonaeo est, membrana egressa, ad tenuem plerumque cellam, nullis fibris mus-

cula

cularibus instructam, formante agnoscunt.
Sic duo saltem, quae museo *Ticinensi* conces-
simus, specimina se habent, quorum unum
ex puero decenni exsectum, praeter plures
et minores adhuc cellulas, *calculum* vesicae
onjunctum agnoscit; alterum vero, septuage-
nario in viro, post retentionem urinae de-
uncto, a nobis repertum, saccum praegran-
dem, tenuem, transparentem, ipsa vesica
ampliorem, *absque calculo*, urina copiosa reple-
um, et largo, rotundoque foramine cum ve-
ica, cellulis copiosis, sed necdum adeo di-
atatis, notata, communicantem exhibet.

Ex primaevae constitutionis vitio has cel- **Causae.**
is aliqui, non ponderosis tamen argumentis
uffulti, repetunt; ut quorum generatio tum
laxiore in quibusdam locis, imprimis late-
alibus, parietum vesicae structura, tum
eglecta saepius urinae excretione, tum ab
liis hujus retentae causis, derivanda vide-
ur. Calculos, his in crumenis hinc inde re-
ertos, non adeo hos ipsos produxisse, quam
i iisdem facilius coivisse, suspicamur. Ex-
a gravidarum referuntur, quarum vesica
x gravissima ischuria in ejusmodi sacculos
x parte laxata fuerat. Ad ipsum adeo ve-
cae locum, cui ureter inseritur, haec mem-

branae vesicalis inter fibras musculares expansio aliquando observata fuit. et ut pro duplici vesica haberetur, incautis imposuit. Cum nullae fibrae musculares hos saccos laterales superscandant, nullum quoque illis in hos ipsos imperium est; nec vesicae pars his saccis superior, ut ea pseudosphincteris sui resistentiam superet, ac suis se urinis exoneret, sub majore tandem saccorum incremento, vires conservat.

Symptomata. Sequitur exinde, quod sub urinae retentione ex tali causa pendente, *non*, ut in aliis hujus liquidi retentionibus, *unicus et pyriformis* super pube *tumor*, sed vero *duplex aut multiplex protuberantia*, una quidem, ut observavimus, oblonga, vesicam constituente, altera subrotunda, elastica et indolens, sub attactu percipiatur. Eo major vero nobis a vera morbi diagnosi aberrandi fuit occasio: quod in casu nostro, sub triplici ad hypogastricam iliacasque ad regiones, tumore, ut falso supposuimus, cystico, duodecim per dies nulla sese urinae retentio prodiderit; sed pauco modo ante obitum intervallo, absque vomitu aliisque retentae urinae signis, ea tandem accesserit. Matura catheteris adplicatio, etiam eo in casu, quo necdum difficultas mingendi urget, sed tamen ignotae

indolis tumores regionem hypogastricam occupant, similem diagnosis errorem in posterum evitari docebit.

Praeter dictos vesicae morbos, alia causa retentionis urinae, vel ex ejusdem visceris *positione iniqua*, vel ex partis vicinae *prolapsu*, *mole aucta* et *compressione* subnascitur.

Hernia vesicae.

Herniae vesicae urinalis, nunc partiales, nunc completae, interdum duplices, atque hic simplices, illinc vero cum calculis, vel intestinali, omentali cum hernia complicatae, tam ad inguina et scrotum praecipue, quam ad femur, aut, rarius ad foramen ovale, ad incisuram ischiadico - sacram, perinaeum, abdominis inter musculos, crebrius vero ad vaginam muliebrem, huc spectant.

Huc etiam intestini recti, et in sexu sequiore, vaginae, uteri, vel ipsius adeo vesicae prolapsus, vel uteri retroversio revocanda sunt.

Compressio vesicae.

Haud raro vesica de vicinarum partium adfectionibus participat. Ipse uterus, a liquore amnii copioso et a foetu grandiore, a gemellis, ultra modum extensus, maxime sub fine gestationis caput istius aut clunes, vel adeo a partu absoluto ipse iterum uterus, urinae vel retentionem, vel incontinentiam

nimis saepe inducunt. A gravido utero secuta est ischuria lethalis mense quarto. Post mortem conspectus est uterus, in postica parte induratus, dilatationem omnem ex parte tantum anteriore admisisse, a qua, vesica compressa fuit et in gangraenam abivit. Alia, mense quarto praegnans, ischuria adfecta, aliquoties a cathetere opem sensit. Tandem hic introduci amplius non potuit. Sequebantur dolores abdominis, faeces involuntariae cum urina secedebant. A morte detecta fuit vesica praeter modum extensa, inflammata, gangraenosa, in duo cava divisa, ex quorum superiore, urina nunquam evacuata fuerat. Insignem mesenterii scirrhum cum vesicae fundo non modo concretum, sed, eroso intestino, faeces adeo in illius cavum emittentem, alibi descripsimus. Mesenterium in praegrandem molem increvisse, et vesicam coarctando, mictionem difficilem induxisse, — scirrhum ilei sinistri similem effectum habuisse, aneurysma sub vasis urinariis jacens, suppressionem urinae ac mortem tandem intulisse, legimus. Eundem effectum hydrops, steatoma, polypus, scirrhus uteri, ovarii, glandulae prostatae tumores, persaepe agnoscunt. Vetula *Tici-*

nensis, ad clinicum Institutum brevi ante mortem suscepta, urinae suppressione simulque incontinentia laboravit: non etenim urina nisi sub tussi aut compressione abdominis nolenti et quidem absque dolore effluebat. Tumor super pube pyriformis comparuit. Cadaver dissectum, uterum obtulit durum, scirrhosum, mole interim non admodum auctum. Ipsum vesicae collum induratum erat et crassum, catheteri tamen satis patulum Intestini recti scirrhus, aut faecum durarum major in illo collectio, cum colli vesicalis pars superior recto intestino incumbat, urinae viam non semel praecluserunt. Vir, ut refertur, robustus ex urinae interceptione obiit. Mortis causa deprehensa est in intestino recto, quod infarctum repertum est nucleis cerasorum diu ante ingestorum. Ischuriae a scybalis duris, intestinum rectum implentibus collumque vesicae comprimentibus exortae exemplum narratur ab alio. Varii quoque tumores in abdomine, pelvi, nec minus hydatides grandiores, vesicam in excretione urinae impediverunt. Coalitum vesicae cum imi ventris pariete, ischuriam produxisse compertum fuit. Maxime vero ad inflammationes et cohaesiones morbosas prona est

peritonaei pars illa, quae vesicam exterius investit.

Infarctus a sanguine.

Sub *haematuria renali, ureterica* (§. 630.), cruor, non modo tenuis, in urina solutus, sed etiam aliquando sincerus, densus, et in coagulum pronus, in vesicam delabitur, polyposque in ista, interdum praelongos et crassos, ischuriae gravissimae foetus, progenerat. Saepe numero etiam sanguis a vasis haemorrhoidalibus ad illa cervicis vesicae aversus, ejusdem ostium coarctat, exitumque urinae perdifficilem reddit. Viri exemplum exstat, qui diu a symptomatibus, quos calculi inducunt, vexatus, prae atrocitate illorum tandem interiit. In cadavere, exploratis partibus urinae excretioni dicatis, repertae sunt venae cervicis vesicae urinariae sanguine distentae, varicosae. Aliquando vero internae superficiei vesicalis venae varicosae sunt, et hujus cystidis cavum, ruptae, sanguine grumoso inundant et obstruunt. Quemadmodum enim mensium, haemorrhoidum habitualium fluxu sufflaminato, sanguis vasa ventriculi et intestinorum infarciens, non raro sensibiles istorum tunicas distrahendo, irritando, cardialgias horrendas, singultum, vomendi conatus, anxietates, tormina, spas-

mos, convulsiones, ipsamque *haematemesin*, aut vomitum *Hippocratis* nigrum concitant (§. 613.) ita quoque sensibilissimae vesicae urinalis vasa, iisdem ex causis infarcta, extensa, dilaniata, crudeles hic loci spasmos, et dolores, illis, quos calculi excitant, haud sane inferiores, producunt; ut magus igitur error sit, haec phaenomena aut urinae acrimoniae, aut calculis continuo adscribi, cum tamen observationes cadaverumque sectiones docuerint, saepe nullum calculi vestigium, post illa, in vesica fuisse repertum.

Nulla vero tam frequens vesicae inflammatae, induratae, callosae, exesae, luxuriantis, atque nunc spasmodice contractae, coarctatae, nunc in magnam amplitudinem extensae, infirmatae, — nulla pendentis abhinc retentionis urinae communior occasio, quam *calculus*, aut *corpus* quodcunque peregrinum, vesicae cavo introductum, illapsum, futuri calculi initium, est. Tantarum interim causam aerumnarum, proxima hujus voluminis in parte pro sua dignitate ponderandam, hic reservamus. Calculus.

Sicut vero sub *enuresis* consideratione, *debilitatem*, *paralysin vesicae*, hujus mali ut causam, ex multis, nec ideo hic repetendis, ar- Atonia, paralysis.

gumentis accusavimus (§. 488.): ita quoque *retentio urinae*, vel cum enuresi complicata, vel adeo completa, tam in morbis soporosis, apoplecticis, in typho graviore (§. 88.), quam sub cyphosi, fractura, luxatione, distorsione vertebrarum, aut alia medullae lumbalis, aut nervorum, aut fibrarum muscularium vesicae adfectione, compressione, laesione, frequentissime suboritur. Causa scilicet hujus paralysis nunc ad nervos fibrasque musculares ipsius vesicae, nunc ad medullam spinalem, imprimis lumbalem, quaerenda est. Nec semper omnis vesica, sed interdum modo corpus ipsius, modo sphincter, resolvitur, atque sic vel urinam illud retinet, vel hic effluere sinit. Sub sopore, ebrietate, deliriis, sphincter vesicae saepius, non quod *resolutus*, sed quod *voluntatis imperio subtractus* sit, janitoris negligit officium. Haud raro etiam vesicae paralysis, retentionis non tam causa, quam effectus est; et quodcunque demum obstaculum cervicem obturaverit; lotii collectio morbosa fit, qua tardius cum ipso hoc obstaculo sublata, retentio nova, ex vesicae, nunc tantum paralyticae, culpa suboritur; ita ut retentionis praegressae effectus, futurae retentionis causam nunc exhibeant. Per

multis sane in casibus ex solo medullae spinalis vitio cystis urinaria suo destituitur officio. Non exiguam partem paralyseos ad vesicas senum, *canalis ossei ad vertebras decrementum* et imminuta diameter habere nobis videtur. Ductus nempe ac orificia ossium in provecta aetate omnia non parum obliterari, aliqua vero prorsus claudi, certum est. Vertebralis columna in senibus manifeste brevior fit; et in *vertebrarum* non raro *ankylosi*, facile nervi, quos lateraliter ad partes emittunt, comprimuntur. Pars interim resolutarum ex spinae vitio vesicarum major ex illata vertebris violentia venit. Praeter alia quamplurima, triste nimis in amico viro, *Spirensi*, calamitatis hujus exemplum ante multos retro annos habuimus. Conis nempe lusoriis vir hic juvenis violenter cum lumbis, alta voce mox exclamans, inciderat. Dolor atrocissimus sex per menses miserum vexavit. Tandem gressus facere tentans, apoplectici instar, non tamen cum sensuum abolitione, prostratus est. Ab eo tempore, venter insigniter tumere, urinae, faeces, citra voluntatem et sensum excerni, nates vero gangraenam late subire coeperunt. Sex tandem post hebdomadas, ad aegrum accer-

siti, *asciten* hic subesse, a medicis, omnem hucusque operam ad hydropem dirigentibus, nobis fuit relatum. Venter immensus, cum digitis percussus, fluctuantes in se aquas evidenter satis indicabat. Cum interim tam vesicae, quam sphincteris ani resolutionem cum gangraena ad nates hic subesse pateret; aegrum ante omnia duos per digitos, ano facile committendos, explorari, et iisdem versus anteriora incurvatis, num vesica multum tumeret, inquiri jussimus. Mox compressa cum digitis per intestinum rectum vesica, urina per urethram cum impetu prosiliit. Cathetere hinc illi immisso, duodecim urinae libras illico extraximus, ventremque cum fascia munivimus. Ne vero a praecipiti nimis urinae evacuatione vires aegri, jam plurimum infractae, subito conciderent, aliquot modo post horas non minorem lotii quantitatem eduximus. Venter nunc multum conciderat. Fistulam jam flexilem in vesica reliquimus, et immensam urinae copiam gradatim evacuavimus. Mors interim post paucas hebdomadas, sub tanto malo evitari non potuit; qua demum secuta, caries vertebrarum lumbalium in tubo, et magna ichoris, medullam lumbalem opprimentis, devastan-

tis, copia detecta fuit. Vesicae vero urinalis, ex qua, nobis absentibus, catheterem multos jam per dies retraxerant, tanta fuit capacitas: ut octoginta libris urinae denuo collectis, pristinum iterum abdominis tumorem referret, ad ipsum diaphragma pertingegeret, illudque alte in pectus reprimeret. *Vindobonensis* vir juvenis per duos annos crudeles extremitatum inferiorum, praecipue vero cruris dextri dolores, quos nulla medicina sedare potuit, expertus est. In consilium hoc pro aegro, sero nimis, accersiti, febrem lentam cum tabe adesse, crus utrumque, magis tamen dextrum, simul etiam vesicam, et ani sphincterem paralysi laborare, urinas omnimode retineri, faeces praeterea pigre ac sine sensu excerni, intelleximus. Crurum dolor aliquo a tempore longe fuit mitior. Urina catheteris ope semel sine omni labore extracta, vesica per nycthemerum prorsus vacua remanserat, neque lotii quidquam per immissam illi fistulam exiverat. Interea nec nausea, nec vomitus, nec dolor ad renes aegrum vexaverant. Altera die, quamvis catheter flexilis in vesica haesisset; quamvis illa, ad umbilicum fere usque extensa, per intestinum rectum quoque explorata, non pa-

rum ad hoc ipsum tumuisset; nulla tamen per fistulam argenteam urina effluxit; aut, illa demum retracta, per urethram secuta est; compresso interim utramque per manum abdomine, urina primum guttatim, posthac vero pleno flumine ad libras aliquot excreta fuit. Etiamsi vero morbi post paucas septimanas lethalis decursum ulteriorem ignoremus; nec sectio cadaveris a morte concessa fuerit; evidenter tamen paralysis hanc urinae retentionem, — illam vero arthritis ad verenda aberrans produxerat. Parum quondam in typho de retentione lotii, ex eo quod urina aegris insciis efflueret, et quod custodes rerum ignari, ex linteorum a paucis fluidis madore facili, id multum esse referrent, cogitatum, — hinc saepe tumor abdominis, ab urinae retentione pendens, absque omni ratione *meteorismo* adscriptus fuit.

Aberratio catheteris.

Sub tanta vero extensione vesicae, saepe facilis catheteris in istam introductio est; variis interim in casibus, dum in cavum hujus visceris intrasse, falso videtur fistula: urina nihilominus aut nulla, aut vero paucissima, educitur. Extensa scilicet maximopere vesica, ab ossis sacri promontorio, anteriora versus prominet; pars illius superior,

fit nunc quodammodo anterior; obliquam vero facies ejus posterior directionem assumit, et angulum cum cervice vesicae constituit. Brevior hinc et incurvus nimis catheter, vesicam, quod longior minusque curvus potuisset, non attingit; sed modo ad collum usque, crebro hic non parum dilatatum et paucula urina repletum, vel ad cryptas, prope ostium vesicae haerentes, mucosas, in longum extensas, accedit.

Cum vero nervorum fibrarumque muscularium vesicae resolutio tam crebro urinae retentionem provocet; nec *spasmi* in cohibendo lotio auctoritas hic reticenda est. Quemadmodum nempe *morbosa* corporis *vesicae sensibilitas* haud raro *enuresin* producit (§. 488.); et sub insultu epileptico violentam adeo urinae ejaculationem interdum excitat: ita quoque inducta iisdem ex causis sphincteris vesicae constrictio spasmodica urinam saepe coercet. Sic *Italum* quondam rhedae cursus publici aurigam conspeximus, qui, cum unus ex equis, etsi ad mingendum sibilando invitatus, prae sociis tamen hoc in opere salutari cunctaret, repetita ductus experientia, aurem equi sinistram inter dentes suos arripiens, fortiter hanc iracundus momordit, et

Spasmus.

morsum hoc animal, ut illico urinam maximo cum impetu rejiceret, coegit. Sub extremo certe dolore tum homo, tum animal quodcunque domesticum urinam spasmodice expellit; nec tantus in omnibus ad id stimulus requiritur, exemplo viri plebeji, quem toties ac *lyrae* sonum audiret, nulla vi lotium retinere potuisse legimus. *Electricitatis*, varios apud homines effectus frequentior urinae excretio est. Contraria vero actione, senes, ex refrigeratione pedum et abdominis haud raro ischuriam patiuntur. Vinum *rhenanum*, non vero aliud quodcunque vinum, seni dysuriam induxisse adnotatum fuit. Quae versus tertium impraegnationis mensem hinc inde oritur, urinarum retentio, ea minus utero tumenti, quam a nova extensione *irritato*, et vesicae cum hoc viscere consensui adscribenda est. Eadem saepe lotii apud puerperas retenti est ratio. Ipsis adeo sub calculis, urinae retentio non semper adeo per mechanicam vesicae obturationem, quam saepe per summam cervicis sensibilitatem; nunc a muco vesicae acriore, nunc a diversis in victu erroribus, nunc a pedum refrigeratione, nunc vero ab ingratis animi commotionibus excitatam, subnascitur. Hinc

nullo saepe modo catheter aut cereolus contractae violenter cervici introduci potest, quem vel sponte post breve temporis intervallum, vel sedato, aut per semicupium tepidum, aut per vapores admissos, aut per opium, spasmo, vesicae cum facilitate magna committimus. Non desunt hinc exempla illorum, in quibus, suppressionem urinae passis, cum medici aut calculos, aut alia accusassent; nullius in viis urinalibus vitii vestigium in cadaveribus repertum est. Puer, ut refertur, septennis, a supino casu in caput, ischuriam decimo post die passus est ad interitum usque pertinacem. Reserato tamen post illum vesicae ostio, nulla labes in visceribus imi ventris animadversa; at in occipite, inter cranium et pericranium, sanguinis concreti copia congesta; anteriore vero capitis parte, inter cerebrum et meninges, ingens seri copia adparuit. Plerumque ubi dolor a calculo per mutatam trunci positionem, vel ab immisso cathetere quidquam saltem imminuitur; sub spasmo cervicis vesicalis, sine febris aut inflammationis localis signis, summa sub catheteris attactu sensibilitas, sphincteris quoque intestini recti spasmodica contractio, dolor continuus, acerbus,

ad collum vesicae, simul vero conspicua perinaei durities ac tensio, se produnt. Non tam constans interim ac diuturna retentionis urinae per spasmos inductae scena, quam si ex aliis illa causis oriatur, esse consuevit.

R. urethralis. §. 770. Quamprimum lues venerea in *Europa* comparuit, urinarum viae, simul a morbis hactenus aut rarioribus, aut prorsus incognitis invasae, nimis amplum, eheu, fertilemque nimis medicorum observationibus campum aperierunt. Etiamsi vero nec ipsum urinarum receptaculum ab illo malorum fomite satis munitum sit; *urethra* tamen, atque apud mulieres *vagina*, potissima contagii sentina sunt, suamque cum partibus vicinis malam sortem participant. Pars mutationum, quas tum ille morbus, tum, antiquior hoc, *medorrhoea*, his in viis sibi fabricant, longe maxima, urinis ad leges sanitatis aut retinendis, aut excernendis adversa est, atque hinc, quae illas ad urethram vaginamque concernunt, jam satis indicavimus (§§. 521. 522. 525. 526. 528. 529. 532. 537. 540. 543. 546.). Pars nempe major retentionum urinae, vel ad ea, quae canalem urinalem circumambiunt, vel ad hunc ipsum, vel prostatam

tam ad glandulam, rarius seminales ad vesiculas, sedem agnoscit.

Ipse foetus, postquam utero exclusus est, primas urinas saepe, absque morbo latente, tardius, post unam alteramve diem, — saepius tamen illico a partu, excernit; in hac prima interim hominis aetate non tam infrequens morbosa etiam lotii retentio, ex spasmo oriunda occurrit; nec raro muci tenacis urethrae ad ostium interque praeputium collectio, istius culpam habet. De phimosi, tam congenita, quam per morbos adquisita, nec non de paraphimosi, ut canalis urethralis obstaculis, jam diximus (§§. 525. 526.), ac solam his observationem superaddimus: pueruli scilicet quadriennis, qui sibi ipsi cum filis praeputium constrinxerat, et quin ulla hujus causae suspicio esset, in gravem ischuriam incidit, filis etiam solutis, donec tumor hujus veli dispareret, continuatam. Glandem penis imperforatam, cum vicario subtus ad fraenuli deficientis locum, orificio rotundo, quin tamen aut urinae, aut seminis impediretur excretio, in viro nobilissimo, qui trium prolium certe pater erat, et nos observavimus. Vel, sub medorrhoea acuta, *chordam* inducente, puriformis materiae in Causae externae.

corporum cavernosorum cellulas effusio, — vel, quod tumor de hac non testetur, modo *spasmus* in causa sit (§. 522.); urethra tamen sub chorda non minus, ac sub aneurysmate, sub hydrope, emphysemate penis, vel a calculis sub externa ejus membrana contentis, sub priapismo, aut a recta directione deflectit, aut saltem angustatur, ac dysuriam ex propria inflammatione, in chorda jam tam insignem, ex compressione, constrictione, majorem longe experitur. A callo ad penis radicem haerente, urinae stillicidium, retentio, satyriasis epileptica in puerulo unius anni observata fuit, atque durissimo hoc callo perfosso, tres urinae librae effluxerunt sanitasque restituta est. Coeterum et urethra saepe per faeces induratas, intestino recto inhaerentes, a vaginae, a foetus capite aut natibus, aut uteri prolapsu, retroflexo ab utero, ab hydatide, cystide in pelvis cavo subnata, ne urinam transmittat impeditur. Urethram a scybalis induratis, in recto intestino collectis, penitus compressam, celebris *Angliae* chirurgus descripsit. Similis et nobis observatio est.

Causae in urethra.

De *pseudomembranulis*, quae sub ultimo medorrhoeae urethralis acutae stadio non raro fistulae urinalis orificium occludunt, ac ad

istud, post somnum imprimis, momentaneum allidenti lotio obstaculum ponunt, jam diximus (§. 528.). Aliquando vero firmior quidquam, nec a flumine urinae superanda, membrana urethram, — vel mox ab introitu, vel etiam posteriora versus, obturat. Ab hymene enormi foramen urethrae in infante occlusum fuisse legimus. Ipsum praeputium, cum glande concretum, urethrae orificio sese insinuasse, et cum eodem coaluisse, — vel adeo canalis partem urethralis anteriorem prorsus defuisse, observatum est. Rarissima est membranae internae urethrae, per gangraenam hoc a canali separatae, ejusque cavum cum lethali ischuria obstruentis, chirurgi *Angli* observatio; quod interim exemplum cum ejusdem membranae *prolapsu*, cujus supra mentionem jam injecimus, satis convenit. An, sicut in aspera arteria sub cynanche laringea, tracheali: ita quoque in urethra inflammata, *pseudomembrana*, quae pro intima canalis istius tunica imponat, subnascitur? Quantum vero notabilis in *medorrhoea* urethrae inflammatio urinae excretioni obsit, et quaenam hujus mali esse soleant symptomata jam satis exposuimus (§ 521.). Nec solus ille morbus incendii ad urethram Inflammatio.

causa est, ut quod et abusus cantharidum, et incauta exploratio, et frequens cereolorum, imprimis causticorum, introductio, et injectiones adstringentes, acriores, et ulcera venerea, aut alia, et corpora peregrina hoc in canali genita, vel eidem advecta, immissa, et arthritis ad genitalia conversa, et coitus violentus, aut saepe nimis repetitus, et violentiae demum externae, ut lapsus, contusio, haud raro inducunt. Quamvis nempe humor a renibus secretus, ingratam partibus aliis acrimoniam prodat; urethra tamen atque vesica, quae fluida maxime insipida, sibi forsitan injecta, mox stimuli accusant, a communi urinarum conditione offendi non solent. Quoties tamen lotium, vel sub febribus saturatum magis, vel diversis sub morbis, ut sub arthritide, sub dispositione ad calculos, sub evacuationibus, ut vocant, criticis, inquinatum, vel a cibo, potu acriore, fermentante, mutatum, vel acrioribus particulis, ut ex meloe vesicali, majali, variis ranunculi speciebus, impraegnatum, has vias alludit: toties ardor in illis molestus, atque *dysuria*, vel, sub gradu majore, *stranguria* excitatur. Sed urinis etiam nec quidquam a statu sano alienis, tam urethra, quam vesica, *morbosam*

saepe *ſenſibilitatem*, ut partes aliae, contrahunt. Una vero ac eadem membrana et veſicam et urethram interius obducit, atque hinc summus utramque inter *conſenſus* est; ita, ut, haerente in cystide calculo, saepe major ad urethrae principium, quam ad ipsam vesicam, dolor sit. Sat magnum etiam consensum urethra cum intestino recto, ut sub dysenteria, et ascaridum vermicularium ad hoc stimulo videre est, prodit. Etsi vero fibras canalis urethralis musculares non habeat; tam *spaſmodice* tamen ille haud raro contrahitur: ut omnem specillo aditum nunc pertinaciter recuset; post paucum vero tempus, cessante crispatione per nervos inducta, sat facile admittat. Sub inflammatione vero phlegmonosa, omnis fere urinae excretio praecluditur; sub erysipelatosa magis phlogosi, aut sub simplici hujus membranae stimulo, qualem causae minores, cerevisiae recentis, copiosae haustus, urinae acriores, balsama interius adhibita, et alia concitant, dysuria saltem molesta accenditur. Vidimus quondam, parasito, potum, quem *choccolatam* vocant, anhelanti, hunc ipsum, loco *vaniliae*, cum *balſami peruviani* larga quantitate paratum, quousque hunc appeteret, pro joco oblatum,

dysuriam cum haematuria excitasse perdifficilem. Generosum virum novimus, qui, toties ac succos vegetabiles cum saccharo conditos et glacie coactos hauriebat, a dysuria non modo, sed ab ipsa blennorrhoea urethrali adfectus fuit.

Effectus inflammationis in urethram, canalis hujus callositates, inaequalitates, stricturas saepe multiplices, quasi cicatrices, excrescentias spongiosas, polyposas, carunculas, filamenta, quae singula plerumque sedem suam ad fossam navicularem et versus bulbi urethrae posteriorem, prope verumontanum, figunt, nec semper ex causis venereis descendunt, et effluxum urinarum plus minus intercipiunt, aliquando in totum supprimunt, in tractatu de medorrhoea non minus exposuimus. Obliteratae in integrum urethrae exempla habentur.

Calculi urethrales.

De calculis, qui nunc ad urethram nascuntur, nunc ex vesica huc veniunt, quotidianum in illa augmentum assumunt, eandem insignes saepe in saccos dilatant, condensant, vel, excitato ulcere, penetrant fistulasque urinales in longum et latum, et ad ipsum saepe scrotum serpentes, inducunt, plura suo loco referemus. Ruptae urethrae

exemplum ex propriis diariis, quibus casus fere similes ex aliorum relationibus superaddere possemus, jam retulimus (§. 637.).

Quam partem malorum *prostata morbosa*, tum in laxando, tum in cohibendo urinae fluxu sibi assumat, jam clare satis docuimus §§. 489. 534.). Nunc, illa glandula, dura, scirrhosa, volumine aucta, nunc vero imminuta, et in se ipsam contracta est. In primo casu, ad ovi gallinacei, ad pugni, et, quod saepe vidimus, ad majorem magnitudinem haud raro tumor ascendit; aliquando hic tantus, quantum pelvis continere vix possit, detegitur. In ipsum vesicae cavum hunc ascendisse, posteriorem faciem hujus visceris dimidiam involvisse, nos quoque conspeximus. Haud raro collum vesicae circumcirca tumens amplectitur prostata, atque a morte discisse, cultri vix non apicem prae duritie aliquando obtundit. Saepe pars una hujus glandulae turgentis, adhuc sat mollis, alia vero fere lapidea, vel etiam ex cellulis, materia tenaci, caseosa, qualis est in scrophulis, aut etiam pure plenis contexta est. Calculi hinc inde hic loci quoque reperti fuerunt. Cum tumore insigni, prostata interdum mollior reperitur. Luxuriat hinc inde, Prostatae tumores.

ac appendices, sibi ipsi natura sua similes, urinae tamen excretioni aliquando contrarias, agnoscit ea glandula. Non paucae varices saepe tumentem hanc partem circumdant.

Symptomata. Senibus hoc vitium saepe, nec semper ex causis venereis in juventute praegressis, accedit. Ob istas vero frequentior vel in ipsa aetate virili hujus mali proventus est. Quotiescunque hinc obstinata mingendi difficultas adest, et catheter profundius in urethram mitti non potest; urina vix aliter, quam sub erecta corporis positione, secedit; magna hoc erit de prostatae tumore praesumtio. Frequenter vero in isto, quem digitus ano immissus ultro confirmat, post inflammationem, passu celeri progredientem, cum febre, ardore, dolore pulsante, sensu ponderis in regione perinaei, cum perpetuo ad mingendum, sed vano plerumque, doloresque augente nisu, cum summa catheteris, vel et siphonis in anum, e prominente in hunc tumore angustatum, calentem, ducti, intolerantia, — abscessus reperiuntur, non raro tandem in fistulas, ad rectum intestinum, perinaeum serpentes terminandi. Plures sic puris uncias ab ultima catheteris immissione, ex prostata, cum, ob diram ischuriam,

punctionem vesicae instituere jam apud nos constituissemus, cum insigni aegri levamine effluxisse conspeximus. Facilis interim suppurationis, in una parte hujus glandulae absolutae, ad alteram, cum insequente tandem febre lenta et tabe, propagatio est. In casu lethalis, ex prostatae tumore, ischuriae, ipsa vesica ad fundum crassior et exulcerata, medium vero illius per transversum in duas partes divisum fuit. Sub majore hujus partis tumore, rectum intestinum ita ut nec faeces transire, nec enemata admitti, aut retineri queant, utque vasa haemorrhoidalia cum perpetuo tenesmo, et quasi faecum in alvo urgentium sensu, turgeant, comprimitur. Ad quantam vero angustiam tenuis ac medius fere hoc in tumore urethrae canalis compressus sit, impossibilis saepe tenuioris etiam cereoli, vel chordae musicae, per has vias tortuosas adplicatio, facilisque catheteris ad vias alienas aberratio docent. Quo major enim prostatae tumor est; eo magis ille hinc inde colli vesicae directionem immutat: ut quod nempe, tali sub statu, posterius hoc insuperabili obstaculo et simul profundius jacet. Carcinomatosam subinde naturam hujus partis tumores, plerumque et sine hac tandem,

licet tardius, lethales, assumunt. Sub tristi hoc exitu, gangraenam huic parti, sub facili nunc aliquando urinarum effluxu, accessisse, docet observatio.

Vesic. semin. scirrh.

Rariores de *vesicularium seminalium scirrhis* observationes sunt, quam ut ex istis, hujus vitii in vesicam ejusque functiones effectus dignosci satis queant. Unicum hujus scirrhi exemplum quod vidimus, alio in loco describendum reservamus.

Gen. Ischuriae imago.

§. 771. Ex recensitis hucusque retentionis urinae speciebus et causis, apparet, symptomatum quoque, cum illarum descriptione traditorum, rationem morbique discrimina, cum illis non parum variare. *Ischuriae acutae* ac *inflammatoriae* phaenomena et prognosin, sub *cystitidis* consideratione (§§. 265. 267.), et in tractatu de medorrhoea (§§. 521. 534.), succincte jam adduximus; alterius vero mali effectus, modo gradus ac incessus ratione distincti sunt. Ex quacunque vero causa, vel in vesica vel ad urethram haerente, urina cystidem deserere non possit, nisi illa satis promta auferri queat, non multum sane temporis exigitur, ut haec retentio, sub tam copiosa hujus liquidi secretione, ac sub ejus

disposítione in corruptionem tam magna, praeviis ipsorum ureterum renumque repletione, consensu, gravique tum eorum, tum universi systematis adfectione, receptaculi urinae aut *paralysin*, aut *gangraenam* inducat. Nec adeo *diruptae* ac depletae in cavum abdominis *vesicae* exempla desunt. Quousque nempe sua vesicae superest sensibilitas; omnem ea, et proprium, et diaphragmatis, et musculorum abdominis conatum expellendo in lotio impendit, ac eosdem, quos uterus parturiens, nixus ac dolores, sed semper inutiles, experitur. His de aerumnis et ventriculus et pectus participant: nausea scilicet, vomituritio, vomitus aeruginosi, singultus, anxietas, respiratio difficilis, sibi mutuo, sub alvo adstricta, cum extremitatum frigore, sudore glutinoso, pulsibus contractis, exiguis (eo magis, quo venter ex media pelvi, altius, tumore primum circumscripto, pyriformi, tardius vero ac ubi umbilici regionem emensus est, omne fere per abdomen extenso, fluctuante, assurgit) succedunt. Pauci interim aegri hunc extensionis vesicalis ad gradum perveniunt; sed tantae morbi atrocitati, cessante nunc dolore, non itidem singultu, succedente adeo interdum spemque

vanam erigente, lotii foetidissimi, limosi, aliquali effluxu, sub gangraenae internae symptomatibus, citius succumbunt. Sunt adeo, quibus durior jam et callosa vesica parum supra pelvim, mole hujus interim ad rectum intestinum sese digitis prodente, ascendat.

Ischuriae paralyticae. Aliter longe, si retentionis urinae causa jam morbi principio in *vesicae asthenia*, aut etiam *paralysi* consistat, res incedet. Hic etenim aut paucus, aut nullus huic parti malorum sensus est; et frequenter, quod consulto hic repetimus, antequam de retentione lotii, cujus partem adeo subinde inscii amittunt, conquesti sint aegri, vesicas illis ad umbilicum usque extensas, et vim omnem hujus visceris vitalem, sub sphacelo, deletam fuisse vidimus. Singultus interim, ructus, meteorismus, praecordiorum angustiae, et hincinde vomitus, vix desunt; quae tamen symptomata, non minus ac ipse aegri interitus, causis longe aliis. quam oppletae nimis vitio vesicae adscribi solent.

Ubi lotium retentum alias sibi vias, ut putate per urachum sensim sensimque dilatatum perque ipsum umbilicum, aut per fistulas in rectum intestinum, in vaginam, ad urethram, perinaeum adpertas, paraverit

gior plerumque, sed nisi manui chirurgi- e locus concedatur, et ubi minus ex laesa ethra, quam ex ipsa vesica exesa, urinae ifugiunt, non minus ominosus morbi decur- s erit. Post tria fistularum inter intestina vesicam secutarum, atque tum faecum, m flatuum per urethram excretorum ex- npla, a nobis quondam descripta, plura ijus generis specimina conspeximus. Mu- rri nobilissimae *styriensi*, adhuc juveni, sub rtu laborioso, ante octo jam annos male actatae, a colli vesicae inflammatione, in cus ejusdem terminata, urinae per vagi- nm perpetuo et cum magna genitalium ero- one effluxerunt. Catheterem flexilem, sibi uondam immissum, hoc viscus, ut solet, utius non tulit. Pessario interim satis asso ut omnem vaginam impleret, ac ip- nm ulcus vesicae vicinum obturaret, adhi- to, per urethram quidem urinae denuo flu- runt; sed insecutis ex ponderoso nimis ssario praemagnis aegrae incommodis, le- orem huic ex resina elastica pessum, cum agno satis levamine substituimus. Hoc in- rim obturaculo, propter fluxus menstruos, riodice exemto, tum sanguis uterinus, tum tium abunde per vaginam effluere, quous-

que menses cessarent, perexerunt. Post calculi sectionem, minore cum dexteritate et successu peractam, haud raro urinae perinaei per fistulas fluunt, aut ab istis, forsitan per calculos minores hic loci reproductos, aut per callum ulceris externum, aversae, interiora devastant.

Cura retent. urinae.

§. 772. Sub tanto causarum, quae retentionem urinae inducunt, numero, sub tam diversa illarum sede ac indole, nec opem semper ferre, nec ad possibilem apud alios sanationem eadem semper cum ratione con- tribuere medicina potest. Omne hinc consilium ad fontis, ex quo morbus scaturit. investigationem dirigendum, et ex ista, num penitus ille exsiccari, an modo ad loca minus importuna derivari queat, concludendum est. Hinc, nisi praegressorum historia vitiorum praesentis mali indolem jam satis illustret, abdomen aegri sollicite palpandum, ureterum non minus, quam vesicae, inguinumque regiones attente per tactum explorandae, perinaei ac ani plaga diligenter observanda, prostatae glandulae atque veicae aut uteri, vaginae habitus et confinia duc digito, per istam, aut per intestinum rectum

protenso, permeanda, quae urethram ejusque vicinias concernunt, oculorum non minus, quam cereoli, catheteris indagine solerter investiganda ac demum excretae forsitan urinae paucae conditiones probe examinandae sunt. Si vel minima potentiae nervosae ad vesicam infractae signa compareant; ad columnam vertebralem, maxime vero ad partem ejus lumbalem, et quae causae morbosae in hanc egerint, respiciendum, et ne praesente, in typho, morbis soporosis, sub longis aegrorum deliriis, *enuresi*, latentis facile simul *retentionis* vitium nos fugiat, cavendum est. Expertus quidem medicus vel uno vel altero ex his examine, praesertim ubi suo, hoc vel illud urinae deferendae, recipiendae, excernendae organon officio sanitatis ad leges respondet, ac unum modo ex istis sat aperte laesum est, minus indigebit; nullibi interim certus in rerum causis indagandis ordo magis, quam aegrorum ad lectulos, ubi toties, in quadrivio versantes, vero de tramite deflectimus, necessarius est.

Quoties autem urinae suis in viis immotae stagnant; summa cura, ne aut illarum a renibus secretio augeatur, ac ne stimulus urinae ductibus jam nimis irritatis, novus,

vel ab urinis acrioribus, vel a diureticis, cantharidibus, externe licet tantum applicitis, accedat, adhibenda est. Potus hinc, ne saturatum nimis lotium organis uriniferis molestum sit, pro siti fallenda sufficiens quidem, sed minime abundantior, nec, qui renes magis adpeteret, frigidus, sed potius tepidiusculus, mucilaginosus, — cibi vero leniores, nec sale, nec aromate conditi, offerendi sunt. Ipse nitri saliumque in medicinis usus exulet oportet. Mollioris adeo, qui lumbos calefaceret, lecti calor fugiendus est.

C. retent. uretericae. §. 773. *Retentionis uretericae* (§. 768.), sicut diagnosis, nisi lotio, absque renum adfectione primaria, in vesica nullo, plerumque incerta est: ita quoque sanandae praecepta non parum ambigua sunt. Plerumque interim calculus, aut sabulosa, pituitosa, grumosa, polyposa materia, illius in causa vitii est; ut cujus faciliorem in vesicam descensum, quod supra jam indicavimus, tum balneis, fomentis tepidis, tum unguento ex althaea cum alcali volatili laudanoque liquido, tum blando cum enemate, non majore copia, sed frequentius injecto, tum denique emulsionum ac opii usu interno, promovere studemus.

§. 774.

§. 774. *Urinae ad vesicam retentio* (§. 769.), quae hujus visceris imprimis ad collum *inflammationem* pro origine agnoscit, ad normam in *cystitidis* curatione succincte satis expositam (§. 268.) pertractanda est Quae nempe huic ansam incendio dedit, causa, haec potissimum consideranda, et qua potest ratione removenda, vel saltem lenienda est. C. retent. vesicalis.

In *vesicae*, sub aetate senili, densitate ac subcallosa crassitie, usus mercurii, quod et nos experti sumus, insignem hincinde opem praestat. Vir sexagenarius, dum quondam, ebrius, urinae excretionem neglexisset, cum demum voluisset, eandem reddere non potuit. Nosocomium hinc *Ticinense* is petiit, et extracto, cathetere duce, lotio, sanitati restitutus fuit. Post annum, sub compotationibus urinam iterum imprudenter diu cohibuit, iterumque tardius eidem expellendae impar fuit. Ad clinicum igitur Institutum delato, catheter denuo, et quidem absque labore, vesicae commissus, et urinae magna satis copia educta fuit. Nova interim urinae quantitate collecta, vesica hanc marte proprio expellere non potuit, iterumque syringae sibi usum exegit. In coeteris, completa fuit viri hujus sanitas; nec unquam

ille de nixu ad mingendum laborioso ac dolente conquestus est; sphincteris ani hic comparuit resolutio. Cum autem, veram morbi causam nimis tarde suspicantes, eundem in sola vesisae, ex nimia dilatatione, paralysi, quaesivissemus; tum corticem, tum arnicam, camphoram, et similia, linimenta etiam volatilia vesicae regioni ac lumbis inuncta, fomentationes spirituosas ad pubem, quidquod cantharidum adeo tincturam, interne sumendam, et vesicantia ossi sacro adplicanda, — sine damno quidem, sed etiam absque fructu, praescripsimus. Per sex jam hebdomadas aeger, quotidie binis vicibus ab urinis collectis per siphonem liberandus, apud nos, eodem semper sub statu, perseveraverat; cum tandem egregii Scriptoris *Angli* de facili apud senes vesicae callescentia, et potioris in ista hydrargyrii usu, memores, ad mercurium, — ac eo quidem cum effectu, ut, absque ulla insecuta salivatione, octo dierum spatio, suas iterum vesica functiones rite absolverit, confugerimus. Cum vero a dosi mercurii satis moderata tam eximium effectum simus experti; decem grana calomelas cum uno grano opii, semel, vel et bis in die ab alio porrecta, conspicuam cervicis

vesicae duritiem perfecte dissipasse percipimus. Neque est, cur eximios hos mercurii n vesicam effectus, post illos, quos in dysphagia ex oesophagi duritie subinde praestat, miremur.

Longe interim abest, quin vesicae scirrhos, ex partium vicinarum scirrhosa adfectione frequenter oriundos, — quin excrescentias, polypos hujus visceris, aequali cum elicitate abigere datum sit; ut quae organiae constructionis vitia, vesicae sinu inclusa, ortem, quam et aliis in visceribus subeunt, ethalem semper agnoscunt. Foemineo nihiominus in sexu, largiorem, breviorem, ac acile dilatandam per urethram aliquando vel nembranam vescicae internam, vel ipsam ideo vesicam prolabi, jam diximus (§. 769.); uo in casu, partis prolapsae repositio, atue ne eadem de novo, sub tussi vel alio ub nixu, descenderet, pessi ad urethram mmissio, cum successu tentatae fuerunt. Resectae adeo exemplum membranae vesicas internae, per urethram pendentis (quam amen potius excrescentiam fuisse arbitraur) — alterum, Sarcomatis vesicae, ex rethra prominentis eandemque obturantis, elicem vero per sectionem ablati adduximus.

Vesicae urinalis in *saccos* morbosos extensionem, forsitan, sub sollicita semper urinae urgentis excretione, praevenire quidem, sed praesentem auferre ars nulla potest.

Quas *herniae vesicae*, aut cystitidis aut recti intestini, vel uteri *prolapsus*, vel hujus ultimi visceris *retroversio* producunt, ischuriae, eas prompta satis partium istarum ad situm sibi naturalem restitutio sanat. Retroversi casum uteri gravidi descripsit celebris quondam *Angliae* chirurgus: in quo nec vesica, nimis compressa, catheterem admittere, nec uterus, tumentem ob cystidem, reponi ullo modo potuit. Supra pubem hinc vesicae punctio instituta, et illa ab urinis liberata, uterus ad sedem pristinam restitutus fuit.

Pro *compressionis*, quam vesica, urinam ex hac retinens, experitur, differentia, opem illa vel aliquam, vel nullam admittit. Si *gravidi* pondus uteri urinae evacuationem, ac syringae ad vesicam introitum praepediret venter primum cum clystere solvendus, e sub situ mulieris supino vel unum vel alte rum tentandum est. Saepe vero aut hoc su casu, vel dum caput, clunes foetus, vesica materiam comprimunt, nisi tardius acced

auxilium, simplex uteri, ope digiti per vaginam ducti, sublevatio, urinam, ut super hunc abunde mox effluat, solvit. Ne vero parturientem apud mulierem cervix vesicae nimis repletae, extensae, in propriam ex paralysi perniciem, comprimatur; antequam dolores ad partum urgeant, ut urina mittatur, jubendum, vel si hoc minus succedat, catheter in vesicam mulieris mature satis mittendus, et lotium sic omne extrahendum est. Si, neglecto tali consilio, parturientis vesica cum periculo turgeret, nec urinae amplius educi vel ullo modo possent; ne lethales, quos supra (§. 769.) citavimus, eventus subintrent, adducto vix paracentesis ad vesicam gravidae mulieris feliciter institutae exemplo, cystis urinariae super pube, cum debito ad uterum respectu, perforanda, et lotio deplenda foret. Tumores, steatomata abdominis, ovarii, pelvis cystides variae, vesicae compressae causae, artis limites salutaris excedunt. Retentio urinae a scybalis in recto intestino pertinaciter nidulantibus inducta, istorum solutionem eductionem, sub clysteris injiciendi obstaculo non ubique tam facilem, sibi exigit. Semicupium ani, cum emollientibus, oleosis,

externa fomentatio, intestinum exsiccatum, ut facilius enema suscipiat, si hoc ex butyro, diutius illi adhaesuro, componatur, praeparabunt.

Illa ipsa vero, quae in *haematuria ureterica*, *vesicali*, et in ea, quam *haemorrhoides vesicae* vocarunt, quondam consuluimus (§. 633.), ubi scilicet vasa cystidis, vel ea, quae hujus cervicem exornant, a causis nunc excitantibus, nunc deprimentibus, imprimis autem a menstruis, fluxu haemorrhoidum olim consueto suppressis, varicosa et infarcta sunt, indicantur artis subsidia. Quodsi cruor, his vasis egressus, in cystide coivisse, illius vero grumi hujus ostium obturare, — aut si tenax pituita, humor purulentus, vesicam occlusisse videantur; catheter, et tepidae in cavum visceris obstructi, cauta, ne impetus noceat, injectio, coagulam hoc, aut tenaces materias a cervice removere, ac ut soluta facilius effluant, disponere queunt. Praeterea aquas *Selteranas* aut similes, pro potu aegris praescribimus.

Quae retentionem urinae a *calculis* oriundam concernunt, ea, quo loco de istis, proxima hujus operis in parte, disseremus, tradenda differemus.

Si *paralysis* retentionem urinae, et quidem ex medullae spinalis vitio, induxerit; huic ipsi, quoad licet, succurrendum, et luxatio, fractura, distorsio vertebrarum, cyphosis, suo quaevis modo pertractandae sunt. Novemdecim ante annos foeminam in clinicum Institutum *Ticinense*, cum extremitatum inferiorum et vesicae paralysi ex *cyphosi* suscepimus. Utrumque hujus ad latus fonticulum, ob mulieris pusilanimitatem non adeo profundum, posuimus. Post paucos satis dies, mingendi facultas restituta fuit, et pedum quoque paralysis sensim imminui coepit. Sic miles ex alto delapsus, et ex vertebrae unius fractura, mox cruribus et vesica resolutus, unius anni intervallo, his a malis restitutus est. Crebro interim, ubi medulla spinalis aut ab aquis, ichore, sanguine, effusis, inundatur, exeditur, aut a callo, exostosi, abscessu comprimitur, lethalis morbi exitus averti non potest. Si forsitan ex dorsi, a balneo frigido, aut a vento gelido, vel et decubitu super humo frigida, et ab arthritide, ex suppresso menstruorum, haemorrhoidum fluxu, sub fallaci lumbaginis, muscularis adspectu, inflammatio in cavis vertebrarum, paralysin tum crururum, tum ve-

sicae minitentur; cucurbitulae scarificatae, hirudines, vesicantia demum, his partibus mature satis admota, praeter alia artis subsidia. indicata sunt. Cum subitus dolor natus esset in osse sacro et coccyge, resolutio recti intestini, ut aeger nec enematis injectionem reditumque persentiret, ac vesicae paralysis cum urinae suppressione nata est; contra quam celebris quondam medicus, priusquam *vesicantium* hisce in casibus virtus innotuisset, fomenta et emplastrum ossi sacro contra paralysin admovit, et integram sanationem obtinuit. Posterior aetas, vesicantis emplastri largioris, ossi sacro adpliciti virtutem, hac paralysis in specie, sicut in ea, quae *enuresin* inducit (§. 490.), sat copiosis exemplis comprobavit; et concursus nervorum hujus partis, cum eorum ramificationibus, qui musculis perinaei et ani prospiciunt, hanc stimuli exterioris efficaciam satis explicat.

Si vero, absque labe medullae lumbalis, ipsa vesica, aut ex nimia sui extensione, aut ex causa specifica, in ejus nervos fibrasque musculares agente, praecique arthritica, resoluta sit; in eandem potissime cura omnis dirigenda est. In omni vesicae paralysi,

-lum urinis ea repleta turget, eandem prius
ub his, catheteris ope, liberandam esse, per
se jam patet. Ad externam postea hujus
visceris regionem, linimentum volatile cum
camphora et tinctura cantharidum, inungen-
dum, ac fomentatio aromatica, vinosa, cali-
de instituenda est. *Electricitatis* etiam, vel
Galvanismi, ut vocant, efficax in multis, sub-
idium hic adhiberi meretur; cavendo tamen,
ne illa vesicam, nimis debilem, succutiat;
sed, emanationis ac scintillarum blandiore
nethodo, eandem modo penetret atque ex-
citet. Interna quoque cystidis superficies
njectionum ope fovenda, et pro gradu sensi-
bilitatis, illi reliquae, gradatim stimulanda
est. Herbarum igitur aromate praeditarum,
ut rorismarini infusum aquosum, vel, quae
nagnae aliquando virtutis fuit, aqua ther-
nalis parum irritans, in cavum cystidis tepi-
le hinc inde injicitur. Diuturno interim usu
storum opus est, aegris certe molesto, nisi
lexilis catheter, ex resina elastica, qui, sine
ncrustationis periculo plures per dies, ac re-
etito, tamdiu, donec aliqua sensibilitas,
ontractilitas prodatur, adhiberi potest, in
esica relinquatur. Corticis peruviani deco-
tum per plures dies sine damno, sed etiam

absque sensibili emolumento, in vesicam resolutam injecimus. Etsi vero in genere *cantharides* in retentione urinae rejecerimus, in specie tamen illius *paralytica*, sicut externum illorum usum jam supra commendavimus; ita quoque *tinctura* ex iisdem parata, prudente manu tentari meretur. Terebinthina, vel balsamum peruvianum, cum extracto rhabarbari combinatum, vias urinarias specifico quasi stimulo adgrediens, vesicae inertis actionem revocare valebit. *Rhus radicans* in extremitatum inferiorum paralysi a viro claro nobis commendatum, non minus hoc in morbo cum successu adhiberi posse, supponimus. *Cosacki* populi circa *Danain* fluvium, infusum aquosum *solidaginis virgae aureae*, ut specificum in urinae retentione remedium considerant, ad hanc forsitan magis, quam aliam retentionis urinae ad speciem adhibendum.

Frequens admodum urinae *retentio spasmodica*, - infantibus, sensibilioris structurae hominibus communior, pro causarum differentia, diversam medendi rationem sibi expetit. Plerumque interim morbosa sphincteris vesicae sensibilitas, a causis etiam non magnis excitata, convulsivos hos motus, aut

contractionem quasi *tetanicam* inducit. Maxime tepida nunc balnea conducunt, atque jam sola interdum sufficiunt. Quo vero effectus istorum diutius continuent, fomenta ex malvae, althaeae, seminum lini decoctis tum vesicae regioni, tum genitalibus, perinaeo, constanter imponenda, similia vero, addito grano opii et oleo, in anum injicienda sunt. Cum fructu etiam aeger, ad sellam perforatam, vaporem ex infuso chamomillae tepidum excipiet. Pro potu, maxime si stimulus cantharidum dysuriam excitaverit, emulsio simplex, vel ex seminibus canabis parata, vel decoctnm radicis salep, inserviet. Calomelas etiam sub spasmis vesicae laudem, ad plura grana porrectum, promeruit, ac sub maximis doloribus, huic moschum ac opium adsociamus. Quodsi hoc ultimum hic raro sibi conduxisse, vir egregius admonuerit; spasmum tunc ex stimulo majore, vel ex vasorum cervicis vesicalis varicibus venisse arbitramur. Interdum, praecipue ubi arthriticam spasmus originem agnoscit, vesicans perinaeo admotum conducit. Ridiculum satis, sed plebis experientia communi confirmatum, dysuriae, quam recentior cerevisia inducit, remedium est: ut

nudis cum clunibus saxo frigido insideant. Alvum saltem, diu obstructam, incessus cum pedibus nudis super pavimento frigido, haud raro, medicorum adeo testimonio, solvisse visus est.

C. ret. urethralis.

§. 774. Ad *retentionis urethralis* curandae rationes transituris, post illa, quae aliis jam hujus operis in locis exposuimus (§§. 268. 536. 537. 546.), non multa nobis dicenda supersunt.

Ad extr. urethr.

Ac primo quidem, si foetus, cujus organa excernentia post partum attente examinanda sunt, in illis, quae urinis emittendis praefiguntur, nihil quod abnorme sit, offerat, nihilominus tamen lotium cum inquietudine, ejulatu, tensione retinere videatur; regio ejus hypogastrica cum cepa in medio dissecta, vel cum alcohole debiliore perfricanda, fomentis siccis calidisque fovenda, et, nisi haec jam urinam promoveant, balneo committendus est infans. Si mucus tenacior ostium urethrae obturet, cum spongia madida ille abstergendus, removendus est. Si procedente pueri aetate, praeputiolum longius et angustum, a retentis hinc inde urinae guttulis irritatum, ruborem contrahat,

et sub lotii effluxu frequenter proli ejulatus exprimat; huic parti, post quamvis minctionem eluendae, lac nutricis e sinu instillandum est. Si phimosis congenita urinae exitum constantius praepediat; chirurgiae haec auxilium exspectat. Si vero mox a partu, glans foetus imperfossa, excernendae urinae obstaculum ponet; sine temporis jactura, hanc etiam per artem, si modo vestigium canalis ad penem ea reperiat, succurrendum est. Adultorum urethra ex partium vicinarum actione compressa, distracta, nunc enemata et alvi exonerationem, nunc intestini recti, vaginae, uteri prolapsi, retroversi, repositionem, nunc vero, si minctionem ante partus opus mulier neglexerit, urinae siphonis ope promtam eductionem, vel si haec locum amplius non habeat, uteri cum foetu in vesicae collum ac urethram ponderantis sublevationem, aut partum artificialem ac promptiorem sibi exigit.

Obstacula urinae ad *interiora urethrae* opposita (§. 770.), manus quoque chirurgicae subsidio auferenda sunt. Quam urethrae inflammatio sibi curam expostulet, nec minus quae effectus istius, interioris nempe membranae urethralis duritiem, callositates, stri- Ad intern. urethrae.

cturas excrescentias, et quae prostatae inflammatae, induratae, angustatae adfectiones, — singulorum vero medendi rationem tum chirurgicam, tum medicam, concernant, pro instituti nostri fine, dilucide satis jam alibi exposuimus (§§. 268. 536. 546.). Aliqua tamen, quae dicta magis illustrent atque confirment, hic subjungimus.

Si nempe prorsus imperviae urinis sunt viae, et ubi nullis eae auxiliis sat promta, ne vesica vel gangraenae vel paralysis pericula incurrat, reserari queunt; vel ad collum vesicae, vel ad prostatam, vel ad urethram haereat obstaculum, cystidis demum paracentesin indicari, atque hanc vel per anum, vel ad perinaeum, vel super pube, vel denique in foeminis per vaginam posse institui jam diximus. Cum vero simul de punctione vesicae per anum monuerimus, eam nec ampliore sub prostatae tumore, nec sub conspicua cystidis inflammatione, nec demum si, ob majorem repletionem, hoc viscus ex pelvi jam nimis ascenderit, sat tuto posse pertundi (§. 268.); sequentem observationem, viginti quatuor abhinc annis a nobis institutam, ut quae ultimam ex allatis conditionibus illustret, hic adducimus. Caussidicus quadraginta quatuor circiter

nnorum, corpore tam pingui instructus t *quadringentas* illud libras a morte vix non xcederet, fluxui praeterea haemorrhoidum ubjectus, post iter in rheda per vias saxoas absolutum, in retentionem urinae comletam incidit. Dolor aderat lumborum, et egionis hypogastricae tensio, cum febre ontinua, pulsu pleno ac vibrante. Venam is secuerat, clysteres injecerat, unguenta, ataplasmata, balnea, tres jam per dies, inassum, et quin lotium prodiisset, adhibueat chirurgus. Ad consilium accersiti, sumnos ac insigniter dolentes ad mingendum nius, ventris tensionem, ac molem tam stuendam, ut in genua procumbens, haec ipsa mplitudine sua excederet, invenimus. Feris violenta, nausea, vomituritio, perinaei ensio ac dolor aegrum torquebant. De laente ad vesicae cervicem inflammatione miime dubitantes, venaesectionem repeti, siaul autem vesicae paracentesin ad pubis reionem sine temporis jactura institui suadeus. Nec tamen aut adstans aegro chirurus, aut duo alii, expertissimi hac in arte ri, vesicam super pube, ob ventris molem,) instrumento posse attingi credebant. Cum ero illi per intestinum rectum operationem cilius posse institui supponerent, tricuspi-

dem, hanc quidem per viam, aut per illam perinaei, ad vesicam usque, utpote jam nimis repletam, et ex pelvi assurgere coactam, non posse penetrare, amice objecimus. Quodsi timerent, ajebamus, ne moles et profunditas adipis super pube, instrumenti longitudinem superaret; musculos tamen abdominis in homine tam pingui, tenuiores fore, et si hoc tanti non esset, cute super pube prius sat profunde incisa, viam tricuspidi posse reddi breviorem. Cum vero clarorum virorum opinio, a nostra discederet; acus tricuspis solita, sex pollices longa et quidquam incurva, chirurgi dexterrimi super digito in anum ducta, ac versus vesicam adacta fuit. Punctionem interim nec primam, nec alteram vel guttula urinae secuta est. Ab omni igitur punctionis ulterioris tentamine, ut quod in homine prae pinguedine monstroso nunquam pro voto succederet, abstinendum esse conclusum fuit. Morte aegri post duos dies insecuta, in ejusdem cadavere, praesente chirurgo ordinario, cutem, et substratam ei ad quatuor pollices cum dimidio pinguedinem super pube incidimus, ac medium per vulnus tricuspidem vesicae impegimus. Mox urina per canulam copiosa effluxit. Aperto abdo-

abdomine, praeter multas in vesica, quae pelvim longe deseruerat, arenulas, ad ejus cervicem, tumorem nuci avellanae magnitudine aequalem ac suppurationi proximum, *urethram perfossam*, in rene vero sinistro novem calculos conspicuos deteximus. Cum nostra observatione plures aliae conspirant. Sic vesicam urinariam ob insignem prostatae tumorem adeo e pelvi expulsam vidit insignis quondam *Angliae* chirurgus, ut propter majorem a pube distantiam, a cathetere attingi vix potuerit. Alio in casu, tumor, qui omnem pelvim ac ipsum abdomen impleverat, vesicam ita super pelvim elevaverat, ut urethra, in longum ducta, sub costis spuriis, ad limbum ossis ilei, supra dictum tumorem jaceret. Uterum quondam describemus, in cujus visceris, longe a pelvi remoti, cavo substantiam, non mediocris magnitudinis osseam, cum tanta vaginae extensione reperimus, ut tertia parte communem vaginae longitudinem superaret. Non parvi hinc interest, ne, sub dubia vesicae, ab urinis jam plurimum turgentis, in pelvi positione, nisi tumor ejus sat amplus manifeste in rectum intestinum ponderare, cum digito huic introducto sentiatur, cystidis per anum para-

centesin, illi, quae super pube, loco magis tumente instituta, hujus visceris a cavo aberrare non potest, praeferamus.

Hunc ad locum, punctionem in viro *Ticinensi* nobilissimo ac fere septuagenario, septemdecim abhinc annis, dignam sane quae hic referatur, institui curavimus. Ob insignem scilicet prostatae tumorem, hic senex jam diu difficulter urinas, — a tribus vero diebus, ob completam, nec amplius a chirurgis superandam urethrae compressae occlusionem, nullas mingere potuerat. In consilium accersiti, vesicam ad umbilicum fere usque tumentem, et urinas in illa sub percussione fluctuantes reperimus. Punctionem hinc illius sine mora super pube instituendam aegro proponimus. Consentit quidem ille, sed morosus admodum, et ad horas sese pertinaciter adcommodare jam diu adsuetus, quidquid in contrarium moliremur, *crastinam* in diem, et quidem praescriptam, nec aliam, ad horam, chirurgos constituit. Altera hinc die, vesicae molem non parum auctam observamus. Punctione super pube instituta, lotii, sub fine turbidi, glutinosi, permagna copia emissa, canula vero in vulnere firmata fuit. Sic urinam quotidie aliquoties, adspectu

saepe purulentam, tenacissimam, odore gravem, quindecim per dies subduximus. Cum vero tunc, ne canula calculosam per materiam forsitan obducenda, e vesica, sine hujus laesione extrahi demum nequiret, timeremus; novam urethrae cum tenuiore primum cereolo, ac tandem cum cathetere explorationem a nobis propositam, „*hoc vesicae super pube ostium sibi per omnem vitam sufficere,*" jocose respondens, absolute rejecit. Suae hinc sorti morosum nimis hominem dolenter commisimus. Dum vernum tempus ad id invitasset, rus ille petiit. Copiosis illinc asparagis delectatus, *sexagesima sexta* tandem a paracentesi *die*, mensae hilariter adcumbens, ad urinas excernendas nisum in vesica, nunc sibi novum, percepit, ac matulam sibi a servo porrigi jussam, largo flumine per urethrae canalem, omnem replevit. Nunc tandem canulam sibi a chirurgo ex vesica extrahi concessit. Non quidem absque aliquo labore et quarundam guttularum sanguinis stillicidio hoc ipsum, ob illam in medio (non, ut exspectassemus, ad apicem, qui tamen medius semper in urinis deguerat) levi crusta obtectam, praestari potuit; vulnus interim canali hoc argenteo retracto, citissime coa-

luit; et cum duos post annos *Italiam* linguere debuerimus, optata adhuc valetudine hic senex gravisus est.

Imperfecta satis nobis instrumenta, huic paracentesi faciendae dicata, ex eo esse videntur: quod canula, in vesicam semel inducta, cum nova tam facile commutari, et absque magno aegrorum incommodo altera in prioris locum substitui non queat. Chirurgis tamen, si res ita videatur, non difficilem, ut putamus, hujus tricuspidis correctionem relinquimus.

Tertiam interim, ex nostris iterum diariis depromtum exemplum, quo, praeter alia, non adeo semper canulae ad vesicam diu satis haerentis, a calculosa materia obductionem reformidandam esse doceamur, hic referimus. Vir, honore et nomine clarus, sexaginta septem circiter annos natus, ex improviso ischuria gravissima corripitur cum febre intensa, tenesmo ad urinam insigni, sed inutili, aliisque, communibus huic morbo, symptomatibus. Cum rure ille degeret, medici consilio bis vena aperta fuit. Ingravescente interim per horas morbo, hujus nobis descriptio confestim transmittitur. Cum vero tunc metropolim deserendi facultas no-

bis deesset, experto rem chirurgo committimus, et nisi via in vesicam pateret, hanc absque induciis ad artis regulas parandam esse consulimus. Per anum igitur fit punctio, et aeger, cum canula ad vesicam firmata, Danubio commissus, etsi timor esset ne illam haec dimitteret, *Vindobonam* se transvehi jubet. Fortuna viro dignissimo arrisit. Continuo nempe urinae per canulam, nec quidquam a vesica remotam, sed nunc a chirurgo adpertam, nunc obturatam, fluxerunt. Cum igitur nec dolor amplius, nec febris urgerent; non modo instrumentum in cystide reliquimus, sed quoque per illud, quod urinae purulentae essent, ac non parum foeterent, frequentius injectiones quidquam aromaticas cum melle remistas instituimus; victum mollem, satis tamen nutrientem, et pauca quae alvum lubricam tenerent, ac eam sine nixu, canulae firmitati contrario, promoverent, praescripsimus. Cum tandem purior jam urina secederet, leve corticis decoctum infuso pro injectionibns adjunximus; et sexta sub finem vergente hebdomade, via per urethram concessa, *canula, nec quidquam rubiginosa,* ex cystide retracta, omnis urinae difficultas ablata, et valetudo restituta fuit.

Sub *ſpaſmodicis* urethrae adfectionibus, urinae excretioni adversis, praeter interna, jam exposita subsidia, tum balnea iterum, tum cataplasmata, genitalibus tepide admota, tum vapor aromaticus, ad eadem directus, — pars etiam una tincturae thebaicae, cum duabas aetheris sulphurici partibus remista, et urethrae longitudini, nec minus perinaeo illita, clyster oleosus, aut mucilaginosus, cum grano opii, per anum injectus, rem omnem absolvunt.

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS RUSSIAE AUTHOCRATORIS CONSIL. STATUS ACTUALI ET MEDICO, ORD. I. S. GEORGII EQUITE, MEMBRO REG. ACADEM. SC. ET COLLEG. MED. MATRIT. BOURBONICO-NEAPOL. GOETTING. MANTOVAN. MOGUNT. INSTIT. REG. GALLIAE M. CORR. FACULT. MED. VIENN. SOC. MED. PARIS. ARGENTORAT. VENET. HELVET. BERN. VILNENS. PATRIOT. MEDIOLAN. AGRICULT. BRIXIENS. MARSILIENS. ERLANGENS. PHYS. MED. AC HISTOR. NAT. MOSQUENS. OBSTETR. GOETTINGENS. LITERAR. CRACOV. UNIVERSITATUM I. I. VILNENSIS, MOSQUENS. CARCHOFIENS. CASANENSIS, M. HONOR. SOC. PHILOS. PHILIADELPHICAE IN AMERICA SODALI, CIVE BRISGOV. FRIBURG. HONORARIO.

LIBRI VI. DE RETENTIONIBUS,
PARS II.

VIENNAE, MDCCCXX.

Sumtibus C. Schaumburgi et Soc.

Viennae, ex typographeo J. E. Akkermann.

DE

CURANDIS RETENTIONIBUS.

LIBRI VI. PARS II.

ORDO III.

RETENTIONES MUCOSO-LYMPHATICAE.

§. 775. Retentiones *aereas* atque *serosas* hactenus ponderavimus (§§. 694-774). Sunt quidem varia corporis animalis liquida, vel prorsus ponderari nescia partimque nimis incognita; vel subtilis admodum atque vaporis copiosi sub specie, a corporis superficie tam interna, quam externa secreta, et modo sui parte caloris iisdem subtracta, sensibus nostris perspicua, vel, exemplo lacrymarum, salivae, propriis a glandulis, fluxu nunc lento, nunc satis impetuoso, scaturientia, quorum, variis a causis proficiscens, accumulatio, retentio, morbos inter se diversos inducant; istorum interim liquidorum collectiones, retentiones morbosas separatim hic tangendi, eo minor nobis videtur opportunitas: quod ea, quae vim atque turgorem vitales efficere, cum Transitio.

aliqua ratione supponimus, liquida, quasi aetherea, nostro sese examini obstinaciter, subtrahant; quod vero alia, sub morborum, qui solida magis corripiunt et illorum retentiones generant, historia, considerationem longe fertiliorem nobis offerant. Quamvis autem morborum divisioni, ab humorum differentia petitae, non majorem, quam *fili*, cujus ductu illorum labyrinthus percurratur, dignitatem tribuamus; quamvis animalis viventis liquores non, ut in patina inanimi, *separati* offerantur, sed varios in sensus commisti, nunc mutuo inter se coeant et cruoris undam constituant; nunc vero alio quidem atque diverso sub habitu, vix tamen omnis unionis pristinae symbolo exuti, aut lymphaticum vasorum systema percurrant, aut cava cellulosa, vel alia inhabitent; — et quamvis demum pars magna morborum, quos hic exponendos nobis assumimus, ad *vitia*, ut vocant, *localia* pertineat; non igitur inutilis, sed commoda et naturali propior, retentionum, quae nobis pertractandae supersunt, in *mucoso-lymphaticas*, in *cruentas*, ac in *heterogeneas* distributio est (§. 696.) Cum vero difficile sit, morbos ex retentione *muci* separa-

re a morbis, quos *lymphae* retentio producit, eo quod in illis aliqua saepe inflammatio simul locum habeat, sub qua, secretio lymphae morbosa, cum illa muci conjungitur; hinc utramque retentionem, quamvis eae interdum separatim incedant, eodem tamen sub capite comprehendimus.

Secretionis mucosae.

§. 776. Superficies tunicarum, secernendo, in cryptis atque folliculis, huic operi destinatis, *muco animali* praepositarum, amplissima et totius adeo corporis humani dimensione spatiosior, quo futurae nutritionis elementa, quibus ipsa obducitur, defenditur, molliter custodiat, foveat, certum per tempus quasi *incubet*, ac naturae animali magis adpropinquet, vasculis omnis generis innumeris atque nervis subtilissimis, sensu hìc specifico, illinc communi, instructis, irrigua est (§. 505.) Varios autem per casus hi fontes muciflui nunc *arescunt*, nunc vero *redundant;* nec aequalis semper conditionis humorem, sed hìc tenuem nimis et aquosum, — alibi pigriorem et aequo tenaciorem exstillant, quidquod alia subinde principia furtim transmittunt: unde *sapor* muci fatuus, in dulcem, subamarum, salsum acremve, — *odor* vero lenis ac blandus,

in tetricum naribusque infestum, vertuntur; *serenitas* ejusdem et *color* turbantur, et in pallidum atque griseum iste, aut in flavidum, croceum, subviridem, herbaceum, rubescentem, fuscum, subatrum, aut, ad morem iridis, multimodum, degenerat; omnis vero lenti humoris moles interdum, tenuioribus exhalatis, absorptis, exsiccatur nunc; alias autem, lege combinationis chemicae, coit, solidescit, et informem, duram, crustosamque in massam, ab aqua,— non tamen ab alkohole, oleo vel pingui, vel aethereo solvendam, super igne micando turgescentem, concrescit.

Sub statu sanitatis, *nares* quidem, utpote loco superiore atque declivi adpertae, uberrimam apud infantes puerosque pituitam fundunt; nec exigua hujus copia ab adultis, exceptis modo paucis, quibus narium antra perpetuo siccescunt, etiam emungitur, vel posteriora narium per ostia in fauces deducta, prolapsa, screatur, aut nauseosa actione ventriculo transmittitur; caetera tamen *organa mucifera* pituitam, moderate secretam, in usus proprios atque communes convertunt, nec, nisi stimulata et a partibus vicinis concussa, humorem

viscidum ac pigrum, data porta, expellunt. Quemadmodum igitur *profluvia* ex istis *mucosa,* morbos, (§§. 505-546) descriptos constituunt: ita eorundem absentia, nisi certis modo in casibus, pro morbo declarari haud potest. Aliter vero res constituta est, ubi, vel ob laxitatem, quae saepius in glandulis mucosis manifesta est, vel forsitan ob infractum, negatum nervorum in eas influxum (§. 466.), vel ob istarum atque ductuum propriorum ob phlogosin; aut propter obstacula quaecunque, effluxui humoris secreti opposita, hic ipse lentescit, inspissatur, puriformi materiae miscetur, ad concretiones nimis inclinat, ac suo tenaciter, ultra quam debet, adhaeret habitaculo.

Lympha continetur vel suis in vasculis, vel in cavis corporis aut sanis, aut morbosis, in quae fuit per secretionem deposita. In quantum *lympha vascularis*, aut *cellularis*, absque partium solidarum, continentium, morbosa actione, imprimis absque *inflammatorio* effectu, circumfertur, aut quiescit: nisus illius in *condensationem* non tantus est; aut si, ut in asphyxia a frigore, a compressione breviore ductuum, quidquam remoretur, aut spissescat: faci- Lymphaticae, natura.

le, caloris moderati, frictionis ope, vel ablato demum obstaculo, aut ab adfuso sero novo, diluitur ac redditur mobilior. Quandoprimum vero irritantur, inflammantur, solida et vasa, ita ut morbosa secretio, nova principiorum combinatio, sequantur: tunc animalem magis indolem assumit lympha, et solidam non modo naturam assumere nititur; sed quasi vita et vasculis induitur, novamque vix non creationem orditur (§§. 126. 129. 135. 561. 565. 566. 568. 570. 572.). Hoc ultimum vero facilius contingit in locis, e quibus lympha haec effluere aut evacuari citius non potest. Sic per urethram inflammatam, in medorrhoea, effluit puriformis materia, neque ideo connascitur, urina licet diutius non missa, canalis; quae vero ad hunc ipsum, *retro* membranas urethrae, seu ad superficiem ejus convexam, deponitur: ea mox concrescit ac densat canalem urethralem, ut coarctetur iste ac ejus lumen imminuatur. Eadem in glandulis, viscerumque in parenchymate contingunt.

Definitio. §. 777. Quotiescunque igitur organa pituitaria, lymphatica, aut quemcunque per stimulum lacessita, aut nimis relaxata, aut lege habitudinis inducta, glutinosi, lympha-

tici copiam humoris majorem concipiunt, ab eadem obruta, turgent, tenduntur, languescunt: toties morbus, quem *muci*, aut *lymphae retentionem* adpellamus, subnascitur.

§. 877. Variae hinc indolis erit retentio, Divisio.
prout vel *universi* culpa *systematis*, vel *locali* modo *vitio* exoritur; prout, primo in casu, vel a morboso *virium augmento*, vel potius ab istarum *jactura*, procedit, atque *inflammationem*, *febrem* aliquam, aut *nullam*, pro comite agnoscit. Pars fere maxima retentionum, de quibus sermo hic est, ad *symptomaticas* pertinet; nec tamen idcirco suscepta singularum in unam familiam reunio, atque adfinitatis, quae illas intercedit, brevis licet, consideratio, felici in artem salutarem influxu destituitur. Magna quoque huic morbo, ex *loco*, quo sedem suam figit, differentia, maxime symptomatum, accedit: ut quae scilicet, pro insigni systematis mucosi, lymphatici, ad *caput*, *jugulum*, *abdomen* cum *pelvi*, vel *artus* et corporis *superficiem* extensione, nunc hac, nunc alia sub forma, comparent. Species ex istis praecipuas hic tangimus, simulque incessum singularem ac indolem, quoad limites huic operi praescripti concedunt, exponimus.

ORDO III. GEN. I.

RETENTIONES MUCOSO-LYMPHATICAE CEPHALICAE.

Ad calvariam. §. 779. „Os homini sublime dedit coelosque tueri;" sed vix nascentis vertici, morborum imminentium, quos evitare haud multis conceditur, catervam simul suspendit, natura (§. 448). Quam saevos istorum effectus *caput*, sub forma *pneumatosis*, *hydropis externi*, *hydrokephali* et ipsius adeo *herniae cerebri* cum isto complicati, vel *hydroenkephalokele*, patiatur, in operis hujus Libro VI. Parte I. Ordine I. et II. exposuimus; nec minor certe *retentionum* hanc ad partem *mucoso-lymphaticarum*, et malorum existis scaturientium, est cumulus.

Tumores a compressione. Ac primo quidem, aut angustior, pro tantae molis expellendo cranio, humanae foeminae pelvis, qua foetus caput, forsitan oblique depressum, saepe per horas, quid-

quod per dies, osseis repagulis immobile una ex parte incumbit, — aut vectis, aut obstetriciae forcipis manubria ruditer nimis admota, vix exclusi pueri ad partem cranii nunc hanc, nunc illam, plerumque lateralem, dirae contusionis vestigia imprimunt: quae, primum profunda, sat celeriter in molem pomi aurantii, vel etiam majorem assurgere, calere, rubere, tactui resistere, — post paucos vero dies, mollescere, fluctuantem in centro humorem, quem false pro *pure* declares, ac paucas post hebdomadas, ovi putridi concussi adinstar, resonantem materiam prodere consuescunt. Incisus forsitan, incauti ope scalpelli, hic tumor, purulentum is minime, sed mucoso-lymphaticum, aut sanguinolentum liquorem eructat.

Haud raro in aetate puerili, priusquam *achores*, *tinea*, ad cranii partem capillatam prorumpant, folliculi istius subcutanei, aut glandulae lymphaticae mole sua crescunt, tenduntur, pruriunt ac dolent; comparentibus vero his impetiginibus, pro magna saltem parte, disparent (§. 447). Eodem fere modo, a *cantharidibus, sinapismis, unguentis escharoticis*, aut nuchae, aut loco scapulis intermedio adpositis, glandulae lym-

Tumores consensuales.

phaticae, vel ipsis adultis in hominibus, ad occiput, ex amico scilicet cum vasis hujus generis, ad illas confluentibus, consortio, in molem conspicuam frequenter satis assurgunt. Sic inter septem illustris familiae *Vindobonensis* proles, nulla scrophularum vestigia unquam comparuerant; cum vero duabus ex his prolibus adhuc teneris uterque aurium lobulus, ad leges praeconceptae *Europaeorum* opinionis de sexus foeminei venustate per talia majore, perfossus anulisque aureis ornatus fuisset: in utraque puellula mox glandulae duae lymphaticae ad angulum maxillae uno in latere intumuerunt. Post duos ab operatione hac annos, in una ex his prolibus, has glandulas adhuc duras, tumentes, — in altera vero, inflammatas et, post contractam suppurationem, a gravi genae dextrae ac frontis ipsius erysipelate circumdatas, conspeximus.

Tumores cystici. Prae aliis partibus, *capiti* humano *tumores cystici* infesti sunt, eosque in juvenili rarius, quam adulta in aetate, plerumque in parte capillata, nunc ad ossa parietalia, nunc versus frontem, ad occiput, nunc ad verticem prominentes, aliquando numerosos, albescentes, a pisi magnitudine, ad ovi gal-

linacei, etiam majoris, amplitudinem, modo lente crescentes, humore tenaci, fere albuminoso repletos, conspeximus. Inter ipsum oculi bulbum arcumque orbitae, ejusmodi cystidem, proptosis vel maxime causam, in puella decenni observavimus. Vir *Mediolanensis* nobilissimus, academiae *Ticinensis* antistes, quindecim circiter hujus naturae tuberibus ad caput adfectus, hos, inscio medico, sibi omnes abscindi curavit, et gravem inde in febrem conjectus fuit. Non multos post annos, malum hoc recruduit, ac eidem non modo, sed longe majori errori aeger indulsit. Vix enim chirurgus cystides e cranio, numerosas partimque amplas, abstulerat: cum, altera jam die, caput nudum solis verni radiis auraeque frigidae incautus exposuerit, et jam nocte subsequente funestum in lethargum miser inciderit. Per duos jam dies hunc tristem in statum conjecto, *erysipelas* ad faciem et caput universum, — non certe criticum, ut clarus tunc medicus (*Hyppocratis*, „Erysipelas ab internis ad exteriora converti, bonum esse" dicentis, effatum absque restrictione interpretatus) speraverat, comparuit; — sed, quod haec phlogosis externa, lethargo nequaquam imminuto,

interioris potius augmentum et propaginem stiterit, altero jam die in mortem conversum. Duos ad os bregmatis dextrum tumores cysticos sibi exscindi curavit *Vindobonensis* mulier quadragenaria; sed post annum, praeter inductam abhinc oculorum hebetudinem, bini similes ad suturam coronalem tumores sat magni in conspectum venerunt.

Tumores symptomatici.

Aliud vero, attentione medicorum magis dignum, exemplum non ita pridem in decem annorum nobili puella *Vindobonensi* observatum, et nobis communicatum fuit. Gracilis haec, et hemicraniae jam pluribus ab annis subjecta virgo, quoties a consueto ad latus dextrum dolore invaditur: toties ovi magnitudinis tumorem durum, rubrum atque dolentem in parte frontis vicina experitur, hemicrania cessante, mox, et quin ulla vel ad os frontis, vel in cute, hoc obtegente, vestigia remaneant, dispariturum.

Quamvis interim soli cephaleae rarissime talia succedant; a gravi tamen odontalgia, frequenter gena, dolenti maxillae respondens, sic ut pedes ab arthritide fixa, in articulos saeviente, sub aliquo jamjam dolorum moderamine, conspicue tumet, rubet caletque; ac aliis quoque in partibus, profun-

dius dolentibus, vel quas humor puriformis, purulentus, aut aquae stagnantes inundant, cutis, sub qua haec vitia latent, haud raro ab *oedemate* corripitur. Effectuum, ex *locali irritatione* in omne systema lymphaticum glandulasque istius, argumentum insigne atque notatu dignissimum sex abhinc lustris habuimus. Mulier nempe juvenis atque venusta, ob intolerabiles, quos ad *genu* dextrum, praetumidum, durum ac valde salebrosum, diu noctuque patiebatur, dolores, nosocomium *Mediolanense* plures jam per menses, — posthinc vero illud, quod *Ticini* est, petierat. In illo, quod nihil aliud profuerit, etsi tam uxor haec, quam conjux ejusdem, *nihil syphilitici* unquam praecessisse, constanter asseruerint; copiosas tamen mercurii doses, — in hoc vero, tum alia permulta, tum opium ubertim, sed omnia incassum, dederunt. Quo tempore aegram, febre lenta, depascente, detentam, sudoribus nocturnis exhaustam, primùm conspeximus, cutis ossibus haesit, ac nihil illa, nisi „*ut crus sibi abscinderetur*," a nobis efflagitavit. Nec a drachma una cum dimidia laudani liquidi, ad noctem porrecti, vel somnum, vel dolorum levamen sibi concedi, mortem anxie desiderans,

misera conqueritur. Quamvis autem nec scrophulis, nec alio, noto sibi, morbo antehac unquam laborasset, vix ille ad *genu* comparuit, cum omnes sibi glandulas lymphaticas undique volumine augeri persenserit. Ac revera, innumeros mox, variae magnitudinis, tumores globosos ad jugulum, brachia, thoracem anteriorem, maxime autem ad ipsum mesenterium, nec minus ad crura, tactu distinximus. Tussis fuit nulla. Etiamsi vero summa totius corporis macies subesset; major tamen fuit *pedis*, sub genu tumente, *atrophia*. Toties interim, quò crus adfectum sibi amputaretur, petenti, „centum inter aegros tali sub morbo, jam adeo provecto, vix quinque per cultrum servari," infelici mulieri respondimus; nec tamen, nullum, absque istius subsidio, posse sanari, celare potuimus. „Quid vero tu, haec inquit, sub tali, spem inter et mortis discrimine, proportione, crus mihi abscindi, ultro recusares?" — Convocatis igitur, ut suam quisque de re tam ardua opinionem exponeret, singulis nosodochii chirurgis atque medicis, hi omnes, ob vires jam prorsus consumtas habitumque aegrae, ut quivis supponebat, scrophulosum, non alium, quam citius lethalem amputatio-

nis eventum praevideri posse, contra nostram opinionem, credebant. Accersitus nunc eundem in scopum chirurgiae hac in academia illustris professor, non diversam is, ab illa aliorum, operationis prognosin instituit. Cum vero huic viri magni ac amici assertioni experientiam, quae doceret, maxime in *Anglia*, non paucis, quamvis jam summopere exhaustis, aegris *tumorem*, ut vocant, articulorum *album*, per amputationem membri adfecti, felici sub omine ablatum fuisse, opposuissemus; tam fausti eventus, ut nos ipsi, bene conscius, etsi non hoc morbi genus, sed *necrosin* ad genu latere, convenissemus; operationem ille, ut solet, dexterrime, absque temporis jactura, instituit. Quodsi vero nunc, felicem hujus operationis chirurgicae eventum referendo, peritis in arte viris nihil novi dicamus; id saltem, ab hac sectione instituta, *tumores glandularum* morbosos, fumi adinstar, quotque erant, *omnes disparuisse*, sat novum esse, fateri oportet. Atqui membrum ita resectum ac museo *Ticinensi*, more solito, commissum, *cariem* quidem insignem, sed, unde parum aut nihil resorberi, quod alio, quam *locali stimulo*, systema lymphaticum irritare valuis-

-set, potuit, *siccum* ad genu articulum exhibuit. Similia fere tumorum in abdomine durissimorum ex *arthritide*, a pedibus ad viscera ventris aberrante natorum, exempla alibi referemus.

Ad nares. §. 780. De *coryza* et *ozoena* disserentes, muci genesin morbosam ad antra, sinus, anfractus, canales, quibus membrana pituitaria supertenditur, ejusque phoenomena et causas exposuimus (§§. 507. 508. 509. 514). Quodsi tunc, ratione symptomatum, quae tam principium, quam finem *catarrhi nasalis* comitantur, *profluviis* hunc subjugandum esse concluserimus; si tamen, quae sub medio hujus morbi incremento contingunt, spectemus: nihil obstat, quin eundem *retentionibus* haud minus adfinem esse dicamus. Illa imprimis hujus catarrhi varietas, quam scholae *gravedinem* vocarunt, et quae pertinaciore muci his cavis collecti tenacitate, ac stagnatione non minus, quam gravioribus symptomatis sese distinguit (§. 508.), huc pertinet; atque tam fortem hanc in viro juvene robustissimo, qui, postquam foco aliquamdiu (frigori, mox acriori sub venatione exponendus) adsedisset, conspeximus: ut ea, prima invasionis jam die, intolerabiles ad

frontem dextram dolores et, praeter animi deliquia, convulsiones quasi epilepticas provocaverit. Summa narium, et simul antri Highmoriani, diversas apud gentes, differentia, quae vero ex ista pendeant morbosa incommoda, nobis incognitum est. *Africae* meridionalis incolae, nares compressas,— populi *septentrionales*, ossa malarum prominentia agnoscunt.

§. 781. Neque solas ad nares proprie sic dictas, seu ipsum adoratus ad organon, haec muci limitatur retentio; sed, quousque nervi olfactorii haud penetrant, ad *sinus frontales, sphoenoidales*, *antra maxillaria*, ut ipsa coryza (§. 508.), extenditur; et quo angustior istorum cum illis communicatio est, eo magis timenda erit. Etsi vero longe plura *suppurationis*, hos ad sinus observatae, exempla referantur; saepius tamen a tunica mucosa, quae cava haec investit, in catarrhis ubique tumente, nec raro inflammata, exitus a sinubus frontalibus et antris *highmori* ad nares angustos penitus occludi, secretum vero his in caveis serum, cum muco, puriformi materia, remistum, vel mora temporis exsiccari vel, penetrante huc aere atmosphaerico, oxygenii actione Ad sinus frontales.

principii, cogi, vel in *materiam adipoceream* converti, condensari, exemplis constat. Sic principem *Spirensem* quondam, immani sinus dextri frontalis gravedine adfectum, curavimus: quo sub morbo et febris, et capitis obnubilatio, et dolor, supercilio quidquam superior, magnus et fixus, oculi dextri lacrymatio, naris hoc in latere siccitas, per sex hebdomadas continuaverant: donec aeger, reclinato ad anteriora capite, materiam quasi ceream, ex albo flavescentem, compactam, tribus circiter lineis crassam, pollice vero longiorem, perfecta mox valetudine gavisurus, sternutando rejecerit. Quemadmodum vero contingens in sinubus frontalibus suppuratio, aut caries, praeter mala, quae cerebro, vel superiori palpebrae, per saniei haec in loca transitum, haec ultima minatur, non modo *foetoris* ex naribus perpetui, sed interdum adeo, sub dolore ad illos, mox obtuso, mox acutissimo, interdum cessante iterumque redeunte, sub siccitate naris in latere adfecto, *amauroseos* periodicae causa esse queunt; ita quoque rheuma, seu catarrhalis hos ad sinus adfectio diuturna vel fortior, aut succedens huic tunicae mu-

cosae durities, profundius ad ipsas nares expansa, tum odorem, tum visum ipsum aliquando infringere ac foetorem ex naribus causare, imprimis vero insecta varia, ut exempla complura docuerunt, tum ad istas, tum ad sinus ipsos ita adfectos invitare possunt. Sic, referente scriptore *Berolinensium* anatomico, per plures menses magnam odoratus jacturam fecerat subtilesque odores non amplius percipiebat infans: cui mucus radicem nasi versus, in corpus durum concreverat, ac nervi olfactorii ramulos compresserat.

§. 782. Pari vero ratione ad *antra maxillaria* serum, mucus, puriformis humor, angustiore, vel clauso ex tumentibus membranis *ostio*, a naribus diutius aversa, tum copia obesse ac distendendo, dolorem hic obtusum, profundum, sensim vero acutissimum, cum calore ac macula rubra, aliquando cum tumore quasi oedematoso, ad genam, producere, tum corrumpi acriorve reddi, tum, ut exempla docuerunt, in massam duriorem, adipoceream, aliquando putrido quasi caseo persimilem, converti potest. Nec desunt certe casus complures tumorum, quos tunicae mucosae, diuturnis Ad antra maxillaria.

a catarrhis vel et incendio, haec ad antra luxuriantis, excrescentiae fungosae, polyposae, steatomatosae, cancrosae, cum diris illorum cruciatibus, cum insigni mandibulae superioris, in ceream quasi mollitiem conversae, tam ad exteriora, quam ad palati fornicem extensione, et cum ipsius adfectione oculi gravissima, induxerint. Sic mense Majo 1794, mulierem, a febre tertiana correptam, *Ticinense* in clinicum suscepimus, quae simul antri *highmoriani* sinistri morbo, primùm catarrhali, correpta fuit. Hujus mala, imprimis ad superiora, ita intumuerat: ut oculum sinistrum jam aliquo modo ex sua orbita expellere coeperit, atque ipsa lacrymalis caruncula a nasi radice recederet. Cum his vero symptomatis, utriusque maxillae occlusio seu trismus simul incessit. *Rastadiensis* foeminae, anno 1771, diuturnis ad antrum maxillare sinistrum doloribus quasi rheumaticis summopere ac plures per menses vexatae, tres quondam dentes, quamplurimum vacillantes ac perfecte jam nigros, simul vero superioris maxillae particulam emortuam, duorum digitorum ope, nos ipsi extraximus: quo facto, haec mulier, liquidum, quò

patens maxillae antrum depuraret, ore pluries susceptum, toties, delphini adinstar, per narem sinistram cum impetu, stupefacta, rejecit; post paucas vero hebdomadas, concretis in integrum gingivis, perfecte restituta fuit. Facile tamen sub hac oris et antri maxillaris communicatione morbosa, ciborum portio hoc ipsum cavum subintrat, ac ibidem, ut corpus peregrinum, mora temporis corrumpendum, novum stimulum, dolores atroces novumque incendium inducit.

Cum descripta sinus maxillaris ipsius adfectione, nec *dentium*, radicibus suis saepe altius ad illum ascendentium, *dolores*, — nec morbus, magis nervosus, quem *trismum faciei* nominant, — nec demum simplex ac modo externus *genarum rheumatismus* confundi debent. In primo scilicet casu, aliquando tamen cum sinus maxillaris adfectione complicato, dentes, ac eorum imprimis radices, cariosi sunt, aut vacillant, aut morbosum colorem assumserunt. In dolore faciei nervoso, de quo alibi loquemur, catarrhalia haud praecesserunt ad nares, ad antrum maxillare, symptomata, et per vices ille magis furit, sopitur saepius iterumque, cum distractionis musculosae momentaneo

effectu, atrocius recurrit. In rheumate genarum externo, cutis earum sensibilior, calidior, saepe latius rubra, inflammata est; nec nasi cavum correspondens, siccum permanet.

Ad canales nasales. §. 783. Quamvis sub statu sanitatis, nullae ad *saccum lacrymalem* glandulae compareant; quotiescunque tamen ab accedente catarrho aliove a stimulo, tum illud receptaculum, tum *canalis nasalis* irritantur, aut phlogosin concipiunt; copiosi mox noduli exsurgunt, humorem mucosum, puriformem, ubertim plorant, hasque vias, eodem, vel ob tenacitatem, densitatem, vel ob auctam parietum crassitiem, ad cava narium descendere cohibito, inundant, in tumorem, aliquando dolentem, extendunt, relaxant, lacrymarum susceptionem praepediunt, *epiphoram* (§. 150.) creant; naris, ex qua parte malum haeret, siccitatem inducunt, ac erosionis fistulaeque lacrymalis primordia ponunt.

Ad tunicam pituit. §. 784. Quousque vero *tunica pituitaria* penetrat, frequentior ibi, scilicet ad os ethmoideum, ad ossa turbinata, palati, ad septum narium, ad sinus frontales, antra maxillaria, ad ductus nasales, *excrescentia-*

rum fungosarum, polyporum mucosorum, membranae ut dicunt, illius relaxatae, sed potius, ut nos credimus, *pseudomembranae,* in tumorem polypiformem, aut sacciformem extensae, albescentis, subcoriaceae, vel pituitam, vel liquidum serosum continuò plorantis et, pro varia atmosphaerae conditione, nunc magis, nunc minus turgentis, pultaceae interdum, vel et densiore materia repletae, *prolapsus* sedes esse consuevit. Unico pedunculo instructi, hi prolapsus, sicut quivis alter polypus nasalis, *figuram,* a principio, pyriformem, sensim vero, nisi fluidum contentum perpetuò regurgitent, aequalem cavo, in quo haerent, assumunt; mox vero informes hoc deserunt, naris ex ostio vel uno, vel et altero, prominent, atque hoc cum dolore distendunt ac distrahunt, narium sepimentum distorquent, ossa ipsa nasalia interdum sua a sede expellunt, facici aspectum magnopere immutant, defoedant, omnemque per nares aeris ingressum avertunt, odoratum omnem delent; mox vero superiora versus ac retro ascendunt, canalium nasalium ostia comprimunt, lacrymas a naribus avertunt, saccum lacrymalem extendi, tumere, inflammari, excoriari, fistu-

Polipiformes prolapsus.

lamque contrahere, subinde inducunt; palatum pendulum deprimunt amplumque in velum expandunt, ossa narium, palati, separant, ad fauces denique promtius, *orbiculari* sub *figura*, descendunt, transitum ciborum aerisque ipsius vias intercipiunt, partes omnes continentes distrahunt, comprimunt, inflammant, exulcerant, tandemque cariem ad ossa narium progenerant. Pro vario autem cavo, e quo hi prolapsus vel polypi propullulant, vel ad sinus frontales, vel ad antra maxillaria, vel ipsas ad nares, vel ad vias lacrymales: specifica cuivis loco symptomata, difficulter tamen abditis in cavis distinguenda, sub initio producunt. Polyposi tumores in sinu frontali geniti, nunc externam modo laminam istius osseam elevant, destruunt; internam autem intactam relinquunt; alias vero et istam, vel calvariae in cavum urgent; vel eandem consumunt, ac motum cerebri, sub ipso sinus periostio pulsantis, manifestum oculis reddunt, atque hoc viscus comprimendo, apoplexiam subitaneam provocant. Chronicae quasi coryzae perceptio, sub tempestate humida, quam sicca, sensibilior, odoratus jactura, minor solito muci nasalis effluxus, hujus denique

perfecta suppressio cum sensu ponderis ac irritationis ad partem narium adfectam, frequens sternutandi nisus incompletus, dolor tandem huic junctus, ac materiae gummosae, aliquando foetidae, flavae, viridescentis, vel durioris, potissime polypi his in partibus luxuriantis phoenomena sunt.

Aliquando tunica narium mucosa tota, sine omni prolapsu, spongiae in morem, turget, ac ostia narium opplet aerique penitus claudit. Aliàs *verae* satisque conspicuae, ut omnem aeri ad nares ingressum negarent, *hydatides* in illa membrana detectae fuerunt. Frequentius catarrhalis hujus tunicae, quo loco cùm velo pendulo descendit, inflatio, posteriora narium foramina, per mucum condensatum quodammodo coarctat, ac dolorem, vel ustionis ingratae sensum, donec hae crustae largiores, durae ac asperae, ex faucibus screentur, sub deglutitione magis molestum, inducit (§. 508.) Ad dextram nasi alam, ut refert vir gravis, fovea, et in fundo istius punctum nigrum comparuit, primò quidem vix diametro auctum, tandem vero passu celeri extensum. Margines ejusdem elevari, varii sulci, prominentiae variae formari videbantur. Tandem hic tumor,

fère pollicis latitudinem adeptus, omnem nasi alam dextram et apicem obtegere ipsamque alam sinistram attingere, conspectus fuit. Extremae hujus excrescentiae orae, duabus tribusve lineis elevatae, tuberculis, hìc rotundis, illinc acutis, pisiformibus, verrucosis, obsessae, sinubus, linea una alterave profundis, divisae, liquidum flaviusculum, subcereum, ex istis emittebant. Cum vero conspicui chirurgi hoc mali genus ad *cancrum* retulissent; ab alio, illud, escarotici pulveris beneficio, a nare illaesa separatum protinusque sanatum fuit.

Ad uvulam.

§. 785. *Uvula* quoque, non ex glandulis, sed ex duplicata oris tunica in veli palatini mediam appendicem efformata, haud raro humores, nunc aquosos, nunc magis mucosos, concipit, turget, inflammatur, interdum suppurat ac sub phlogosi, imprimis venerea, frequenter eroditur, consumitur. Post frequentes inflammationes catarrhalis indolis, uvula saepe tam aequo major, quam durior manet; nec tamen idcirco de *scirrhi* natura participat. Quem usum physiologicum haec particula habeat, non satis certum est. Aegrum vidimus, qui, tam velo palatino, quam ossibus palati ac nari-

bus, ex causa syphilitica, privatus, has partes ex corio usto, uvulam vero ex aurea lamella, velo pendulo articulatim conjuncta et mobili, ingeniose prorsus sibi ipsi fabricaverat. Cum vero hic quondam, sub somno, uvulam hanc artificialem, ut sibi videbatur, deglutiisset, nec tamen sub loquela, vel deglutitionis sub opere, hujus sensum jacturae perciperet; appendici huic in futurum, absque noxa, valedixit. Saepe vero uvula sub cynanche faucium, imprimis catarrhali, serosa, pituitosa, ut vocant, oedoematosa turget, ex pallido rubet et, quasi pellucida, in longum ducitur, ac super ipsa linguae radice, per plures aliquando hebdomadas, aut adeo per menses, propendet, *uvulam prolapsam* dixerunt. Exemplum uvulae, derepente, adeoque laxatae habetur: ut ea anteriores usque ad dentes, sensu vix ullo instructa, nihilominus tamen a solo gargarismate, ex summitatibus *vitium* (ex pampinis vitis viniferae?) eodem die, normalem iterum ad extensionem reducenda, haereret. Uvulae *a nativitate*, adeo in longum extensae, ut mediam sui ad partem rescindi debuerit, casus refertur. Eandem oris particulam, triplo, quam debuisset,

majorem, prorsus insensibilem, ac ita exsanguem, ut, resecta, cruoris nec guttulam ſunderet, celebris *Daniae* chirurgus adnotavit. Uvulae prolapsae, simul tam *durae*, ut cultri chirurgici aciei resisteret, historiam, *Galliae* acta chirurgica conservant. Magna hoc uvulae procidentis a statu incommoda sunt: continua scilicet in faucibus titillatio, et corporis peregrini, in iisdem defixi, molesta sensatio, muci ad fauces, constanter irritatas, affluxus et collectio, perpetua screandi, tussiendi necessitas, ac frequentior a sommno evigilatio, nausea, vomituritio, sub deglutitione difficultas, ac aliquando, propter glottidis viciniam, imprimis sub inspiratione, magnum, nec *Hippocrati* ignotum, suffocationis periculum. Uvulam hinc inde in magnos tumores, *sarcoma* magis, ac *fungosas excrescentias*, quam verum *scirrhum* sistentes, elevari, docet observatio, sub qua, hanc particulam resectam pondus unciarum duarum habuisse legimus.

Ad glandulas sublinguales.

§. 786. Sub lingua vel ad *glandulam sublingualem*, saepius apud teneros infantes, quam apud adultos, subinde *tumor* fixus, immobilis, nunc modo in una, nunc

in altera parte frenuli, ex ductus salivalis obstructi extensione, sat celeri passu oritur, vel pisi, vel nucis avellanae, juglandis, aliquando ovi, magnitudinem adquirens, interdum pellucidus, salivalis, ab egregio quondam *Italiae* chirurgo *hydroglossi* nomine donatus, saepius vero materia albuminosa, gelatinosa, mucosa, aliis in casibus sabulosa, calcarea, repletus: *Ranulam* seu *Ranam* vocant, graeci vero *Bátrachon* dixerunt. Magnae scilicet expansionis capaces sunt *ductus salivales*, vel propriis a calculis, vel a callo, vel aliter obstructi: ut et libram materiae sabulosae *sublinguales* continuisse visi sint. Non semper interim tumorum hujusmodi sedes sub lingua, his in canalibus, sed aliquando etiam in *cystide*, a tela cellulosa, in plura loculamenta divisa, ac humore albuminoso gravida, quaerenda est. Saepius ranula, *oedematis* speciem, tandem vero, sub rubore, calore, dolore, inflammationis imaginem refert. Quovis interim sub casu, effectu tumoris sublingualis quidquam grandioris, functio linguae circumdatur, ac non modo loquela, suctio, deglutitio ciborum, arcentur; sed, a continua pressione tum dentibus, ut alveolos

suos deserant, tum ipsi maxillae inferiori, ut cariem aliquando contraxerit, violentia infertur.

De *mole linguae* morbose aucta (§. 165.), ac de *glandulae* parotidis tumoribus, alibi (§§. 174-177.) jam egimus. *Stenoniano* in ductu tumores, salivalibus maxime a calculis, interdum subnasci, constat experientia.

Ad tonsillas. §. 787. Sunt quibus *tonsillae* a natura defuisse referantur; alii, quibus eaedem aequo majores, ast vero sanae (*Physconia tonsillarum*), increverint. Aliis ex morbo strumoso (scrophuloso), syphilitico maxime, vel a praegressis iisque repetitis inflammationibus (§. 172.), organa haec, vel uno, vel et altero palati in latere, tument, faucium que isthmum non parum coarctant, interdum vix non omnem, cum suffocationis periculo, obturant. Frequenter tonsillae suppurationem concipiunt; saepe vero duritiem, vix unquam tamen *scirrhosum* characterem (§. 177.), contrahunt. Sic ut salivales glandulae, ita et *tonsillae*, etsi *muco* magis, quam humori salivali, secernendo praefixae, calcarea materia, aut vero calculo, aliquando sunt gravidae, ac istorum producunt symptomata.

§. 788. *Gingivae*, praeter adfectiones alias, suo loco exponendas, plerumque symptomaticas, haud infrequenter uno alterove in loco tenduntur, tument, dolent, inflammantur, ac in suppurationem hinc inde abeunt (*Parulis*). Dentium quidem, aut difficulter prorumpentium, aut suas ad radices morbosorum, culpa frequenter haec succedunt; haud raro autem gingivarum substantia vel a rheumate, vel ab externa violentia, vel a latente maxillarum carie, vel specifico mercurialium effectu, vel ex variae indolis ulceribus, vel aliis a causis minus adhuc cognitis, hoc loco, vel alio, inflatur ac, ut ipsos quandoque dentes ibidem superscandat et obtegat, masticationi adversa, tumet. Ad gingivas.

§. 789. Maxime dentium cariosorum, vel ulcerosae gingivae culpa, *excrescentiae*, quasi carneae atque polyposae, subinde spongiosae, vel et quasi cartilagineae, indolentes sub initio, plerumque basi lata, rarius pedunculata, instructae, longitudinis non minus, quam molis interdum conspicuae, ad maxillam praeprimis *inferiorem*, ac *externam* saepius gingivarum ad faciem, oriuntur: quae excrescentiae, *Epulidis* graeco sub nomine, ipsos inter dentes hinc inde Epulis.

sese insinuant, hosque aliquando divellunt. Ex causis diversis, praesertim vero ex frequente per dentes conquassatione, laesione, inflammatur interdum sanguinemque plorat *Epulis*, vel ex ulcerationem suspectam, haud interim cancrosam, experitur. Sub ipsa *Epulide*, maxillae caries latitasse, aliquando visa fuit.

Ad glandul. Meibohmii.

§. 790. Ipsae quoque palpebrae, ad *tarsos*, glandulas muciferas agnoscunt, quarum humor, effluere impeditus, tumores excitat (hordeolum) quasi cysticos, pisiformes, sub statu recente minores, mobiles, molestos magis, quam sensiles; tardius vero notabiles, immobiles, duros, *vix tamen scirrhosos* aut in cancrum mutandos; saepius autem lenta inflammatione rubentes, palpebrarum conjunctioni adversos, in abscessulum pronos. A praegressa in longum tempus phlogosi, hic humor tenacior vel acrior, tarsos infestat, *psorophthalmiam* rebellem inducit, sub somno imprimis palpebras ciliorumque bulbos conglutinat (*ancyloblepharon*), erodit, exulcerat. Nec aliae desunt ad palpebras glandulae, quas chronica magis, quam acuta inflammatio persaepe prebendat, et liquidis, densitate

non minus, quam acore molestis, infarciat.

§. 791. *Oculus* adeo ipse ab humoribus mucosis, lymphaticis, tum suas inter membranas, tum ad contenta, suffunditur interdum (§§. 151. 155.). Sic inter *corneae*, quidquod inter *lentis* ipsius, vel capsulae ejusdem lamellulas tenuissimas, in *cavulum* istius, in *cameras* utrasque, in *humoris vitrei* ambitum ac substantiam, sub chemosi, metastasi, haud raro humor *puriformis* secernitur, deponitur: qui humor, concrescens, maculas, opacitates, varias cataractae species, coecitatem, hypopion *puriforme* magis, quam vere *purulentum*, constituit. Hinc inquantum stagnans in lentis substantia, vel in capsulae ejusdem contextu, liquidum, *organicam* necdum naturam induerit, sed corporis quasi peregrini indolem retinuerit: incipientis cataractae solutio, ardua quidem et rarior, sed certe non inaudita, et huic rationi demum hypopii, spurii scilicet, cum solis emollientibus, vel sub motu corporis, sanati exempla innixa sunt. Ad oculos.

§. 792. Nemo est, qui, mucum sibi ex *tuba Eustachii* in fauces destillasse persentiens, experimentum, auditus ex obtuso in Ad tubas Eust. et cava tympani.

acutum illico converti, simul in se ipso non fecerit. Quemadmodum nempe organorum auditus apud surdos quondam homines post mortem investigatio, in *cavo tympani, processus mastoidei in cellulis*, ac *in ipso labyrintho*, prout suo tempore referemus, haud raro humorem aquosum, puriformem, aut etiam purulentum, — quidquod et cariem ad partes vicinas, et ipsum adeo ad cerebrum late expansam ostendit: ita quoque certum est, mucum, pituitam, albuminosum humorem, ad eorundem cavorum tunicam, catarrho, rheumate, aut phlogosi correptam, quandoque secerni, atque nunc memoratam per tubam, cum bono aegrorum, in fauces defluere; nunc vero, cum gravi auditus laesione, iisdem in spatiis retineri, condensari. Mucosae etiam simul ac albuminosae, aut vero sebaceae materiae, qualis cutem foetûs ex utero exclusi obtegit, circa tympani faciem externam retentioni, ac in pseudomembranam concretioni, *duplex* illud, ut vocant, *tympanum* adscribes, quod quidem prolium longe plurimarum ex auribus, exsiccatum, corrugatum ac cerumini commistum, sine damno gradatim secedit; in quibusdam vero aliis, in membranam firmiorem, tympano

morbose supertensam, convertitur atque, vel rarissimo exemplo, tardius, auditu mox restituto, rejicitur; vel, omnem tympani, crassioris, vibrationem intercipiens, surditatem perpetuam producit.

Ad meatum auditorium.

Humor, bili adfinis, hac interim viscidior, odoris leniter aromatici, subacris, ex oleo, fellis illi analogo, ex albuminosa mucilagine, et ex materia amara, colorem obscure flavescentem, ut videtur, impertiente, constans, in propriis folliculis, meatûs auris externi parietibus innixis, hunc in canalem, quò eundem obducat, lubrefaciat, ac insectorum ab ingressu custodiat, apud infantes copiosior minusque pinguis, ab aeris accessu mox cerae mollescentis in consistentiam cogendus, secernitur, *cerumen* dixerunt. Huic igitur *cerumini*, nisi cautam per artem subinde educto, facile sub mora longiore corrumpendo, acriori atque rodenti, varia, quae pulveris subtilis sub forma per aerem circumvolitant, miscentur quotidie, duriorem, quidquod fere gypseam aut lapideam in massam concrescunt, aut forsitan, quemadmodum in bile, ita et hoc in stagnante diu humore, calculosa subnascitur concretio, quae singula canalem auditorium, ne

undae atmosphaericae tympanum impellant, obturant, comprimunt, irritant, — incompleto adhuc opere, susurrus auris adfectae ac, praeter capitis, istius e latere, dolores, plenariam demum surditatem producunt. „*Sordes hominibus in auribus dulces, mortales, — amaras, non esse,*" Hippocrates (prognosi ab uno modo medico, *germano*, confirmatâ) monuit. Forsitan major et huic succo animali concessa attentio, non modo in *phthisi*, sed aliis quoque in morbis chronicis, in *diabete* praeprimis, plura notatu non minus digna, offerret.

Non tamen omnem externi meatûs auditorii obturationem huic soli ceruminis vitio tribuendam esse, viri quondam egregii, post multa, huic organo infesta, aliorum, cerumen educendi conamina, *exostosin* in illo meatu, surditatis ut causam detegentis, nos docet observatio. Sic etiam investientis meatum auris externum membranae inflammatio, aut ab hac inducta durities molesque aucta, excrescentiae ejusdem fungosae, polyposae, vel et glandulae scrophuloso sub habitu tumentes, suppuratae, effectus ejusdem indolis agnoscunt.

Causae ret. m. l. capital. §. 793. Consideratis hucusque retentio-

num mucoso-lymphaticarum, quae *caput* infestant, praecipuis characteribus atque phaenomenis (§§. 779-792.), ad *causarum*, unde illae scaturiant, scrutinium pervenimus. Non multum hae distant ab illis, quas partim ipsis *profluviis* mucosis (§§. 466-514.), partim vero retentionibus in genere (§. 698.), subesse monuimus; ac modo paucas ex illis hìc tangimus, quae ad partem corporis supremam atque nobilissimam, prae alia, humores dictae indolis coacervant ac retinent. Sicut ipse catarrhus, ab atmosphaerae vicissitudinibus inductus, cum retentione vaporis blandi, animalis, quem vasa secernentia continuò exspirant, et cum organi secernentis ariditate ac intumescentia insolita incipit, mox alium longe, serosum scilicet ac stimulantem humorem dimittit, ac tandem muci copiosi, puriformis excretione absolvitur: ita quoque causae eaedem vel salutarem hanc solutionem retardant, vel jamjam susceptam praepostere suspendunt, ac veram muci retentionem, organis retinentibus atque vicinis molestam, progenerant. Frigus igitur subitaneum, tam corpori universo, quam calvariae (ob recisos forsitan incaute, sub ti-

neae, achorum praesentia, sub tempestate iniqua, capillos) vel naribus et ori, huic magis patentibus, maxime post diuturnas sermocinationes, post declamationes oratorias, rixosas, admissum, potusque glacialis, faucibus aestuantibus ingestus, potissime huc spectant. Sunt, quibus major, a natura, tunicae mucosae ad nares et fauces laxitas, sensibilitas, ac frequens idcirco per omnem vitam istius catarrhus faciliorque ab hoc obstructio est. Teneri infantes, vel a solo, in cunis, pedum refrigerio, constanter fere coryza, somnum necessarium, eoquod ore adperto pro naribus supplere necdum didicerint, avertente, laborant. Saepius vero repetita membranae pituitariae catarrhalis adfectio, eandem ad infarctus mucosos magis magisque disponit. Sub fortiore quidquam ac febrili catarrho, raro aliquod illius tunicae incendium deest; ac sub isto, lymphae morbose secretae cum muco miscetur ac in concretiones magis tendit materia.

Non exiguam morborum chronicorum, quibus tunica narium mucosa subjecta est, partem pulvis herbae *nicotianae tabaci*, variis rebus, sanitati adversis frequentius remistus, errhinorum, vel adstringentium,

in cohibendis narium profluviis, abusus, violentiae externae, naribus, vel sinubus mucosis illatae, osseae particulae per illam separatio ac in tunicam mucosam directio, sternutationes fortiores saepiusque repetitae, habent. Summas vero noxas naribus faucibusque, variolarum, scarlatinae, luis venereae virus, tum quoque rheumatismi, scrophulae, scorbutus et aphthae inferunt. Vapores etiam acriores, metallici, vel ex acidis mineralibus elevati, huc revocandi sunt: ut qui ad ipsos usque sinus, ossibus calvariae, ac maxillae superiori insculptos, penetrando, pituitariae membranae infesti sunt, ac humores illius, copiose prolicitos, condensant et cogunt. Nec minus insecta, vermes, his aliquando in sinubus nidulantes, et corpora peregrina, cavis narium intrusa, vel et calculi, violentiae externae, huc pertinent. Ipse mercurius, ob luem veneream vel copiose nimis, vel diutius, quam par est, administratus, faucibus saepe funestus fit. Polyporum atque excrescentiae fungosae cujusvis genesi, frequenter tunicae mucosae exulceratio pro fundamento est. Dentium quoque, imprimis eorum, qui antro *Highmori* correspondent, radice sua ali-

quando longiorum, caries, aut illata maxillae superiori, sub illorum contractione violentia, ad morbos sinuum maxillarium diversos vel maxime contribuunt. Sublinguales glandulas haud raro frenuli, apud infantes vix utero exclusos, imprudens per ungues obstetricum laceratio, ac subsequens hanc inflammatio, in tumorem expandit, aut varias his e locis excrescentias provocat. Ranulae ipsius causa, in canalis excretorii glandulae sublingualis obliteratione consistit. Cystici tumores non aliam hìc loci, quam coeteris in partibus, originem habere videntur. Calculi vero, in singulis, quae salivam secernunt, glandulis non tam infrequens generatio, ductuum illorum cavitatem pessumdat, ac salivae non minus, quam muci, insolita hìc irritatione expressi, retentionem inducit. Glandulae parotides aeque ac submaxillares, a causis morbi, quem (ad *exanthemata* potius spectantem), minus bene ad *cynanchen externam* revocavimus (§. 174.), non parum adficiuntur, ac frequens in febribus a contagio gravioribus parotidum est, plena periculi, inflatio (§. 83.). Tubas *Eustachii*, tum densa pituita interdum infarcit, tum aphthae, ulcera faucium, impri-

mis venerea, excoriant, ac aliquando claudunt, vel et polypus ex naribus descendens comprimit. Coeteras retentionum cephalicarum rationes, sub descriptione illarum jam satis exposuimus.

§. 794. *Prognosis*, quae expositas hìc retentiones mucoso-lymphaticas ad *caput* concernit, momenta, pro magna parte, alibi (§. 177. 515.), ac sub ipsa symptomatum recensione adduximus. Jam sola sub coryza, donec ea solvatur, sensus odoratûs et gustûs suspenduntur in totum; sub completa vero et constante morbosae materiae in cavis narium, in sinubus frontalibus, maxillaribus, retentione, constans etiam functionum, quibus ampla haec antra praesident, abolitio est. Praeter hanc, ex narium internarum per materias concretas ac densas obturatione diuturna, quamvis declivis hujus partis positio, ac viae utrinque satis patulae, retentae effluxum materiae, adhuc mobilis, facilitent, sicut ex succrescente his in locis polypo, canalis quoque nasalis compressio, obturatio, lacrymarum collectio et sacci, qui has colligit, expansio, irritatio, inflammatio, denegata illarum ulterior susceptio, *epiphora*, haud raro sequuntur. Polyporum incom- Prognosis.

moda et summa interdum pericula indicavimus (§§. 561. 565. 566. 568. 569. 570. 572. 574.); vidimusque talem, qui, durus, albescens, fere cartilagineus, in fauces protrusus, has omnes vix non in totum replevit, ac modo ex parte, quò aer et pauca modo fluida transirent, exscindi potuit. Multi quidem scriptores, *polypos nasales cancrosos* commemorant, ac illum, qui durior, sublividus, varicosus, cum doloribus et interdum cum haemorrhagiis jungitur, consuetis remediis resistit, et fluidum acremve humorem exstillat, hoc nomine insigniunt: ad *sarcomata* tamen, haud raro ex causa venerea, strumosa (scrophulosa), aliquando vero ex carie oriunda, is pertinet. Frequens horum polyporum, etsi resectorum, vel etiam exstirpatorum, repullulatio est. *Polyporum duorum*, suo extremo in antra maxillaria protensorum, apud gravem scriptorem *batavum* historiae exstant; ac certe polyporum talium tum firmitas, tum durities, figura, circumferentia, originis, positionis, complicationum diversitas, prognosin constituunt. Qui polypi, vel quae excrescentiae fungosae, sarcomata, in sinubus frontalibus, maxillaribus succrescunt, ea, sicut obscuram

admodum diagnosin, ita spem paucam perfectae sanationis, admittunt. Simplex muci, aut puriformis humoris in antro *Highmori* collectio, aliquando per ostium cum naris cavo vicinae communicans, aliquando artis chirurgicae subsidio, educitur.

Gurgulionis, volumine, longitudine, duritie aucti, cum sensus hujus particulae tunc sat obtusus, interdum fere nullus sit, etsi *Veteres* ejusdem recisionem, ne *phthisis* pulmonalis, aut *loquelae vitium* exinde orirentur, veriti sint, non difficilis est prognosis.

In *ranulae*, vel cystici tumoris sub lingua haerentis, vel et sarcomatis ad frenulum sanatione, laesionis vasorum istius discrimina, tum quoque mali, nisi prorsus exstirpati, facilis recursus, a chirurgo praevidenda sunt. Rara saltem exempla habentur, in quibus operatio chirurgica recens natis infantibus profuerit: utpote quorum illa, suctionem non minus, quam deglutitionem praescindit ac, praeter haemorrhagiae discrimina, sanguinis, aut lactis per glottidem descensum lethalem facilitat.

Tubae, ex aure interna in fauces descendentis, *vitia organica* medelam vix non

omnem excludunt. Vel ipsa interim natura monstrante viam (§. 775.), injectio in illam proposita et, quamvis clari viri hujus possibilitatem operationis vivente homine aut negaverint, aut problematicam dixerint; a quibusdam tamen chirurgis, rara tunc felicitate, aliquoties peracta fuit. Nodum vero hunc viri *Lugdunensis* eximii solvit nostris diebus industria: qua scilicet, per repetita in cadaveribus experimenta, propriam cuivis tubae syringem adaptare, et hos per canales liquida quaecunque, surdorum hominum in aures, facillima cum opera, et magno in aegris quibusdam effectu, propellere didicit: qui felix rerum successus spem erigit, in posterum humores serosos, mucosos, albuminosos, puriformes, purulentos, in cavo tympani, fato surditatis hucusque ineluctabili, collectos et retentos, nunc, diversarum ope injectionum, prudenter institutarum, mature satis et antequam coiverint, aut, corrupti, vicinis ossibus lethalem cariem induxerint, posse quandoque resolvi atque per fauces elui.

Ceruminis quidem induresccentis, mature satis suscepta *solutio* successu non caret; difficilior et aliquando, nisi mechanici

ope auxilii, ubi lapidis duritiem ac indolem cerumen contraxerit, haec erit. Siphylitica satisque recens in meatu auris externo suborta *exostosis*, sanationis spem justam admittit; quam tamen vetustior, vel indolis ignotae tumor ossis tam duri morbosus omnino excludit. Talem nos ad ipsum os petrosum, in viri militis, non alia ex causa apoplectici, cadavere, multis abhinc annis *Bruchsaliae* deteximus.

Tumorum cysticorum, vel strumosorum meatûs auditorii excisio, eo quod illi cum tam propinqua tympani membrana forsitan intimius concreverint, nec minus ob loci angustiam, tam difficilis, quam dubia est.

§. 795. Etsi rerum gerendarum ordo, quem hac, *de cognoscendis et curandis hominum morbis, Epitome* amplexi sumus, ad *Epischeses*, seu excernendorum retentiones, separatim atque accuratius, quam id aliis in operibus, usui academico dicatis, hucusque factum sit, considerandas nos induxerint; non tamen idcirco ea, quae sub morborum *classibus* aliis, hoc in opere jam absolutis, exposita, ob adfinitatem reciprocam, ad *retentionum* simul illam spec- Cura.

tant, repetenda esse censemus. Sic, ubi amplam *catarrhorum* familiam, *profluviorum classi* subjugavimus: ipsas istorum causas, sub alia rerum positione, vel adeo sub alia modo ejusdem morbi periodo, *retentionem* saepe producere, satis insinuavimus; ac ubi illinc de medendi ratione in *gravedine*, in *sinuum frontalium, antrorum maxillarium*, in *faucium, tracheae, bronchiorum* oppletionibus mucoso-lymphaticis, quaestio fuit (§. 505-516.), praecepta has ipsas pertractandi, ab illis *profluviorum* regendorum prorsus separare noluimus. Quae igitur hisce de retentionibus, ad aegrorum lectos pertractandis, in libro de istis praescripsimus, ea ex allatis jam regulis ultra patebunt; et quae, exceptis illis, quae magis ad *chirurgiae* forum pertinent, his addi, opportunum nobis videtur, sunt pauca, et quidem sequentia:

Sub retentionum mucoso-lymphaticarum ad caput regimine, sicut aliis in morbis, potissime ad causas, e quibus illae scaturiunt (§. 763.), respiciendum est. His, quoad licet, moderatis, devictis, reliqui eorundem effectus, cum remediis, cuivis speciei adpropriatis, saepius vero cum subsidiis chirurgicis,

imminuendi, vel radicitus exstirpandi sunt. Ea ipsa, quae ad *inflammationes cephalicas*, et ad *profluvia mucosa* exposuimus, curationis praecepta (§§. 162. 167. 178. 504. 516.), instantes *retentiones* praeveniunt, ac praesentes haud raro dissipant. Non paucae retentiones mucoso-lymphaticae ad caput, modo *topicam* adfectionem sistunt, et localia modo auxilia sibi exigunt. Quae vero ex fonte venereo, scorbutico, strumoso, arthritico, propullulant: ea nonnisi exsiccata impura hac scaturigine, auxilium locale, aut chirurgicum, admittunt.

Multas hujus indolis ad caput retentiones, debitum hujus partis nobilissimae a prima juventute *regimen* praecavet. A quo tempore de *physica infantum educatione* tot libri Europam inundarunt, ab usibus paternis nimis saepe cum damno recessimus, ac novae, prolibusque haud raro funestae, irrepserunt consuetudines. De sola capitis infantilis, mox primis a partu mensibus denudari soliti, ac incauta ad omnes atmosphaerae vicissitudines expositione hic loquimur. „*Omnem corporis superficiem, in faciem, injuriis atmosphaericis absque noxa restituram, effigito!*" Vir eloquens, **Prophylactica.**

ipse tamen neque medicus, neque cunis infantum praefixus educator, consuluit. Atqui tamen et ipsa natura, nascentis pueri calvariam, diutius, quam bestiarum illam, adpertam, crinibus munivit; et tenera pullum per menses sub alis maternis sollicite fovet avis; nec animal quodcunque in sylvis tam ferum est, quin prolem, non modo vix natam, sed jam firmo ingressu matris vestigia sequentem, sinu proprio diutius recondat, et anxie a quovis frigore custodiat. Quidni igitur hominis, pro longiore vita, extensae magis infantiae subjecti, caput, breviore indigeret custodia? Nullum apud populum, quam apud *Britannicum,* a quo hic proles suas, adhuc teneras, indistinctim quibuscunque atmosphaerae injuriis nudo capite exponere consuevit, *hydrops cerebri* tam fequens est; et quousque, jam senes, recordamur, nunquam in prima hominis aetate tot mala calvariae totque ad caput retentiones, tam aquosas, quam mucoso-lymphaticas, observavimus, quam a quo tempore, in frigidioris adeo coeli regionibus, hos novos educationis physicae mores, coeca imitatione, introduximus. Nec ipsi recentioris aevi *Angliae* medici maxime conspicui,

aliter nunc sentiunt. Sunt certe infantes, qui haec immunes pericula effugiant, ac ita forsitan capite, virili in aetate minus sensibiles, atmosphaerae injuriis facilius resistant; sed quantus eorum, qui huic tentamini misere succubuerint, est numerus! et quid nos, aetatem, in qua densior calvaria jam consolidata, et major puerilis corporis firmitas est, donec hoc impressionibus aeris rudioribus sensim assuesci curemus, exspectare, ac finem demum eundem tutius assequi impedit? Caput igitur infantis recenter utero exclusi, donec primos vitae annos superaverit, et coma quidquam densior illud operuerit, — non quidem velaminibus obruendum, sed tamen leviter fovendum, nec frigidae humidaeque tempestati petulanter exponendum est. Hac scilicet ratione, ac praecipue si pedum simul refrigerio apud teneriores proles, vel mediis in cunis tam facili, obvenimus; innumeras systematis cutanei atque glandulosi ad caput infantile adfectiones morbosas praescindimus. Nec ideo magis recentiorum consuetudini, qua capillos puerorum proxime arca caput rescindunt, aut qua istud, ovium dinstar, sollicite tondunt, utpote naturae,

ornamentum ac tutamen hoc calvariae non absque ratione impertienti, contrariae, favemus.

Gravedinis. *Gravedini*, quae non adeo ex febris inflammatoriae, aut incendii localis, catarrho narium juncti, vehementia, quam ex tunicae pituitariae inertia, laxitate, in longum protrahitur, vapor aquae tepidae, levi principio volatili ex floribus sambuci, foliis salviae, majoranae, imbutus, ac naribus admissus, attractus, opportunus est. Saepe, his in casibus, mannam electam in herbarum dictarum infusis solutam, naribus frequentius in die hauriri, bono cum effectu curavimus (§. 516.)

Errhina. Quod emetica ventriculo, hoc *errhina* sunt naribus. Sicut vero illa motum convulsivum in stomacho provocant; ita haec, diaphragmatis motum violentum, omne corpus superiora versùs concutientem, ac in vasa cerebri ac narium potenter agentem excitant. Ipsa tamen natura, *sternutatione*, ad rejicienda, quae naribus molesta sunt, cum magno saepe ad caput, et grata subinde per omne corpus perceptione, utitur. Saepius interim longe alio, quam qui rejici possit aut debeat, a stimulo sternutatio exo-

ritur: illius, quae ex titillatione narium, vibrissarum evulsione, vel ex muci, membranam pituitariam oblinientis, defectu, ex phlogosi istius, ex rerum volatilium exhalationibus excitatur, exemplis. Sic virum nobilem, vix mensae adsidentem, continua mox ac vehemente sternutatione correptum vidimus, quem ad *sinapis*, etsi longe ab ejus naribus remoti, odore constanter experiri solebat. Sic virginem observavimus, quae, simulac potus; *chocolata* et *caffe* dictos, hauriebat, sub initio, nec tardius, ter quaterve sternutare cogebatur.

Quanta vero ex sternutatione saepius repetita et nimis violenta, tum cerebro, tum vasis illius ac narium, tum omni corpori, imprimis apud homines succiplenos et pingues, vel gravidas apud foeminas, violentia inferatur, haemorrhagiae tam internae, quam externae capitis, narium, pectoris, herniae, abortus, prolapsus, hoc e fonte hinc inde venientes, testantur; atque communis, fere omnes apud populos, *sternutantibus salutem adprecandi*, usus, ominosam aliquando hominibus sternutationem fuisse, docere videtur. Salutis recuperatae signum, e contrario, vulgus, apud *conva-*

lescentes sternutationem esse praetendit; ac ob summum nervorum nasalium in coeterum corpus imperium, potente errhinorum stimulo iu asphyxiis utimur. Mendico peregrinoque homini, motus epilepticos omnimque abolitionem sensuum, quoties id sibi, lucri causa, competeret, simulare nobis suspecto, media sub hac morbi scena, quondam nicotianae tabaci hispanici subtilem pulverem inopinanti naribus profunde satis intrusimus: nec stimulo huic potenti, quin repetitis sternutationibus dolum mox proderet atque fugam celeriter arriperet, resistere is potuit. Veteres quondam, ex opinione prorsus hypothetica et falsa, cerebrum per nares, in quas frigida ex illo pituita destillaret, posse depurari, *errhinorum* usui fortisan plus justo indulserunt. Etsi vero istorum, naribus quidquam altius commissorum actionem difficulter praescriptos inter limites coerceri posse fateamur (§. 516.); hujus tamen classis remediorum posterior ac perfecta quasi neglectio, non prorsus et ubique excusanda nobis videtur. Ipse herbae nicotianae tabaci, apud non adsuetos huic homines, coryza jam satis matura laborantes, mucum narium, sternutationem frequentem

excitando, egregie satis expellit; ac sunt oculorum, viarum lacrymalium, sinuum frontalium, maxillarium, adfectiones catarrhales, vel aliae, serosae, quas ejusdem usus externi remedii, aut calomelas, saccharo conjuncti, feliciter dispellat. Quoties igitur in aegris minus repletis et habitûs laxioris, copiosior pituita nares continuò infarciat: toties *errhina* leviora, naribus attracta, inflata, locum utique habebunt. Liberatis a muco his partibus; fumi aromatici, per atmosphaeram ambientem dispersi, vel naribus paulo propius ac saepius admoti, alkali volatilis aura, laxitatem earum nimiam corrigent.

Difficilioris longe naturae cura retentionum, qualiumcunque demum, in *sinubus frontalibus* atque *maxillaribus*, ex eo, quod nullus fere haec ad antra remediis sit aditus, esse consuevit (§. 509.). Sub statu quidem inflammatorio, praeter communem methodum, hirudines, vel super orbitas, vel ad maxillae superioris integumenta, gingivas, adplicitae, spongiarum, lacte, aut decocto emolliente, tepido imbutarum, impositio atque, sedato quidquam adfectionis impetu, linimenti volatilis, sacculorum siccorum, her- Sin. front. maxillar.

bis aromaticis repletorum, usus conducunt; absoluta vero jam cavorum istorum, ab humore mucoso, puriformi, albuminoso, vel alio, repletione, ac illius forsitan facto jam coagulo, ob orificiorum, quibus hi sinus in cava narium hiant, angustias, a tumentibus eorum velamentis, aut ex muco condensato longe magis adauctas, contentorum, nisi adhuc satis mobilium, vix ulla, nisi spontanea, subinde ex sinubus frontalibus liberatio, — ex maxillarum vero antris, plerumque artificialis modo, per manum chirurgicam, eductio possibilis est (§. 516.). Incertior nempe retentionum ad sinus frontales diagnosis, ac variabilis nimis eorum extensio et capacitas videntur, quin, supposita etiam vel puris, vel alterius materiae in illis praesentia, ossis frontalis super orbitis perforatio cum sat constante successu institui, ac materia contenta educi queat. Eximius interim rei oculisticae apud *Viennenses* scriptor, hanc ipsam operationem jam pluries cum ausu felici suscepit, collectumque his in cavis mucum condensatum eduxit.

Antrorum maxillar.

Alia vero *antrorum maxillarium*, quorum parietes hac a causa tandem quasi emolliti, nunc ad palati latera, nunc exteriora

versùs, in tumorem, digitis aliquando cum sono cedentem, extenduntur, conditio est: quo scilicet in casu, chirurgi hucusque, vel ostium, quod ex nare ad sinum maxillarum ducit, cum specillo adperiendum, vel ad locum, ubi major est ossis, sic adfecti, prominentia, nunc ad latus palati, nunc ad malam, nunc, extractis primum dentibus, antro maxillarum contiguis, per istorum alveolos ac intima illius velamenta, tricuspidem infigendam, aut etiam partem fornicis palati lateralem longiore hiatu infringendam, et humorem contentum, nisi forsitan justo jam densiorem, emittendum, hoc vero in casu, facta prius injectione, diluendum, ac demùm provocandum esse, jusserunt (§.516.).

Fateamur interim, tam violentam methodum, vel minus necessariam, vel saepius damnosam, cum retentiore, *de abnormi antri highmoriani metamorphosi"* scriptore, et nobis hodie videri. Ardua nimis plenaque stimulo, in vivo homine, ostiorum, quae ad antra haec ducunt, investigatio, — saepe vero, ob turgentes continuò et conniventes eorum membranas mucosas, inutilis est. Dentium, nisi jam cariosorum, extractio, ad minimum, super-

flua, — alveolorum perforatio, eo quod cibi, ne in cavum maxillare subintrent, arceri vix queant, saepe noxia, — largior vero ossium effractio, periculi non satis immunis videtur. Quodsi compacta jam materia adipocerea, concretio fungosa, polyposa, steatomotosa, hìc loci resideat; injectio sola, ad consumendas, destruendas, luxuriantes has substantias, haud sufficit. Ipsius igitur sinûs maxillaris, ad *fossam maxillarum*, perforatio, si, clauso in narem illius ostio, liquida modo in illo materies restagnaverit, — in casu vero contenti hìc coaguli adipocerei, tumoris, instituta diagonalis simul antri hujus in oris cavum perfossio, injectiones causticae leniores, immisus filorum, numero augendorum, imminuendorum, vel turundae his adpensae, oblevioris, et cum unguentis escaroticis obductorum, omnino praeferenda videntur.

Nec minus ad *chirurgiae* forum spectat retentionum aliorumque morborum ad *canalem nasalem*, *saccum lacrymalem* nascentium, *polyporum* tunicae mucosae, *prolapsus uvulae*, *ranulae*, *hordeoli*, *macularum ad oculos*, *hypopii*, *cataractae* jam provectae, pertractatio; atque ne manum in

messem alienam mittamus, medendi rationem, his retentionum diversarum effectibus opportunam, a claris chirurgis jam satis expositam, ex consulto hìc non tangimus. Antequam scilicet haec mala tantam ad molem insurgant, cognitio causarum, e quibus illa scaturiant (§. 790.), medico prudenti, ad ea, quae de retentionum cura generali monuimus (§. 700.), attento, non raro, quò effectus tam sinistros feliciter praescindat, occasionem largietur.

Largam sane superficiem tum oris, tum narium cava auxiliis externis offerunt: ut quorum actione illa non minus, quam tubi alimentaris facies interna, respondet, eamque vicinis partibus communicat. Hinc summa interdum balneorum particularium, gargarismatum, masticatoriorum, in oris tunicam mucosam, — in illam vero narium, non errhinorum modo, sed antimonalium, mercurialium, volatilium, in disipandis retentionibus, non modo propriis, sed quoque vicinis, virtus esse consuevit. Sic in ipsa *cataracta* incipiente, aethiops antimonialis, cum saccharo mistus, — mercurii sublimati portio exigua, in aqua destillata soluta, volatilia, naribus caute ad-

mota, aliquando profuerunt; ac nova partis, in qua humor lentus pigre restagnat, irritatio, quam electricitas, galvanismus, ac nova interdum febris, vel et inflammatio, nobis suggerunt, resorptionem illius potenter aliquando promovisse conspecta est.

ORDO III. GEN. II.

RETENTIONES MUCOSO-LYMPHATICAE JUGULARES.

§. 796. Angustae per guttur ad pulmones ventriculumque viae ducunt, quarum conspicua, undecunque procedat, coarctatio, utriusque visceris functionibus, ad vitam et ad reproductionem necessariis, obstat. Impedimenta, quae, ex humoris mucoso-lymphatici, vel albuminosi, in confiniis harum partium retentione, perniciem his ipsis minantur, exceptis tamen illis, quae de *pseudomembranis*, sub *chynanche laryngea*, sub *tracheitide*, saepe generatis (§. 173.),— quae de *oesophagi*, ex praegressa inflammatione, *mutationibus* (§. 172.) jam diximus, et quae de hujus ultimi tubi angustationibus infra referemus, hìc modo rimabimur. Transitio.

Quasi interna tracheae tunica, bronchiorum in annulos procidisset, *graeci* primùm, dein quoque princeps *Romanorum* medicus, Bronchokele.

„tumorem, cutem et asperam arteriam increscentem, quo, modo caro hebes, modo humor aliquis, melli aquaeve similis includitur, interdum etiam minutis ossibus pili immisti sunt, et ex quibus quidquid est, tunica continetur," *Bronchokele* vocaverunt. Cum interim rarissimis tantum, nec unquam conspectis nobis, in casibus, tumor talis ex *hernia tracheali* proveniat: hoc equidem nomen pro tumoris ad asperam arteriam specie, — non vero pro cujusvis ad guttur prominentiae appellatione, conservabimus. Recentiores *Germaniae* scriptores, non thyreoideae glandulae, sed telae cellulosae, quae isti vicina jacet, tumorem, *Bronchokele* vocari jusserunt; rejecta interim, ex justis rationibus, *hydrokelis* appellatione, qua tunicae vaginalis testiculi hydrops quondam insignitus fuit: non est, cur reprobatum vix ad testes nomen, nova ád guttur citum vix ad testes nomen, nova ád guttur civitate donemus.

Struma. Nec minus aequivocum *strumae*, a *Latinis* modo „*scrophulis* et *exstantiae cuidam in tergo*, quae *gibbus in pectore* vocatur," impositum nomen est. „Struma nempe, ut summus illorum medicus definit, tumor est, in quo subter concreta quaedam

ex pure et sanguine, quasi glandulae, oriuntur: quae vel praecipue fatigare medicos solent; quoniam et febres movent, nec unquam facile maturescunt; et sive ferro, sive medicamentis curantur, plerumque iterum juxta cicatrices ipsas resurgunt; multoque post medicamento saepius: quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent. Nascuntur maxime in cervice, *sed etiam in alis et inguinibus*, *et* in lateribus. In mammis quoque foeminarum se reperisse, *Mages* auctor est." Monente vero antiquo de re veterinaria scriptore, „plerumque *strumae* et parotides, aut *scrophulae*, jumentorum guttur infestant."— „*Sues* anginae maxime et *strumae* obnoxios" naturalis historiae parens declaravit. Quodsi igitur glandulae thyreoideae protuberantiam, a scrophulis sic dictis toto coelo diversam, cum Recentioribus, *strumam* non minus appellare vellemus; ad ambiguitatem nominis, quam veteres minus evitarunt, novam occasionem nos ipsi porrigeremus.

Cum vero aliud genus tumorum in glandulis conglobatis, praesertim ad collum, quod *graeci* χοῖραδες, a χοῖρος (porcus) vocarunt, *scrophulas Latini*, a *scropha*, porco foe- Scrophula.

mina, appellaverint; inurbanum saltem ac indecorum non minus, quam potissime pro *locali* humani gutturis adfectione incongruum, morbi, qui *noster* esse potest, a *sue* desumtum, nomen dicendum, et sane cum illo *thyreophymatis* commutandum est.

Thyreophymatis definitio. §. 797. Est vero *thyreophyma* tumor topicus, inter cutem et asperam arteriam hujusque confinia, in glandula thyreoidea potissime, rarius vel tardius in ejusdem contextu cellaloso externo, intercutaneo, vel utrimque, increscens: utplurimum a materia aquosa, mucoso-lymphatica, vel albuminosa, hunc ad locum, in pluribus quasi folliculis aut cystidibus retenta, nunc subliquida, nunc vero coacta, lardacca, fibrosa, indurata; rarius ab aere, aliquando a varicibus, oriundus, plerumque cuti concolor, indolens; sub initio spongiosus, elasticus, successu temporis saepe inaequalis, quasi cartilagineus, aut osseus, aut fere lapidescens, ac basi nunc lata, nunc satis angusta, a gutture haerens, vel plus minus monstrose propendens.

Divisio. §. 798. *Tuber* igitur *gutturosum*, vel *thyreophyma*, morbus, quem nunc *bronchokele*, nunc vero *strumam* vocarunt, a no-

bis nominabitur; atque sic, excluso illo, quod *fugax*, vel *menstruum*, aut *spurium* dicimus, pro varia tumoris sede ac origine, tracheophyma *cellulosum*, *glandulosum emphysematicum*, ac *aerokele*, ut morbi hujus topici species agnoscimus.

Quamvis autem thyreophyma pro morbo *locali* declaraverimus; est tamen, ubi *fatuitati alpestri*, seu *cretinismo*, ut vocant, junctum, universalis morbi praecipuum illud *symptoma* constituat; nec certe *strumarum*, ut *scrophulas* vocabimus, cum thyreophymate *complicatarum*, aut hujus adeo ab illis producti, exempla desunt. Etiamsi quoque thyreophyma, *chronicum* dici morbum, revera conveniat; *acuti* tamen hujus indolis tumoris specimen habemus; habent et alii, non tamen multi. Nullum morbum thyreophymate magis *endemicum* conspeximus; nullibi tamen hoc idem *sporadice* non occurrit. Etsi vero prolium tenerarum, *ex utero materno gutturosarum*, exempla, testimoniis virorum, medias inter alpes medicinam exercentium, innixa, prudenter et absque injuria negari non queant; rarum tamen ante septimum, vel undecimum aetatis annum, tracheophyma est. *Haereditarium*

hoc dicere, quamvis plures in una eademque familia gutturosos viderimus, et quamvis matrem, duabus cum filiabus ab eodem malo non modo, sed a *cretinismo* simul adfectas, prope *Viennam* in *Austria*, conspexerimus; non tamen, cum claris licet viris, audemus. Praeterea, vel omnem glandulam, vel modo lobum ejusdem medium, aut lateralem, atque tunc vel dextrum, vel sinistrum, thyreophyma occupat.

Symptomata. §. 799. Gutturis humani tubera lente plerumque, aliquando tamen citius, progerminant. Primo in casu, per duos tresve annos remisse circa laryngem tumor, magis latus, quam altus, insensilis, cuti concolor, vix distincte circumscriptus, spongiosus ac mollis, a pressione foveam non retinens, observatur. Hanc aetatem adepto, duos tresve per annos sequentes, etsi nunc sibi homo magis caveat, promtius illius augmentum, in altum magis, quam in latum esse, majorque illi tensio, elasticitas, accedere consuevit. Profundius paulo tumori adactus digitus, unum alterumve quasi nucleum, quidquam magis pressioni, quam partes vicinae, resistentem, subrotundum, ac sub cute, adhuc aequali, magis inaequalem,

vel, si plures eorum sibi adjaceant, tuberosum percipit. Atque hucusque haec tubera gutturalia anterioris quidem juguli speciem deformant, virginisque, propriae pulchritudinis sollicitae, animum dejiciunt; nec tamen aut vocis amoenitatem, blanditiem auferunt; nec quidquam incommodi producunt. Jam quoque venae subcutaneae, antehac minores ac absconditae, ampliatae magis diametro, tumorem hinc illinc superscandere, coeruleoque colore notatae, varicosae, eminere incipiunt. Hic vero tumor nunc vel anteriore sui parte versùs sternum, laxe magis pendet, ac pedunculo, aut magis contracto, aut latiore, formam pyri inversi ac mobilis assumit; vel, resistente nimis apice, basi sua, sicut in columba satura, magis divergit et, ad latera extensus, jam durior ac sensim vix non cartilagineus, fere osseus in aliis, omnis in laryngem, tracheam et in partes ejus vicinas ponderat. Hoc ultimo in casu, praecipue si tumor compactior, partes sibi subjectas arctiusque concretas, retrorsum, interdum ad ipsas cervicis vertebras, magis comprimat; primò quidem vocem et loquelam ille alterat, eamque asperam, inamoenam, specifice sc-

noram, coaxantem quasi, reddit. Tardius vero, imprimis ubi fistulam aeream fere omnem tumor ambit, respiratio fit anhelosa, difficilis, sub ascensu motuque corporis celeriore difficilior, venae glandulaeque jugulares vicinae, compressae, tumere incipiunt, ac sanguinis a capite per illas reditus, cum faciei rubore, livore, intumescentia, cum vertiginosis soporosisque adfectibus, vel et sanguinis frequente ex naribus profluvio, plus minus intercipitur. Interdum ipse, a sinistris descendens, urgetur, distrahitur, coarctatur, ac in ciborum demissione impeditur oesophagus. Compressi adeo vix non in totum ac tenuem in fistulam laryngis, et asphyxiae, quidquod mortis tandem apoplecticae, vel suffocationis exempla non desunt. Arteriae asperae, in Thyreophymate, quasi in vagina, haerentis, et utrumque ad latus in laminas compressae, casus refertur. Cartilaginosos tracheae annulos, a majore thyreophymate, quasi ruptos, vel infractos, magnus *Germaniae* anatomicus aliquoties conspexit. Est, ubi tumor gutturosi in thoracem et ad ipsum mediastinum descendisse sit visus. In casu altero, citiore scilicet thyreophymatis

augmento, cui glandulae thyreoideae labes, plerumque tardior, subjacere haud solet, sed cui violentia, sub nixu, clamore, sub partu difficiliore, sub vomitu effreni, inducta, et extensio gutturis abhinc major, pro causa esse consuevit, tumor interdum quasi *emphysematicus* tangitur, vel compressus, quasi disparet; animâ vero retenta iterumque laxata, denuo resurgit; vel, quod rarissime contingit, inflammatur sortemque abscessuum subit. Etsi vero summus *Italiae*, de sedibus et causis morborum scriptor „thyreoideam glandulam viderit multo quam aequum esset, crassiorem, subrotundam totamque in se conglobatam atque adeo scirrhosam, inter substantiam coloris ex carneo fusci, alba hìc illic interjecta;" vix ullo tamen in casu durioris adeo thyreophymatis, nisi thyreoidea glandula jam antehac induruerit, aut scirrhus, aut vero carcinoma, tumorem prehendit.

§. 800. Jugulum vel omne, vel partem T. spurium ejus lateralem modo unam, aliquando in crassioris speciem columnae apud foeminas hystericas, quin thyreophyma verum idcirco subsit, inflari, jam alibi (§§. 710. 712.) diximus. Maxima etiam juguli, quoad *cras-*

sitiem, varios apud homines diversitas,
apud foeminas magis conspicua, est: ut
his, tenue ac longum, aliis vero crassum,
torosum, breve observetur; quin igitur
uno in loco inaequaliter promineat. Junio-
ribus in genere, prae adultis, ac foeminis
prae viris, glandula thyreoidea crassescit;
certis vero hominibus ea, *sine morbo lu-*
xuriat et physconiae specie laborat. A
majore vasorum hac in particula diametro,
a cruoris congestione in istis, ac a telae cel-
lulosae laxitate haec pendere videntur; mul-
tisque virginibus, mulieribus, hoc modo
constitutis, dum fluxus illis menstruus im-
minet, quemadmodum et utero ferentibus
matribus, haecce glandula inflatur; hoc
vero demum absoluto, aut ipsum post par-
tum, detumescit: *Thyreophyma fugax*,
aut *spurium*, aut etiam *sanguineum*, vo-
camus.

Quemadmodum vero aliis in partibus
corporis *folliculares* sub cute tumores, ma-
teria mellis consistentiam habente turgidi,
molles, elastici, mobiliores, indolentes,
haud raro observantur: ita quoque ad ju-
guli loca quaecunque, in extimis sub cute
stratis cellulosis, *melliceriдes*, cum vero

thyreophymate nequaquam confundendi, nascuntur.

Nec etiam *tumores carotidum aneurysmatici*, pulsantes, quos alibi delineavimus, ad morbum hic descriptum revocandi sunt.

Nec veri glandulae thyreoideae *scirrhi*, utpote tumores lente exorti, minores, longe duriores, inaequales, quod supra jam innuimus, huc pertinent. *Scirrhos* ex substantia coloris ex bruneo albescentis, atque textûs cellulosi angustioris consistere, eoquod haec diversitas *modo post mortem* compareat, hic non tangimus.

§. 801. Aliquando glandula thyreoidea non ipsa turget, sed media inter eam et cutem anterioris juguli tela cellulosa, profundior, ab humore lento, mucoso-lymphatico vel albuminoso, morbose hic loci secreto, infarcta tumet. Discisso per medium tali thyreophymate, satis adhuc recente, ex cellulis illud, nunc pisiformibus, nunc minoribus, humore tenaci illo, ab alkohole et ab igne facile cogendo, repletis constare observatur. Quemadmodum nempe in hydrope *anasarca* partes aliae ab aquis, — ita quoque jugulum anterius, in uno aut altero, vel pluribus aliquando contextûs cellulosi subcu- T. cellulosum.

tanei spatiolis, a pituita, vel gelatinae a specie intumescit. In una eademque thyreoidea glandula, folliculi, diversis inter se materiis praegnantes, sub forma atheromatis, steatomatis, abscessus, hydatidum, haematomatis, reperti fuerunt. Prima hujus infarctûs initia, ad loca plerumque obtecta, in oculos vix cadunt, dum humor crassus inspissatur interea, et glutinis densitatem adquirit. Cellulae unius hinc paries, parieti alterius adponitur, ac profundioris species folliculi, diversae magnitudinis, vel una alterave in parte, vel in medio contextûs cellulosi subnascitur; ex pluribus lamellis nati folliculi densantur, ac illis inter se concretis, successu temporis duritiem cartilagineam, interdum osseam, adquirunt. Humor ipse, in coagulum pronus, aut his in saccis, aut simplicioribus in cellulis, fluidi tandem indolem deponit, ac in materiam caseosam, steatomatosam, calcaream, aliquando quasi carneam, aut aspectu scirrhosam, aliàs vero osseam substantiam, convertitur. Nec eadem in quavis ejusdem tumoris cellula materiae stagnantis est indoles; sed hìc fere aquosa, alibi lymphatica, in una, sanguinea, vel brunea, in altera, consistentiae melleae, aut

pultaceae ea detegitur; nec, si cruor ex istis nunc morbose secernatur, aliquando vero diruptis e vasis copiosior has in caveas effluat, mirabimur.

§. 802. Quodsi vero quibusdam in thyreophymatibus sedes morbi in solo textu celluloso profundius subcutaneo figatur; non igitur rarum, ut aliqui praetendunt, sed longe frequentius est, thyreoideam glandulam hoc in morbo similibus a materiis, in ejus telam cellulosam effusis, aut ex parte, vel omnem turgere ac duritiem assumere. Nec, ut primam morbi sedem constituerit haec glandula, obstat, quod ea *voluminis* aliquando *minoris* et quasi *corrugata* comparuerit; saepe scilicet scirrhosae adeo glandulae non tument magis, quam in se ipsas contractae sunt; ac ipsum, quod extra illas in telae cellulosae vicinae cavis abnormibus haeret, ab illis ipsis, stimulo quocunque vexatis, morbose secretum fuit, liquidum. Sic frequenter pulmones, post pneumonias, ab aquis copiosis, quas illi ipsi, inflammati, in thoracis cavum evomuerant, in parvum volumen compressos conspeximus. Quotiescunque vero thyreoidea glandula primùm tuber gutturosum induxerit; sub ipso hujus T. glandulosum.

principio magis durus ac inaequalis saepe hic tumor erit, donec effusa tractu temporis in vicinam huic glandulae telam cellulosam materia lymphatica, illam ipsam tactui subtrahat, ac succedaneam digitis mollitiem tumoris offerat. Coetera sibi, ut de thyreophymate celluloso retulimus (§. 801.), succedunt.

T. emphysematicum.

§. 803. De *pneumatosi traumatica* et *ambigua* agentes (§. 707.), jam diximus: sub partûs labore, ex laesione internae membranae laryngis, hinc inde tumores *aereos* ad laryngem, tracheam, vel alibi oriri. Ruptae in aspera arteria, per tussim, tunicae internae exemplum habent *acta Bononiensis Academiae*. Ex simili laesione, ut *commentationes medicae Londinenses et facta experimenta medica* referunt, in duabus foeminis parturientibus, primò quidem jugulum, dein facies, caput et corporis pars superior ab emphysemate correptae fuerunt; et magnum certe foeminarum numerum conspeximus, quae forma gutturis elegante ante partum praeditae, post istum, indubia incipientis thyreophymatis signa nobis obtulerint. Eosdem et tussis et nixus cujusvis sub vomitu, sub ructibus diu retentis, sub clamore, risu violentis, sub instrumentorum musico-

rum per flatum tractatione, sub cantu, im-
primis acutiore, vibrante, effectus esse, non
minus insinuavimus (§§. 710. 712.). *Bron-
chokelis*, ut vocant, *ventosae*, — *herniae
colli emphysematicae*, ut alter nominat, —
strumae aere plenae, ut tertius adpellat,
apud *Italiae, Galliae* ac *Germaniae* scrip-
tores conspicuos, tria exempla adnotavimus.
Fateamur interim, nos, etsi, alpes *Helvetiae,
Sabaudiae, Wallisiae, Tyrolis, Carniolae,
Carinthiae, Stiriaeque* peragrantes, insignem
sane thyreophymatum numerum viderimus;
eorum tamen nullum, quod sub attactu,
emphysematis instar, *crepitasset*, conspe-
xisse; nec exemplum, sub quo, tumore hoc
adperto aereque exploso, hic idem conci-
disset, ad nostram cognitionem venisse.
Canaliculos, quos quondam ex trachea in
thyreoideam glandulam transire dixerunt,
recentior nequaquam confirmavit culter ana-
tomicus. Nec certe, quis, aerem aut per
vulnus, aut alia modo, in telam cellulosam
vivi calentisque hominis susceptum, diutius
in ista, quin hic mox decomponatur, haesi-
turum esse exspectabit. Ac revera, in illis
ipsis thyreophymatum exemplis, quae, supra,
ex tunicae laryngis internae laesione venisse

retulimus, tumor aereus partim octo, partim vero undecim dierum spatio, jam omnis disparuerat. Concludimus igitur ex istis: non nisi primis fere quindecim diebus tumorem gutturalem hucusque descriptum posse aeri attribui; illum vero, qui, hoc jam decomposito, ulterius continuat, ex communiore longe scaturigine, ut quam aeris in telam cellulosam ingressus adperuerit, defluere; nec aliam, quam thyreophymatis aut *cellulosi*, aut *glandulosi* diagnosin agnoscere.

T. aerokele. §. 804. Alia vero rerum erit conditio, ubi ex tunicae tracheae superioris, duos inter annulos ejusdem, prolapsus, vel *hernia*, tumor, *Bronchokelis*, vel *tracheo-aerokelis* nomine dignior, supra guttur elevabitur. Lentiores nempe natales hanc *tracheophymatis herniosi* speciem habere oportet; ac renovato semper in eodem ab aere atmosphaerico, tumor constans, indolens, levis, elasticus, facile per compressionem dissipandus, mox ab ista vero rediturus, ex retardata inspiratione, illico volumine augendus, observabitur. Ad rariores casus hoc ultimum tuber gutturale pertinet; a duobus tamen *Galliae* chirurgis, et ab *Anglo* systematis chirurgici scriptore, expositum. Puella

sexdecim annorum, ut legimus, jam per totius anni spatium gestaverat tumorem molliusculum, pomum mediocre mole sua adaequantem, doloris expertem, ejusdem cum cute coloris, ac ubi respiratio inhiberetur, longe lateque se extendentem.

§. 805. Sub simplici viscerum partium- **T. aneurysmaticum, varicosum?**
que mollium augmento abnormi, vasa rubra majorem sensim, et partis auctae volumini correspondentem diametrum assumunt; nec alia thyreoideam quoque ad glandulam, quae ex quatuor arteriis, illis ipsis adeo cerebri majoribus, unicum quasi rete vasorum, *reti* animalium ruminantium *mirabili* non absimile, sistit, contingere mirabimur; neque adeo vel *aneurysmati*, aut *varicositatibus*, ita, ut nomen abinde specificum obtineat, culpam dabimus thyreophymatis, quam hoc ipsum dilatationis vasorum accusabimus. Magnus certe *laryngis* utroque in sexu, cum *genitalibus* consensus est; et sicut instantis menstrui effectu, non solum ubera, sed multis in foeminis et *guttura turgere* ac sororiari videmus; ita quoque hoc ipso fluxu, vel etiam fluore albo, jam diu vigente, suppressis, thyreoidea glandula in multis magis attollitur; aut si forsitan ea

ulcere laborat, sanguinem periodice interdum plorasse visa est. Ipso graviditatis tempore, guttur foeminae hinc inde inflatur; post partum vero concidit. In viro, cui, praeter tunicae vaginalis testiculi hydropem, ut legimus, haec simul glandula tumuerat, qua ratione haec ipsa interdum subsidebat, ea quoque tumor testiculi increvit et vicissim; atque hydrope illo adaucto, thyreophyma disparuit. In viro *Brisgovio-Friburgensi*, ut a. 1811 ex clari viri, chirurgiae hac in academia professoris amica relatione habuimus, thyreophyma praegrande, ac simul tumor circa testiculum aquosus coexistebant; atque dum illud volumine augebatur, hic ipse subsidere, — hoc autem crescente, illud imminui constanter cernebatur. Similis fere indolis phoenomenon inferius referemus; et qui multos eunuchos vidimus, etsi cantui acuto crispatoque perpetuo addictos, nullum tamen inter eos, qui, tot aliorum apud *Insubros* exemplo, gutturosus fuisset, conspeximus. Posse interim sanguinis, vel alia per loca, ad leges naturae, habitudinis, excerni cohibiti, vel ob nixus diuturnos, frequentes, ad caput et jugulum retenti, actionem in vasa thyreoideae tam copiosa et tam laxe

vestita, haec ipsa dilatare primùm, ac tandem, continuato affluxu et stimulo, vel et tentatae strangulationis actione, ad secretionem morbosam in telae cellulosae hujus glandulae spatiola incitare, vix dubium nobis superest. Huic vasorum extensioni atque diruptioni, sanguinis, plerumque venosi et subnigri, interdum ad copiam satis conspicuam et, ut viri clari observatio docuit, ad quinque adeo libras adauctam, adscribimus. Quo casu igitur sanguis copiosus in vasis laryngeis colligitur, atque per thyreoideae arteriae, a luxuriante glandula undique distractae, impeditae, ramos aegre propellitur; haec vasa, imprimis superiora, ut minus profunde posita, urgente valde, per causas quascunque, rariores tamen, humorum haec in loca impetu, diametro aucta, morbose quidem vibrant; secretiones, incrementum atque calorem ad glandulam augent; sed non idcirco distinctam a thyreophymate glanduloso, hujus morbi speciem constituunt.

§. 806. Sunt certe thyreophymata, quae non tam vitii localis, quam morbi totius systematis, effectus sunt: glandularum, ut vocant, *scrophulosarum*, jugulo tam saepe infixarum, ac ipsius glandulae thyreoideae T. complicatum.

in *cretinismo* tumentis exemplis. Haud raro etiam glandulae lymphaticae colli tum ad cervicem, sub futuris, aut jam praesentibus achoribus ac tinea capitis, — tum *gutturosa* circum *tubera*, ex horum in vasa lymphatica vicina actione, *symptomatice* tument. Sunt etiam *scirrhi veri*, qui glandulas lymphaticas, ipsi thyreoideae glandulae interpositas, corripiant, ab istius, aut a vicinae telae cellulosae tumore locali diversi. Istiusmodi vero *complicatio* ex praesentis alterius morbi generalis, aut etiam topici, cognitione, excepto scirrho, quo thyreoidea glandula interdum, non proprio, gravida est, plerumque non difficulter eruitur.

T. acutum. §. 807. Rarum quidem, sed certe non inauditum est, ut aliqui praetendunt, *thyreophyma inflammari, suppurari,* ac more acutarum adfectionum absolvi. *Cellulosum* imprimis tuber gutturale citius, quam *glandulosum,* nasci solet; ac praecipue si causae magis violentae illud induxerint, promtior et quasi *acutus* aliquando ejusdem incessus erit. Ipsa interim thyreoidea *suppurationem* non modo contaxisse, sed pus quoque suum in asperam arteriam transfudisse, tum ab egregio *Angliae* pathologo, tum a dexter-

rimo *mediolanensium* chirurgo, visa est. Referente eximio et nobis amico de morbis vasorum lymphaticorum scriptore, rixantes inter duas mulieres, quarum una thyreophymate praemagno laboraverat, altera mox, arrepto cum *verru*, odiosae sibi sociae tuber gutturosum transfodit. Magna exhinc inflammatio ac tandem suppuratio abundans secuta est: hujus ope thyreophyma perfecte sanatum fuit. Mulierem quadragenariam, cynanche tonsillari laborantem, anno 1793 ad clinicum *Ticinense* institutum suscepimus: cui mulieri, dyspnoea antehac adfectae, ante tempus aliquod, glandula thyreoidea, ut cicatrix ampla cum reliquo adhuc tumore, hanc ipsam ad glandulam docebat, ex parte suppurata fuit. Nos ipsi, sextum inter septimumque aetatis nostrae annum, thyreophymate *acuto* laboravimus. Brevi scilicet tempore, in quantum recordamur, tumor hic ad guttur quamplurimum augeri, tandem vero, absque causa cognita, inflammari ac suppurari inceperat. Ob medici experti in patria penuriam, ad vicinae exiguae urbis (*Pirmasenz*) chirurgum castrensem, virum certe imperitum, a parentibus nobis transmissis, *nervum*, sub reclinatione capitis

violenta, nobis *ad guttur ruptum* esse, hic agyrta graviter edixit, mortemque hoc a malo ineluctabilem adnuncians, nullum artis subsidium parentibus proposuit. Perterrita mater, dum tumorem fluctuare, prae tensione splendere, cutem vero ejusdem jam tenuem, sublividam, a venis varicosis, coeruleis et amplis undique percurri conspiceret: non minus animosa, quam tenera, et melius esse anceps, quam nullum experiri remedium, secum reputans, barbitonsorem loci vocari, ac incognitae naturae abscessum, ubi spatium venis turgidis intermedium permitteret, pertundi jubet. Mox a peracta incisione, pus copiosum, tenax, albuminoso humore et cruore intermistum, tumorem deserit; collabitur hic quamplurimum, et cataplasmate ex pane et lacte obtectus, quod in se restitit, maturum magis, quotidie compressus, evomit. Post aliquot hebdomadas, subsidente in totum tumore, paucus adhuc humor serosus ac tenuis, exiguo foramine effluit, et sine interruptione ad annum aetatis decimum sextum et pubertatis ad epocham usque, plus minus effluere pergit. Tunc vero absque ulla adhibita cura, ulcus exiguum et quasi fistulosum, extemplo

arescit, perfecte mox clauditur, atque cicatricem inaequalem, laryngis parte infima et sinistra, omnino quidem siccam, sed, ad praesentem jam senectam, saepius prurientem, — *thyreoideâ glandula omni in totum destructa et consumta,* nobis reliquit.

In hoc igitur *acuto* et *inflammatorio* thyreophymate, singula localis phlogosis symptomata se produnt: tensio scilicet, calor, dolor, interdum rubor conspicuus, arteriarum, superiorum imprimis, laryngearum, pulsatio morbosa, venarum varicosarum major repletio, livor, citior interdum in suppurationem nisus, respirandi, deglutiendi difficultas conspicua, obnubilatio capitis, rubor turgorque faciei, febris interdum notabilis. Quamvis vero tantus et hac inflammationis in specie, arteriarum sit aestus, tanta vibratio; vix tamen (eoquod arteriarum non eadem sit, quam venarum in varices dispositio, aut factae sub impetu sanguinis dilatationis toleratae constantia) ob id, *aneurysmatica* videtur dicenda esse adfectio.

§. 808. Donec anatomici circa glandulae thyreoideae constructionem intimam inter se conveniant, ac donec physiologis ejus- T. causae.

dem partis in oeconomia animali usus et ultima destinatio innotescat, *causarum*, quibus morbi hujus glandulae, non solum apud hominem, sed varia quoque apud animalia domestica, reguntur, et remediorum, quibus hi obediunt, vel recalcitrant, agendi ratio, densa semper involuta manebit caligine. Systema omne lymphaticum sub morbo, quem *scrophulas* dicunt, languet ac aegre se trahit; nec tamen, vel plerisque in casibus, partem ullam malorum thyreoidea sibi assumit. Turget haec, formam corporis et decorem defoedat, ac adeo subjectum sibi hominem apoplectice prosternit, aut strangulat; silet illud ac, adfinitatis reciprocae immemor, suae hanc partem sorti committit. Inflantur aliquando simulque aegrotant lymphaticae ac thyreoidea glandulae: sanatur haec, nec ad glandulas sorores, majori adhuc periculo expositas, respicit. Primam fere hominis aetatem amant *strumae* (scrophulae), atque si unquam illae motu spontaneo, — accedente pubertate, eundem dimittunt; *gutturosa* vero *tubera*, infantiae plerumque annos fugiunt; puerili vero atque juvenili magis delectantur jugulo.

Thyreophymatis, *glandulosi* praeprimis, vera patria, etsi exceptionem aliquam haec res pati videatur, sunt *alpes;* non tamen pari et illius, et *cretinismi*, ut vocant, ratione: ut quorum primum, ad majorem terrae montuosae, imprimis lacubus et aquis stagnantibus ditioris, superficiem numerosius extenditur; alter vero, interdum absque glandulae thyreoideae tumore incedens, non ad summa montium primigeniorum cacumina, sed *medias fere ad alpes, et ad valles inter easdem magis angustas, compressas, humidiores, solisque radiis reflexis magis expositas* regnare, atque sic magis restringi consuevit. Vix interim atmosphaerae calidae ac humidae soli actioni, aut, ut recentior his de rebus scriptor opinatus est, *electricitatis atmosphaericae pauperiei*, thyreophymatum genesin posse adscribi, regiones, his atmosphaerae conditionibus subjectae, raris tamen gutturosis, si alpes vicinae defuerint, notatae, docere videntur. Primos gutturosos in *Rossia*, vir de historia naturali vastissimi hujus imperii summe meritus, in fluminis *Okka* viciniis, circa ripas amnis *Motmos*, cujus aquae, margae ferrique particulis impraegnatae sunt,

conspexit. Nec thyreophyma ad immensam, ac modo montibus secundi ordinis interruptam hincinde planitiem, ab urbibus *Vilna Riga*, *Dorpat*, *Varna*, *Petropoli*, *Nowgorod*, *Twer*, *Moskwa*, *Tula*, *Orel*, *Kiew*, *Schytomir*, ad austriaca usque confinia extensam, nobis obviam venit; quamvis circa *Ladoga* lacum, solo profundiore atque nemoroso habitantes *Carelii*, hoc vitio, cui *fumariae bulbosae* decoctum copiose hauriendum opponant, laborare referantur.

„Quis vero, ut cum poeta loquamur, tumidum guttur in alpibus miratur?" — Endemicum certe hoc vitium est in *Pyreneis*, *Apeninis*, in *Delphinatu*, in *Sabaudia*, *Helvetia*, *Tyroli*, *Carinthia*, *Styria*, in ipsa *Tataria chinensi*, *septentrionali* in *America*. Ad certas adeo, nec tamen adhuc cognitas, ab alpibus distantias, primò quidem *viros*, tandem quoque foeminas, thyreophyma, si forsitan paucas ex istis excipias, quas nixus ad partum, vel alius, ad illud disponit, deserit.

An aquae glaciales?

Qui igitur ad tam constantem vitii gutturosi sedem in alpibus respexerunt, ii, praeeunte *Hippocrate*, qui „ex gelu et nivibus

potus esse insaluberrimos, *quia exsuctum est inde quod tenuissimum est,"* edixerat, usum aquarum glacialium aut nivalium, suo scilicet principio carbonico spoliatarum, ut potissimam thyreophymatis originem accusarunt. Responderunt alii: hoc vitium in insula *Sumatra*, ubi nullae aquae nivales potantur, esse frequentissimum; *Genevam* aquas glaciales non bibere, multos tamen gutturosos numerare; plurimos quoque hoc vitio in *planitie Helvetiae* laborare. Per omnem etiam *Italiam*, aestivo tempore, tam vinum, quam aquae, glaciei super adfusae potantur; neque interim ibi terrarum, si alpium confinia, *Insubriam* ipsamque *Calabriam* excipias, guttura inflantur. His argumentis accedit recentioris de *America ejusque populis* scriptoris observatio:" *orientalibus* nempe *septentrionalis Americae*, quae peninsulam *Labrador* constituunt, in oris, quamvis pars aquarum vel maxima liquefactis vix nivibus debeatur, thyreophyma tamen nequaquam occurrere."

Atque haec quidem, quominus thyreophymatum *culpam aquis glacialibus omnem* imputemus, retinere nos possunt. Ve-

ritatis interim studio inducti, et cum adhuc sub judice lis est, occasione morbi, in orbis partem elevatiorem tam late dominantis, ac in ista, generis humani formam atque elegantiam mirum quantum defoedantis, nec argumenta in antiquae opinionis favorem militantia, hìc injuste reticebimus.

Ac *primò* quidem, nulla certe morbi cujusvis, etiam alterius, causa tam constantes effectus edit, quin actio illius, mutata rerum coeterarum positione, aut sub vivendi ratione illi, vel in totum, vel ex parte contraria, vel innocua reddi, vel saltem infringi quamplurimum, queat. Potum igitur aquae glacialis oportet aliter in *planitiei incolas*, vivendi ratione magis composita utentes, stimulisque rerum externarum pluribus adfectos, — aliterque in illos, qui, medias *inter alpes*, vitam longe simpliciorem ducunt, et victu minus excitante utuntur, influere. Sic medios inter morbos populares, qui classem miserorum obruunt et mactant, cives alii, meliore victu ac vitae commodis majoribus, etsi non semper tam innocuis, instructi, illaesa diu sanitate incedunt, et unius saepe morbi causa, alterius fit antidotum.

Secundo, aquas sub gelu condensatas,

principio suo, ut vocant, *carbonico* privari, — facile tamen istud principium, dum fluiditatem illae recuperant, iisdem restitui, hoc quidem novimus; sed ex cognitis paucis rerum qualitatibus, ad illas, quae adhuc nos fugiunt, excludendas, non levi nimis animo properandum est; nec tantae *aeris*, *aquae* et *locorum* aut noxae, aut salubritas ex *chemicis* magis, etsi minime spernendis, principiis, quam longioris experientiae a rationibus, repetendae sunt. Inter duas aquas, judice *chemia*, prorsus inter se aequales, optimam una, — vapidam altera, eodem ex hordeo, cerevisiam coquit; phoenomena prorsus aequalia ars nobis culinaria quotidie suppeditat, et fontes minerales offerunt: quorum virtus et efficacia, vel iisdem sub chemicis principiis, tam diversa, vel sub paucis adeo ex illis, quae cognoscimus, saepe tam potens, per chemicam analysin minus tute, quam sollicito effectuum in plurimos aegros scrutinio, elicitur. Nullas in insula *Sumatra* nivales aquas potari, plurimos tamen in illa gutturosos reperiri, id, si multum est, saltem non omnem causam in *potu glaciali* quaerendam esse, doceret. Sed quid vetat fontes ejus insulae subterra-

neis, profundis et vastis e terrae pelvibus, aliunde ab aquis, aut liquefactis a nivibus, aut alia ratione mutatis, continuò repletis, scaturire, aut demum undas particulis alienis, gutturi infestis, inquinatas, sitientibus offerre? *Genevam*, cui tamen alpes a non tantis distantiis, aquas nivales transmittere posse ac adeo debere, negari haud potest, his ipsis non uti, non quovis dubio caret. Peninsulae *Labrador* incolas, etsi vix aliis, quam ex nive liquefacta, aquis utantur, non tamen esse gutturosos; hoc equidem, si paucorum *Europaeorum*, satis instructorum, illas per oras peregrinantium, sat fida sit relatio, aquarum sanitatem nivalium sibi non parum vindicaret; cui interim tam rara exceptio innixa sit principio, id quidem hucusque nos latet. *Qualitatibus* quidem *occultis*, ad rerum physicarum explicationem, abuti, vel minime contendimus; sed neque ex paucis scientiae naturalis fragmentis, singula corporum phoenomena explicari, vel illa, quae novimus, ut sola, quae universum regant, principia prudenter declarari posse, tenemus. Glaciem vino aut aquis ad mensas ditiorum infusam, thyreophyma non producere, hoc saltem, vel paucam

aquae glacialis quantitatem absque damno posse hauriri, vel effectus istius, per alia potulenta, esculenta simul assumta, posse elidi, commonstrat. Qui sylvaticorum *Americae septentrionalis* hominum vitam, soli ferarum per vasta deserta venationi indulgentem, ac victu modo ex illis, aut e piscibus petito utentem considerat: is certe eandem ab illa, quam *europaearum alpium* incolae ducunt, admodum diversam, hinc ejusdem causae *morbificae* varium variumque in populos adeo sibi oppositos, effectum esse, facile fatebitur. Coeterùm in parte fluvii *sibirici*, *Lenae*, superiore, thyreophymata esse communia, — haec ipsa vero, dum amnis *Rutschei* flumina potantur, evanescere, viri quondam clari, jussu supremo iter per *Rossiam* facientis, fida nos docet observatio. In alio itinere, sub ducis navalis *Anglorum* famosissimi auspiciis circa orbem terrarum instituto, dum, in *Nova-Zelandia*, nautae, ob aquae melioris in nave penuriam, maritimam, in glaciem conversam, quamvis dulcissimam, pro potu adhibuissent aliquamdiu: illis *omnibus* colli glandulas intumuisse, — cum vero a glacie, navem undique per plures hebdomadas cingente, liberati,

aquis, a frigore non ut antehac mutatis uterentur, tuberibus ad jugula sat cito exemtos venisse, a docto hujus itineris socio *germano* percipimus.

An puteales? Ob thyreophymatis cum sic dictis *scrophulis* apud scriptores confusionem, num de his, num vero de illis loqui contenderint, certi non sumus; sed suspectos omnino aquarum ex *puteis* pro potu haustarum; in glandulas lymphaticas effectus non paucae eorum observationes produnt. Sic *Reims*, urbs *Galliae*, proprio antehac pro morbo glandulari nosocomio indigebat; cum vero haec metropolis aquis *putealibus* renunciasset et, earum loco, aquis ex ramo fluminis *Verle*, ad urbem conducto, haustis, ad sitim fallendam uteretur: endemici pars dimidia morbi hoc unico subsidio deleta fuit. Montium *sudetiorum*, in *Silesia*, incolae, vitio glandularum eodem laboraverant; derelicto vero fonte prope *Schmidberg*, in pago *Stenseifen* posito, hoc vitium imminutum fuit. Aquis metallifodinarum, hoc malum creavisse visis, tandem alio cum fonte commutatis, morbus hic alibi disparuit. Ad *Caucasum*, quod miramur, tam raro *thyreophyma*, quam *puteos*, existere, — qui-

bus vero in locis incolae his ultimis utuntur, in his et morbum illum copiose ad guttur evolvi, ex scriptoris *Rossici* relatione, non ita pridem edita, docemur.

Quodsi interim hos aquae *putealis*, vel alterius, effectus, particulis, quibus ea scatet, argillaceis, margaceis, seleniticis, calcareis, adscribant; negari nequit, communissimas in multis regionibus esse has aquas, atque eas, exemplo *Carolinensium*, *Goettingensium*, *Badensium*, saltem absque frequente thyreophymatum proventu, ab omnibus potari.

Debilitas localis.

Cum vero sexui muliebri, prae virili, ubique thyreophyma communius sit, ita ut *Anglus* hoc de morbo, in comitatu *Derby* endemico, scriptor (diversa quidem, ac in terra firma et praecipue ad alpes, ratione) nullos in illo gutturosos animadverterit; — cum locale prorsus vitium tuber gutturosum constituat; — cum hoc idem non adeo in matura, vel senili aetate, quam inter septimum ac duodecimum istius annum oriri soleat; — cum in locis humidis, nemorosis, illud facilius propullulet, aliquando vero ab ascensu ad loca elevata, sicciora, dissipari observetur; — cum ea, quae vel tonum

tracheae infringunt, vel internam ejus tunicam laedunt, ut nixus, sub retento simul spiritu, fortior, v. c. sub partu difficili, aut violenta laryngis, tracheae, sub tussi, cantu acuto, clamore, risu, vomitu, vibratio, concussio, extensio, ubique locorum facile hoc vitium producat; — cum remedia tum interna, tum externa, in thyreophymate proficua, vi incitante potius, quam alia, juvare videantur? — *debilitas* haec ad organa *localis*, saepius congenita, vel et parentum influxu adquisita, ut quae adynamia, pituitae abundantioris secretioni, ac secretae stagnationi, retentioni ad illas vel maxime favet, originem thyreophymatum, *sporadicorum* vel maxime, prae aliis verisimilem, constituit. Cum tamen *juguli*, non satis per collaria custoditi, refrigerio, ut sexui maxime foemineo solenne est, et ut ipsi nunc infantes teneri, insano certe more, incedere coguntur, thyreophymatis generatio a viris claris tributa fuerit; fatemur candide, quod huic causae, licet alia ratione non parum noxiae, thyreophymata adscribere ex eo retinemur: quod vel ipsius *Rossiae* et aliarum regionum septentrionalium sub coelo gelido, tam infantes teneri, quam potissime foeminae, cum satis infrequente thyreoi-

deae glandulae phymate, collo nudo incedere soleant.

Quodsi vero alpium incolas, plerumque miserabiliores, sub laborioso ac anhelante illarum ascensu, sub rerum necessariarum ad tantas altitudines quotidiana gestatione, puerili adeo aetati imposita, sub nixibus corporis hoc sub opere, vel maxime in laryngem tracheamque directis, in censum revocemus; haec aliorum et nostra opinio de potissima thyreophymatum occasione, *aliis tamen minime exclusis*, ultra confirmari videbitur. Gestationem ponderum *super capite* potius, quam aliam, ut vir clarus ac nobis quondam amicus docuit, hùc facere, ob illud difficulter admittimus: quod in *rhenanis*, raro tamen gutturosis, provinciis, gerendorum super vertice ponderum, generalis apud plebem consuetudo sit. Sic etiam, si idem egregius scriptor, ad ipsam hanc consuetudinem certius inculpandam, *scrophulas* quidem ad regias usque familias, non vero *thyreophymata*, extendi asserat; in hoc etiam contrarios nos habet: quod ditioribus ac nobilibus familiis, quidquod pluribus stirpis adeo *regiae* prolibus, guttur non parum intumuisse, observaverimus; unde

strenuiores adeo labores, inter alpes susceptos, pro *unica* thyreophymatis endemici causa eo minus accusabimus, quod *potus aquae destillatae*, *loco glacialis*, hoc malum aut avertisse, aut saltem, jam praesens, imminuisse, aliquando sit visus.

Aerem, sub nixu quovis fortiore, posse per certa orificia ex trachea in thyreoideam glandulam penetrare, insignis jam *Helvetiae* physiologus suspicatus est. Canales tandem ex illa glandula mucum in asperam arteriam ducentes, per felices injectiones demonstratos fuisse, ab aliis dictum fuit. Nec tamen anatomici hodierni vel maxime conspicui, hos ductus ac thyreoideae hoc officium confirmarunt, nec, si confirmassent, aer per hos canales ingressus, aliud tumoris genus, quam *emphysema* gutturis produceret. Atqui vel sola jam quaecunque internae tunicae tracheae laesio, hoc ad opus morbosum sufficeret (§. 707.). Nullus interim aer in communi thyreophymate detegitur; et si quis hic stagnaret, quod supra jam monuimus, post paucos certe dies illum decomponi oporteret; ac omnis illius effectus in violenta hujus partis extensione,

ac inducta per istam his in locis *atonia*, consisteret.

Cum vero nec in planitie, violentae in tracheam actionis desit occasio; nec tamen illinc, sub ista, thyreophyma, nisi sporadice ac paucos inter homines occurat; concludimus: laboriosum quidem per alpes ascensum ponderumque per illas gestationem, mali gutturosi genesi non parum favere; *endemici* vero hujus mali originem, vel in aquis glacialibus, putealibus, aut a particulis mineralibus inquinatis, simul consistere, vel, prout pedum tumor in elephantiasi, aut prout alii morbi endemici, ab incognita coeli ac locorum indole pendere. Sic adulti adeo homines, qui *Americae septentrionalis* loca petunt, in quibus thyreophyma endemium est, hoc a malo infestari referuntur. Contra vero, apud alios, hoc idem, vel a sola loci ac atmosphaerae mutatione cum aliis disparuisse est visum; ac non ita pridem virum clarissimum admirati sumus, qui, cum varios per annos, prope alpes, inutilem illius mali curam subivisset, trium spatio mensium, cum *Lutetiam Parisiorum* petisset, absque omni adeo medicamine, ibidem hoc a malo perfecte restitutus fuit. Foeminas, a menstruo

rum suspensione, aut a fluoris albi suppressione thyreophyma (quod ex celebris *Parisiorum* medici observatione docemur) passas fuisse, nos ipsi non vidimus.

Prognosis. §. 809. Innumeri certe homines gutturosi, sanitate in coeteris, seram usque ad aetatem, illaesa fruuntur ac, praeter vocem ingratam, et majorem sub corporis exercitio quidquam strenuiore anhelationem, nihil incommodi accusant. Sunt adeo, ut vix diximus, quae modo quasi spontaneo, vel sub sola loci, in quo exorta fuerunt, mutatione, *resoluta* sint thyreophymata satis adhuc recentia. Ipse adeo gravis terror, aut morbus violentus alius, hoc phyma glandulosum dissipasse, rara satis felicitate, sunt visi. Esse vero, quos compressae nimis tanto a pondere gutturis aut etiam oesophagi viae nunc suffocent ac strangulent, nunc simul inedia exhauriant, vel quos, reditus cruoris ac lymphae a capite impeditus, in vertigines, sopores et apoplexias lethales praecipitet, jam satis indicavimus. Promtius haec ultima, si utroque a latere vasa jugularia compressioni subjiciantur, contingent. Superaccedentibus thyreophymati, ex causis communibus,

cynanche, imprimis laryngea, tracheitide; lethalem magis indolem haec mala, jam per se tam ferocia, assumunt. Vel simplex, sed vehementior, partium istarum catarrhus, non sine discrimine est. Raro quidem, sed tamen subinde, thyreophyma inflammari, ac in suppurationem abire, non minus monuimus (§. 804.). Augentur abhinc tracheae, jugularium vasorum compressio, dyspnoea, soporosa capitis adfectio et, nisi purulentae materiae ad exteriora via paretur, ob metum haemorrhagiae perardua; praeter dicta, ipsius laryngis, tracheae, ab illa erosio, vel in istam effusio timenda erit. Licet magna in multis thyreophymatum durities fuisset, carcinoma tamen huic supervenisse, non vidimus; prompte interim lethales thyreoideae simul ac trachealis glandulae scirrhos nos ipsi, *clinicarum interpretationum* nostrarum P.I. observ. XLIV, descripsimus. Periodice hinc inde, aestate imprimis, augeri, hiemali vero tempore imminui thyreophyma, de periodicis etiam sanguinis evacuationibus vel menstruis, vel haemorrhoidalibus per consensum quodammodo participans, visum est. Tuber gutturosum *verum* atque *sporadicum* (§. 797.), facilem

plerumque in junioribus, sub tradendis tamen mox conditionibus, sanationem admittit; *endemicum*, sicut longe difficilius dissipandum est: ita quoque facillime revertitur. Quodsi vero hoc idem mali genus jam plurimum adoleverit, aut amplissimam gutturis partem occupaverit, aut cartilagineam jam, vel osseam duritiem contraxerit; inutilis sane in eo dissipando poneretur opera. Curae difficilioris esse thyreoideae glandulae tumorem quasi *solitarium* et qui *centrum* ejusdem occupat, illustris *Galliae* chirurgus observavit.

T. cura. §. 810. Nisi distincta probe *spurii* (§. 799.), a *vero* thyreophymate (§§. 800, 801.), indole, ac evitata sollicite, quamcunque gutturis protuberantiam eâdem cum methodo tumultuose pertractandi, consuetudine, vel optima remedia, laude, quam una in specie merentur, in altera frustrari oportet. Ac primo quidem, sub glandulae thyreoideae *luxuriante* modo, sed minime morbosa apud juniores intumescentia, nullum certe artis auxilium aut requiritur, aut prudenter adhiberi potest. Secundo vero, in casu rariore *tracheokelis*, seu tunicae internae asperae arteriae inter annulos her-

niosi prolapsus, vel forsitan in eo, insecuti ex ejusdem membranae laesione *emphysematis*, chirurgica potius, quam alia et laudata pro gutturosis auxilia communia, indicata sunt: ad primum scilicet, levis ac diuturna, per laminam plumbeam, aut linteolum convolutum, transversim impositum et emplastri ope firmatum, compressio; in altero autem, etsi tractu temporis hoc malum vel sponte disparuisse sit visum, laudata in emphysemate remedia (§. 730.). Si forsitan menstruorum sub intensiore molimine, aut eorundem obstructione, vasa thyreoidalia periodice nimis turgescere, inflari, ac ad futurum thyreophyma occasionem porrigere videantur: tum debita fluxûs illius cura, tum frequens gutturis cum frigida, vel cum aqua vegeto-minerali lavatio sufficient.

Ad *verum* thyreophyma, *cellulosum* modo atque *glandulosum* ad anteriora colli descriptum (§§. 800. 801.), revocamus. Ac primò quidem, hoc in malo *praecavendo*, maxime quo loco id endemicum, vel quibus in familiis congenita quasi ad hoc dispositio est, cura potissima, ab illis saltem, qui, meliore sorte instructi, eandem sibi omnem

assumere queant, mature satis ponenda. Qua scilicet aetate hoc vitium frequentius succrescit, usque ad majorem maturitatem, a praedispositis juvenculis frictio circa jugulum anterius frequens adhibenda, collare ex fasciola serica, tres circiter digitos lata, anteriore loco panno laneo interius dupplicata, et vel fumo aromatico quotidie imbuta, vel herbis aromaticis, siccis, repleta, super loco thyreoideae glandulae, non nimis quidem adstrictum, ponendum, ac sic omne etiam istius refrigerium avertendum est. Nec minus illis a violenta capitis reclinatione, a risu effreni, a cantu, clamore altiore, ab instrumentorum musicorum cum flatu pertractatione, et quibusvis aliis nixibus abstinendum est. Atque haec apud virgines certe, quam apud pueros, magis necessaria sunt. Maxime juniores gravidaeque mulieres, dum ad partum accesserint, ne acutiores sibi clamores, vel capitis retrojectionem violentam permittant, iterum iterumque monendae, retinendae sunt. In provinciis, quibus aquae modo glaciales, nivales — vel in aliis, quibus modo putei, vel aquae particulis mineralibus impraegnatae pro potu inserviunt; cum aqua destillata,

vel antehac cocta, sitis eorum, quorum res domestica haud minûs angusta est, fallenda. Aquarum, aeris et locorum cum aliis mutationem aliquando et hoc topico in vitio, opem, quam alia non ferebant, tulisse, jam diximus. De auxiliorum *prophylacticorum,* ad populorum, inter alpes habitantium, thyreophyma et cretinismum endemicum eradicandum propositorum, partim quod illa vires incolarum, plerumque nimis egenorum, longe superent, partim quod nec magistratuum cura publica ferendis dispendiis par esse videatur, vix non desperamus.

Quando coeteris in vitiis *topicis*, quae artis adjumentum concedunt, vix alia, quam *localia* remedia virtutem aliquam exserunt; in resolvendo thyreophymate, si magnum ex atmosphaerae mutatione beneficium excipias, ea modo parum praestare — interna vero, mature satis adhibita, rem omnem absolvere, nos quidem vidimus. Magnus interim illorum, nec pelle hominis, patibulo suspensi, nec manu *regum* temporis acti (primùm quidem *Angliae*, utpote ab *Eduardo confessore*, usque ad *Carolum primum*, — dein *Galliae*, usque ad *Henricum quartum*), nec illa

cadaveris frigida, nec bufone exceptis, cumulus est. Viri quondam celebris assertionem, „*scrophulis*, sic dictis, magis, quam *strumis* scriptorum, manus regias fuisse admotas", haud satis fundatam esse, tum *anglo* thyreophymatis a nomine (*The King's-evil*) deducimus, tum ex eo supponimus: quod hoc *localis* genus vitii magis, quam *generale* alterum, nervorum, energico *imaginationis* ab impetu excitatorum, imperio subjacere, ex remediorum superstitiosorum in morbo illo locali non prorsus neganda efficacia, nobis quidem videtur. Non, ut ista, ex vulgi superstitione, sed ex efficaciae, quam aliis in malis externis saepe satis manifestant, notione desumta fuerunt: acetum ammoniacale, oleum camphoratum, digitalis purpureae succus expressus, fel taurinum cum oleo et sale, unguentum mercuriale, aqua maris, electricitas, sacchari saturni solutio et alia, quae, si aliquid hinc inde, praestitisse, ex aliorum potius, quam ex nostra, observatione credendum sit: vix centesimam effectuum, quos *interna* subsidia manifeste hic exserunt, partem agnoscunt. Atqui illud ipsum, quod externorum virtutem, quidquid clari quidam *Galliae* medici

in contrarium nuper publicaverint, tam insigniter superat, antiquum ac efficacissimum simul remedium internum, si, qua demum ratione in thyreophymate id conferat, a nobis explicandum sit, theoriae medicae non parum confundit arrogantiam. De *spongia marina* calcinata hìc sermonem esse, nemo erit, qui dubitet. Similem fere huic virtutem exserit et lapidum spongiarum, et pilae marinae carbo, quibus aliqui et illum ossis sepiae, testarumque ovorum adsociant. „Simplex alkali causticum, carboni vegetabili remistum, eosdem, quidquod superiores effectus praestare, atque sal illud alkalinum ab oleo pingui magis involutum, mitius reddi, tensionem fibrae imminuere, cum humoribus corporis, cum muco tenaci, ex acido peccante, facilius coire, torpiditatem, obstructionem systematis lymphatici glandulosi abinde corrigi, musculorum interim laxitatem, atoniam, ab eodem augeri," a quibusdam nunc praetenditur.

Quis vero est tam linceus, ut subtractam oculis humanis remediorum hujus indolis agendi rationem, nisi lente hypothetica armatus, valeat assequi? Quis in thyreophymate *humores degeneratos* esse, — quis

thyreoidea in glandula *mucum acescere* sensit? Solius spongiae marinae carbo, qui coeteris haud indiget, ad grana viginti bis terve in die adhibitus, omnem saepe a jugulo tumorem, scopae adinstar, averrit; quis vero pauculum illud salis alkalini, quotidie, et cum acidis et cum esculentis variae indolis (nec enim, sub ejus remedii usu, ulla nobis unquam diaetae solitae mutandae ratio fuit) *antacida* sua virtute hìc agere, humores tenaces, quos in massa liquidorum sibi fingunt, solvere, ac tali quidem, nec alia, actione gutturosos sanare, cum ratione aliqua praetendet? Sunt, qui spongiarum carbonem ipsas in fauces ac in canales, quos thyreoideae tradunt, cum illis communes, mechanica ratione agere praesumant; sed ut jam monuimus, nec hi canales hucusque demonstrati fuerunt; nec solus remedii *pulvis*, qui ad fauces moraretur, sed quoque *lixiviae* illius cineris, eosdem effectus exserunt; neque hinc certe *morsulis* ex isto confectis, in faucibus, quod magni faciunt, lente deliquescentibus, ad curam felicem opus est. Quodsi stimulum in thyreoideam glandulam specificum, quo secretio morbosa deleatur, spongiarum carboni tribuamus; hypothesin

et haec opinio, minus tamen obsoletam, aut rationi contrariam, olebit. Quasi aliquid morbosi phlegmatis a sanatione thyreophymatis in massam humorum reassumti, per colatoria diversa ejiciendum foret, nec diuretica, nec alvum moventia nos unquam, absoluta cura, porreximus. Quod interim actio remedii evidenti satis stimulo conjuncta sit, docemur ex eo: quod delicatior pectoris constitutio, stomachique major sensibilitas, eundem, nisi moderate administratum, aegrius perferat, et sanguinis pauci hinc inde sputum, adpetitus depravatus, sub usu illius remedii, ut observatio nos quoque docuit, aliquando comparuerint. Diuturnum vero, et disperso licet gutturali tubere, per aliquot tamen adhuc hebdomadas continuatum usum, laudatum sibi remedium exigit. Eodem in homine thyreophyma redivisse, — eodem tamen cum auxilio repetito dissipandum, pluries experti sumus. Formula illius, *argentoratensi* quondam medico in secretis habita, nobis, prae aliis, in usu posita, coeterisque efficacior visa, prout illam jam multis abhinc annis publici juris fecimus, est sequens: Recipe spongiarum marinarum in fragmentis, — lapidum spongiarum, ana uncias

quatuor, — pilae marinae, unciam. Ingerantur haec crucibulo, et fiat sub igne cinis. Hujus cineris uncia coquatur in aquae fontanae libris duabus ad remanentiam librae unius. Filtratis adde syrupi de cinnamomo, unciam. Capiat aeger ter in die unciam dimidiam.

Subsidia chirurgica. Vel quacunque ex causa thyreophyma magis tendi, calere, rubere, splendere, pulsare, aut, imminuto jam quidquam acutiore dolore, de suppuratione interna testari videatur; vel a cystide, folliculis, facile inter se patulis, obsessus hic tumor, his ipsis in locis tandem mollescere, fluctuare observetur; — vel tantam jam ad molem, duritiem perveniat, quae, testibus vertigine, sopore, rubore, inflatione faciei, haemorrhagia narium frequente aut nimis copiosa, respirationis officio, ciborum descensui atque cruoris a capite reditui obicem ponant; — his omnibus in casibus *chirurgica* manus, etsi a natura loci non parum circumscripta, requiritur. Ac *primo* quidem in casu, tumoris antehac frigidi, *incendio,* sub victu tenuiore et cujusve fuga stimuli, per hirudines, illi ipsi, quo loco venae jamjam varicosae evitentur, adplicitas, occurrimus.

Non avertendam facile, nec tamen absque

elicis spe eventûs tentandam, inflammati thy-
eophymatis *suppurationem*, cum admotis
idem cataplasmatibus, primùm quidem blan-
lo fotu emollientibus, ob tardam vero nimis la-
entis abscessûs maturationem, cum admistis
isdem incitantibus quidquam remediis, pro-
novebimus. Consueto emplastrorum, tum ad
esolvenda, tum ad maturanda thyreophyma-
a, usui, ob taediosas aliquando cutis impeti-
ines, ex illis oriundas, modo parum fave-
nus. Nec praematura sectione folliculos,
nulto minus vero abscessus, glandulosa
aec ad phymata natos, adperiri, sed, vel
lonec cutis hos obtegens, sponte sua rum-
atur, naturae committi, aut ubi illa, tena-
ior, nimis diu resisteret, donec levi et
auta tricuspidis aut lanceolae actione, loco
lecliviore illa dividi queat, exspectari sua-
lemus. Ubi tenax nimis liquidum hoc per
ulnusculum difficulter efflueret, vel ubi
lceris superficies interna impurior, sana-
ioni pertinaciter resisteret: injectio, ibi
liluens, hìc vero leviter irritans atque de-
ergens, in usum trahenda est. Prona in
istulas hujus indolis ulcera sunt et, ne illae
liu superstent, aut defoedans jugulum ci-
atrix remaneat, curandum est.

Quo vero in casu thyreophyma glandulosum, cellulosum, vel celerius (quod rarius contingit), vel tardius, quin artis subsidia impedire id potuissent, ad molem atque duritiem, functionibus vitalibus facile funestam, augeretur: ut has demum salvarent, chirurgi eximii, quò nec quidquam intentatum relinquerent, ad *escarotica*, *fonticulos*, ad *setaceum*, ad *arteriarum thyreoidearum* aneurysmatice expansarum *ligaturam*, et ad ipsam tumoris *exstirpationem* confugerunt.

Hunc equidem artis salutaris ramum diffusius hìc prosequi, nostri non est officii; juvat interim monere: quod, si quaedam ex his tentamina votis responderint; pauca tamen hucusque nimis, atque non nisi aliquam, ut videtur, thyreoideae glandulae particulam concernentia, haec sint; et quod plura eorum ita, ut nos vestigia terreant, finem utique morbo, — sed vitae simul terminum posuerint.

Escarotica atque *fonticuli* revera, ubi tumor adhuc mollis et ex collecto in illo humore necdum condensato, oriundus, ob dictas (§. 808.) rationes, pericula minetur: minore, his ipsis, sub rerum discrimine

ocum habebunt; ac imminuti hoc modo glandulosi thyreophymatis exempla non desunt.

Ipsa adeo *setacea*, ubi pars conspicua hyreoideae glandulae, respirationi circuoque sanguinis gradu majore infestae, molescat: manu cauta, ne vasa, diametro sua d duplum jam aucta, vel aspera arteria, umori arctius adhaerens, feriantur, subtus ntroducta, solatio aegris esse queunt; nulum vero ex hoc conamine, ubi tumor glandulae siccus, durus, cartilagineus ac fere apidescens tactu reperiatur, subsidium perandum est.

Brevis atque commoda sane, ad liberanum a thyreophymate guttur, medendi rao videri posset, et non paucis, eheu! chiurgis visa est, tumoris tam infausti, quam diosi, *exstirpatio*. Atqui huic artis conaini occasionem porrexerunt jam aevi veteis, tam *romani*, quam isto quidquam poterioris, scriptores: qui tamen singuli, si nquam ad guttur humanum scalpello feliiter sint usi: hoc modo folliculosis, aut ysticis tumoribus admovisse videntur. Tam equivoco, quam antiquo *strumae* nomine aducti, et *arabes* medici gutturosos aliquot

sectioni submiserunt; a fatali vero aegris, sanguine abhinc illico exhaustis, experimento deterriti, ab hoc ipso in posterum abstinendum esse, prudenter praeceperunt. Nec tamen impedire haec potuerunt monita, quin posterior aetas, quamvis luce anatomica longe jam clarior, faustiorem in excisione thyreoideae glandulae sortem sibi promitteret; atque aliqua, praecipue a *Galliae* quondam chirurgis, suscepta hujus *exstirpationis*, successu coronatae, exempla referuntur. Est interim, cur has relationes, ob chirurgorum ejusdem nationis nostrique temporis juste celebriorum, tentamina longe magis infausta, miremur.

Tandem, quod jam *anglus* scriptor proposuerat, ausu omnino heroico, arterias thyreoideas *superiores*, utpote minus profunde incedentes, *aneurysmaticas* fortiterque, cum partis calore, tensione, dolore auctis, tumultuose vibrantes, ut incrementi morbosi scaturiginem luxurianti nimis, in gutturoso juvene, glandulae subtraheret, ad leges artis cum filis circumducere atque ligare, vir clarus ac nobis amicus, *Landhuti*, a. 1814, tentavit. Nota quidem arteriarum ex thyreoideis *superiorum* cum ramis *infe-*

riorum retiformis ac multiplex anastomosis, ne illarum per nodum chirurgicum occlusio, cruoris ex istis, sauciatam ad glandulam, impetum et copiam aut mox, aut quidquam tardius, auctam, facile praescinderet, timeri utique jussit. Absterrere quoque medentis animum potuit reflexio, saltem theoretica: quod modo dempto arteriarum thyreoidearum *superiorum* in glandulam eousque sibi submissam, influxu, — illibato coeterùm, *inferiorum* atque profundius latentium arteriarum hujus nominis imperio, non nisi portio tumoris glandulosi illorum vasorum dominio subtracta, ope cultri satis tute posset rescindi. Has interim difficultates ac lias, si modo, ut diximus, de *partiali* glandulosi thyreophymatis, quousque hoc a propriae arteriae, *superioris* nempe, ramis otissime percurritur, quaestio est, restricio haec solvere pro voto videtur. Ne tamen d ausus majores, quibus vel ipsas thyreoideae glandulae arterias *inferiores* filo subugare, atque integrum nunc vastumque tumorem, lentâ, prout res juberet, manu, ub summo aegri cruciatu largeque hiatu xstirpare contenderemus, provocemur, eleberrimorum *Galliae*, nostrae aetatis chi-

rurgorum ſata sinistra, cum nobili candore publici juris nuper reddita, jubent.

Retentiones cervicales aliae.

§. 811. Quae de morbis *laryngis, asperae arteriae* ac *thyreoideae glandulae*, tum variis hujus operis in locis (§§. 173. 795-809.) satis breviter, — tum primo *Interpretationum clinicarum* volumine, dictione minus aphoristica, jamjam protulimus: ea retentionum seroso-lymphaticarum, his in locis oriri solitarum, expositione diffusa nos utique absolvunt.

Colli humani dignitas.

Non tamen hìc reticebimus, minorem saepe tum *laryngi*, imprimis *interno*, tum *collo*, in scholis attentionem concedi, quam quidem pons illius epiglottideus, tam angustus, ac aurae vitalis fretum, tantis undique scopulis circumdatum, et juguli, imprimis ſoeminei, sano haud minus, ac aegrotante in homine, formae earumque mutationes diversae sibi exigerent. Qui vasa arteriosa, venosa, tam insignis diametri, — qui numerosiores, quam ullibi locorum, musculôs, — qui nervos cerebrales, cervicales primi ordinis et, ex qua isti nascuntur, medullam hujus nominis, — qui plexus lymphaticos et glandulas bene multas et varias, — ac demum, qui, praeter pharyngem atque

oesophagum, animae vocisque nobilissima organa cum osse hyeoideo, hac unica brevique columna, cui tantae molis caput humanum, varios in sensus flexile, superimpositum est, considerat, fateatur is, oportet: nullam nostri corporis partem, compositionis multiplicis ratione tam nobilem, insidiis externis, internis, tantis, quam *collum*, fere prorsus a natura incustoditum, patere. Nec minus certe columnae, tot vitae instrumentis gravidae, longitudinem, crassitiem, atque hanc ultimam non modo utroque in sexu, sed uno eodemque in homine, pro aetatis atque pro sui cum partibus corporis amicis consensus ratione, diversam miramur. Atqui, si modo quod, ubi coetera morbose conspirant, colla longiora, haemophthisin, phthisin, — breviora vero et crassiora, congestiones cruoris ad caput, cephalaeas, morbos soporosos, apoplexiam, — vibrationes violentas carotidum in febribus acutis, deliria praesagire noscamus, excipias; ob neglectam nimis diu *colli physiognomiam*, haud multa sane, tanto e fonte semeiotico, quae therapiae plantam irrigando foecundarent, hucusque derivavimus. Nostri interim non est officii, praeter ea, quae plu-

ribus jam hujus capituli et aliorum in locis, hoc de argumento insinuavimus, penetrare profundius; sed in ea modo vitia, quae ad retentiones mucoso-lymphaticas juguli pertineant, inquirere hic pergimus.

Tumores subcutanei.

Ac primò quidem cutis, maxillae inferioris a margine, ad claviculas et sternum descendens, subjectis sibi tam altae dignitatis partibus laxiore modo vinculo adhaeret; nuchae vero, seu cervici, vicinius conjungitur. Hanc ob rationem homines laute viventes, otiosos tamen ac multa pinguedine turgentes, mento quasi triplici et pectoris ad confinia usque extenso, anhelantes incedere conspicimus. Eandem ob rationem ac ob viarum aerearum propinquitatem, toties ad collum anterius nascuntur emphysemata (§. 707.). Vel a solo colli *erysipelate*, haec pars, vix adeo a sanguine, in vasis ejus collecto, quam a lympha copiosa, in telam cellulosam subcutaneam per secretionem morbosam deposita, inflatur et turget; nec prius, ac haec exinde resorpta sit, collabitur. Vel ipsam ad *nucham*, etsi cutis huic tam arcte adhaereat, cum pars haec corporis, ob morbos capitis vel proprios, vel modo symptomaticos, cum *emplastris vesicatoriis* atqu

sinapismis frequentius, quam aliae partes, ac saepe eundem repetitò ad locum, imprudenter vexetur: tumores conspicui ac ipsi, ut pluries vidimus, *anthraces*, maligni haud raro, nisi recte tractati, vel in cervicis osseae cariem, vel ipsam in mortem transituri, nascuntur.

Frequentius interim ejusdem, aut albuminosae, sebaceae materiae, continuò densioris, collectio ad certas modo cellulas, sub cute juguli hac, vel illa, plerumque laterali, ob causas quascunque a phlogosi correptas, contingit: ita ut humor ille, sensim sensimque auctus, ac tandem plus aut minus coactus, segmentis cellulosis, fibrosis in medio diruptis, consumtis, ex pluribus spatiolis cellulosis, ampliorem in folliculum confluat aut penetret; donec et iste, a contenta materia, volumine ac pondere auctus, vicinas sibi telae cellulosae lamellas exteriora versùs urgeat sibíque devinciat: quo tandem modo, plerumque satis lento, in saccum conspicuae molis, densitatis, basi plerumque lata, interdum, pedunculi in modum, tenui, a collo pendentem, haud raro vasa hujus majora, venosa, arteriosa, sibi vicina, sub insigni rerum discrimine, comprimentem atque motu ab

Tumoros folliculosi.

istis mutuato, aneurysmatis adinstar, pulsantem degenerat.

Phymata profundiora.

Quae vero hoc modo ad *exteriora* juguli contingunt, ea quoque *profundius* in isto hinc inde nascuntur, variae scilicet naturae (glandulosae aut ſolliculosae plerumque), nec tamen facile in carcinoma, vel in cancrum transitura, phymata. Sic nobilis matrona 50 annorum, scrophulis, ut vocant, nunquam subjecta, sed a contractae quondam luis siphyliticae, quamvis ab aegra constanter negatae, suspicione non libera, primò sinistram, posthinc et dextram colli ad partem, tumores glandulosos, dolentes, tandem inflammatos atque lente suppuratos obtulit. His jam per menses sanatis, *dysphagia* successit. Contra communem istius decursum, haec matrona cum longe minore difficultate liquida, quam cibos quidquam solidos, deglutire tunc potuit. Febris interea lenta, pallor faciei, summa emaciatio, cum vespertinis exacerbationibus et sudoribus nocturnis, etsi nulla hucusque tussis se proderet, hunc morbum comitabantur. Neque hic malorum finis fuit! laryngem nempe ipsum, etsi vox aegrae, a voce foeminae dictae aetatis vel minime abluderet, ac licet nulla unquam aut

laryngitidis, aut cynanchis faucium symptomata praecesserint, osseum magis, quam cartilagineum, tactu percepimus; os vero hyoidis multo crassius, compactius, atque immobile magis, ac id unquam observaverimus, fuit. Foeminae, quae, post sublatam feliciter in clinico instituto *Ticinensi* peripneumoniam, inexspectatò in *dysphagiam* incidit, exemplum jam alibi a nobis relatum, quousque illud hùc pertinet, brevissime hìc tangimus. Exorto nempe in media atque profunda colli regione sinistra dolore, quin tumor conspicuus ibidem percipi potuisset; febris nova et perfecta deglutiendi impossibilitas secutae sunt. Post paucos dies, mamma sinistra atque lateris ejusdem brachium, insigniter tumere, tendi, dolere ac rubere coeperunt. Ipsa harum partium vasa lymphatica inflammata, copiose in conspectum venerunt. Morte non multos post dies insecuta, cadaver sollicite dissectum, abscessum id nobis largum, profunde retro medium oesophagum, simul inflammatum, haerentem, et vasa subclavia sinistra ubique comprimentem, ut dysphagiae acutae, refluxùs lymphae per vasa sua e mamma et brachio sinistro impediti, ac celeris interi-

tûs causam nobis obtulit. Tam longo oesophagi sub itinere, tot injuriis, ab assumtis esculentis, potulentis, vix non ebullientibus, aut aestuante corpore, glacialibus, acrioribus, spirituosis, ab ossibus, spinis piscium aculeatis, variisque peregrinis corporibus, media hujus canalis in via exposito, hic ipse canalis, culpâ tam *aliena*, quam etiam *propria*, non paucis functionis sibi impositae obstaculis, de quibus hìc sermo est, et aliis subjicitur, ac innumeras, non modo thyreoideam tumentem per glandulam, sed et vicinorum viscerum, glandularum proximarum, imprimis *dorsalium*, phymatibus variis, abscessibus, a morbosa cum partibus aliis concretione, necnon ab arteriarum aortae, carotidum, subclaviae aneurysmatibus, adfectiones morbosas patitur. Aegrotantis autem ipsius oesophagi, copiosa sunt admodum, quae describendum hìc loci retentionum ad ordinem haud pertinent, vitia: aphthae, inflammatio, abscessus, induratio, interdum quasi cartilaginosa, vel et ossea, scirrhus, carcinoma, ulcera varia, haud raro cancrosa, excrescentiae spongiosae, polyposae, gangraena, varia ex illis, angustatio, distorsio, et conspicuos in saccos dilatatio,

ıternorum parietum coalitio, spasmus, con-
ulsio, paralysis. Ulcera oesophagi, partes
haryngi, et *cardiae* vicinas praediligunt.
Nos ipsi militis oesophagum, ita ut vix setam
orcinam admitteret, ubique scirrhosum
onspeximus. Foeminam illustrem, a *dys-
hagia*, multos per annos continuata, et a
hthisi tuberculosa tandem exstinctam, tra-
tavimus: cujus ad oesophagum, loco ejus
onstricto, indurato, superiore, saccus per-
mplus repertus fuit. Hoc in sacco, aegra,
otum, quo fere solo vescebatur, *coffea-
um*, cum lactis cremore remistum, saepe
er horas, nolens, retinere, ac tandem,
bsque hujus lactis coagulo, qualem hunc
otum assumserat, dulcem ac immutatum,
uctare magis, quam vomere solebat. Non
rae sunt colli, imprimis anterioris, lae-
ones cruentae, contusiones, abscessus, e
ibus sanguis, humor purulentus, aut sa-
osus, per cutem excerni impeditus, vicinas
lae cellulosae laxioris vias obliquas et ma-
s profundas legens, collectiones hic mor-
osas, compressione vasorum majorum,
perae arteriae, oesophagi, aut et nervo-
um colli, vel suo sub osse sterni descensu,
ulmonibus adeo funestas, inducat.

Collum obstipum.

In *colli obstipi* (nunc satis *recentis*, interdum, praecipue ex rheumate, erysipelate, contusione, vulnere, furunculo, abscessu, *acuti*, — nunc vero jam *chronici*, — hoc in aegro *constantis*, in alio *periodicae*, atque tunc magis symptomaticae, plerumque spasmodicae, naturae, — hìc vertebrarum cervicalium a vitio topico, vel et rachitico, — illinc vero cutis, ab ambustione, vulnere, cicatrice nimis stricta brevioris, vel musculorum diversorum, imprimis platismamyoidum, sternomastoideorum, reclinato in latere, vel jure constitutionis, sanitatis, vel ex morbo, in antagonistas praepotentium, — in opposito vero, aut ex laxitate, atrophia, paralysi, aut ex profundiore cicatrice, aut ex mala consuetudine, prout poeta satyricus jam cecinit, *adulatorum*, *meticulosorum*, illorum imperio cedentium, — subinde ex causis adhuc prorsus incognitis oriundi) rationes tam multiplices hìc loci illustrandas, descendere nequimus; hoc unum hùc spectat: quod toties, ac, vel ad musculos, vel ad arterias, in ipsa fibrillarum carnearum cellulosa interstitia humor in coagulum pronus morbose secernitur, atque corpus intermedium istis, vel mole sua atque consisten-

a, vicinarum motui fibrarum adversum, in
no colli latere constituit, vel partis ita con-
iensatae, retractae, rigiditatem ac resisten-
iam adauget: toties oppositi lateris fraternus
nusculus, suo, in sustentando capitis ae-
uilibrio jure spolietur.

§. 812. *Therapiae medicae* in sanandis, Cura.
uae §. 811. descripsimus, juguli vitiis,
aupertatem dolenter fatentes, majorem
liquanto in *artis chirurgicae* (quamvis hìc
on parum limitatae, subinde vel ex eo,
uod, resecto unius lateris musculo nimis
ontracto ac brevi, huic demum jugo sub-
actus, alter ac sanus, eandem aliquando
n collo morbose flectendo tyrannidem exer-
eat, incertae) subsidia fiduciam ponimus.
luam imperfecta hucusque dicenda sit *stru-*
arum (*scrophularum*), vel ad collum, vel
lias ad partes eae resideant, pertractanda-
um ratio, medicorum, etiam peritissimorum,
t suo loco neque nos celabimus, nullus certe
iffitebitur. Etsi vero thyreophyma verum
§§. 800. 801.) morbo strumoso frequenter
onjunctum, sub methodo medendi contra
llud laudata (§. 810.), hoc ultimo prorsus
ntacto, persaepe dispareat; exempla tamen,
cet modo pauca, habuimus, spongiae ma-

rinae ac aethiopis antimonialis longo sub usu, praemagnos et thyreoideae, et glandularum colli aliarum tumores annosos, non parum fuisse imminutos. Illa ipsa matrona, dysphagia jam ultra annum adfecta, cujus supra (§. 811.), mentionem injecimus, sub frequente clysterum nutrientium, ac gelatinae animalis usu, a porrecto primum spongiae ac pilae marinae descripto jam lixivio, dein ab ingesto pulvisculo ex gummi guajaci, calomelas ac sulphuris aurati antimonii aequa portione composito, atque illinito demum anteriori colli regioni unguento mercuriali, propter dolores lancinantes, hinc inde ex illo, ad aurem ac tempus dextrum ascendentes, cum opio remisto, deglutiendi facultatem fere omnem, sub qua tamen liquida non, ut antehac, solidis facilius, sed quidquam difficilius hauriebat, decem hebdomadum spatio, cum haec scribimus, obtinuit. Saepe tamen nimis glandularum strumosa, aut alia colli vitia, internis auxiliis pertinaciter resistunt; donec ea, humore scilicet morboso plus minusve condensato, gravida, chirurgicae lanceolae, caute admotae, promte satis obediant. Superficiales magis colli tumores glandulosi,

aecdum integre suppurati, nisi iidem, ponte forsitan atque profundius dirupti, nobiliores in partes infernas deferri minentur, quò cicatrix minus foeda obtineatur, sibi ipsis committendi sunt. Qui ad *collum anterius*, sub cute nimirum tam laxa, oriuntur, tumores, in abscessus conversi: illi certe, ne pus, suo pondere, viam sibi inferiorem atque hinc facilem, subintret, caute ope lanceolae maturius adperiendi, vel ,, forsitan profundius positi, cultrum, falle funestum, recusent; cum escaroticis, absque mora longiore, pertractandi sunt.

ORDO III. GEN. III.

RETENTIONES THORACICAE.

Transitio. §. 813. De retentionibus *thoracicis*, tam *aereis* (§. 707.), quam serosis (§. 739.), jam locuti, eoquod ex ipsis his ultimis, cum muco aut lympha morbose secreta remistis, mora temporis condensatis, mucoso-lymphatica potius retentio succrescat, quin hanc simul illis in locis retentionem tangeremus, imprimis ubi de *cystico pulmonum hydrope* fuit quaestio (§. 742.), evitare non potuimus. Sic etiam quae de *catarrhis* tracheae, bronchiorum (§§. 511. 512.), de peripneumoniis (§. 186.), maxime de *nòtha* (§. 188.), et quae de *tabe pituitosa* (§. 513.) retulimus; ea certe, nisi morborum istorum solutio praeprimis per sputa, locum inveniat; de diversis retentionibus, maxime de mucoso-lymphaticis, quidquam participant, atque hùc demum simul revocanda sunt. Pauca

;itur a nobis, quae retentiones *thoracicas* oncernunt, his addenda superstant, ac ıodo de *lacteis*, *lymphaticis ad mammas* ongestionibus, de *dyspnoea pituitosa*, de uibusdam *tumoribus*, a scirrhis ac a strumis, de quibus alibi speciatim agemus, versis, et denique de *polypis bronchiabus*, ac de retentionibus mucoso-lymphacis, in ipso *mediastino* aliquando contine re solitis, mentionem faciemus.

§. 814. Sub consideratione *galactirıoeae* (§§. 553. 557.), multa, quae *mammas* earumque functiones concernunt, mame vero quae liquoris nivei, pusionum nuitioni dicati, per illas *jacturam* respiciunt, tigimus. Hìc vero de ejusdem liquoris beficì *retentione* morbosa ejusque praecipuis ıoenomenis sermo faciendus est. **Retentiones lactis.**

Nulla pars corporis humani, tum diverss inter populos, tum inter ipsa istorum invidua, quoad formam, amplitudinem, contentiam, directionem, tam diversa est, ıam esse solent *sexûs sequioris ubera*. his enim ista, mammis virorum, sua pletudine, modo parum dissimilia; — in illis, lumine duplo majora; in aliis, prorsus gantea et, ut a collo suspendi debeant, in

quibusdam, monstrosa, vel adeo universim inaequalia; — hìc forma elegante, hemisphaerica, pectori in angulum rectum superimposita; — illinc, metae, seu coni in modum pendula, vel ad humeros usque flexilia, — nunc, sinu intermedio arctiore sibique viciniora, osculantur se mutuò; — nunc largiore hiatu divisæ, semetipsa fugiunt. Mammae, in virgine sacra, *osseae* exemplum Ephemerides naturae curiosorum conservarunt; atque nos ipsi foeminam, duarum jam prolium matrem, novimus, cujus ubera, praeter frigus fere glaciale, *marmoream simul duritiem* offerebant. Atque haec quidem a costarum convexitate, a pectoralis musculi torositate, a coeli, temperamenti, valetudinis, secretionis menstruae, vestimentorum potissime, victûs, nutritionis, exercitii, pathematum animi ratione diversa, scaturire censentur, mutationes vero non exiguas, ab aetate, a statu vel coelibi, vel conjugali, — atque, sub hoc, aut sterili, aut fertili, ab officio nutricis aut adimpleto, aut recusato, subeunt. Oportet vero a tanta unius ejusdemque organi (dignitate post *uterum* primi) inconstantia, etsi, eidem adsueti, hanc minus miremur, stabilitam inter partem

sexualem utramque harmoniam, saepe non parum perturbari; atque hanc ipsam discordiam, nunc generandae, nunc vero nutriendae in prolis sortem non parum influere necesse est. Etsi vero lactis secretionem a mammis, mole non parum inter se diversis, eodem circiter successu absolvi videamus; „*uterum* tamen *contractum* ac *parvum*, in nonnullis non raro conspici *praecipue sterilibus*, quibus *mammillae* quoque *parvae* et *contractae* sunt, ut ex illis *uteri parvitas et exiguitas* etiam arguatur," jam celebris *Lusitaniae* medicus, — et, qui ipse, „*steriles* quasdam mulieres novit, quibus, praeter papillam et areolam, vix, ac ne vix quidem, mammarum esset quidquam," summus *Italiae*, de sedibus et causis morborum scriptor, animadvertunt. Major in rem tam alti momenti, medicorum attentio, plura quondam forsitan comperiet.

Nullum omnino mulieris humanae voluntati in lactis officinam imperium est. Pluribus adeo nutricibus, cum ubera, lacte licet turgida, filiis sugenda porrigerent, per aliqua minuta nihil lactis ex illis effluere, — tandem vero vias lacteas, quasi sponte, adperiri (quod „lac sibi irrepere" *Germanae*

dicunt) intelleximus. Aliter haec res in *brutorum* quorundam animalium foeminis, — multis saltem in *vaccis, equabus,* se habere videtur: ut quae, plenissima sibi ubera, mulgentibus saepe pertinaciter clausa tenent, lactisque petitum effluxum ex mala voluntate impediunt. De *Africae meridionalis* vaccis, ab europaeis tamen haud diversis, jam dudum retulerunt: eas, nisi vitulis suis praesentibus, lac sibi constanter *comprimere*"; ac nuperior adeo illis de oris scriptor, indecorum satis, quo promontorii *bonae spei* incolae animalia haec, ut lactis fontes mulgentibus adperiant, cogunt, subsidium in artificiali *vaginae inflatione* consistere testatur. Ipse jam historiae parens, de *Schytis* retulit: „Hunc populum pastorem, *equarum uteros flatu,* per pudenda cum fistulis osseis immisso, *implevisse*, atque tumefactis sic uteris, ad mammas lactis copiam praecipitasse. „Quodsi vero mulier humana, lac, jam secretum et turgens nisu proprio coërcere nequeat; saepe nimis hoc liquidum, vel ex causis morbificis effluere arcetur; vel a matertera sitienti puero crudeliter detrahitur; vel hoc exstincto, aut ad sugendum inepto, vel quod pusio, non utram-

que, sed unam modo semperque eandem mammam sugere aut velit, aut ob varias rationes deplere queat, nisi sponte illud vias consuetas forsitan sibi pandat, in sinu materno concluditur nasciturque *Polyalia*, seu lactis in mammis superabundantia.

§. 815. Ductuum lacteorum, serpentino incessu ad papillas mammarum turgentium, totidemque per istas orificiis patentium, morbos nec a longe quidem satis perspicimus. Contextus cellulosus copiosus, elasticus, praeter adipem, hos ductus lacteos circumambit, eosque, lacte plurimo turgentes, firmat et sustentat. Horum ductuum excretoriorum moderata compressio externa, gradatim versùs papillam directa, sub mulctu, humorem lacteum contentum magno cum impetu, singula per ostiola expellit. Mox novus et copiosus hos tubulos subintrat latex niveus: qui similis motûs, vel suctionis beneficio emulgetur, extrahitur. Humanae foeminae, vel praegnantis, vel nutricis, ubera, absque his subsidiis externis, lac nimium, non aequali tamen aut temporis, aut facilitatis ratione, dimittunt. Quaecunque vero causae canales excretorios alios, ut alluenti humori renitantur, inducunt: **Causa**

eae quoque ductus lactiferos impervios reddunt ac laedunt.

Quae cum albo, ex saturninis, colore ubera ſucant, venas istorum cum coeruleo pingunt, aut cum unguentis, facile rancidis et acribus, mammas obliniunt, aut aëris injuriis easdem incautae exponunt: eae, tam augendae pulchritudinis a fine quamplurimum aberrant; quam transpirationem hujus globi lactiferi supprimunt, cutem illius teneram, vetularum in corium transmutant, condensant, nervos ejusdem, sensu sibi proprio spoliant, et non paucos sibi, suo tempore gravidis, puerperis, nutricibus, mammarum morbos ipsaemet praeparant. Damna vel maxima, compressione sua, mammis inferunt thoraces, trabeculae, vestimenta nimis arcta: quae nempe papillarum incrementum cohibent, easdem ipsam in mammam profunde reprimunt, fere omnes obliterant, ac verrucae in modum deformant. Decem inter virgines, insano hoc amictu coercitae, vix una est, quae novos, quos, nupta, reipublicae cives exclusura est, propriis uberibus alere possit. Quae, in primo *politiae medicae* volumine, hac de materia atque de illis, quae *phyſicam filia-*

rum educationem in bonum reipublicae ac proprium concernunt, jam octo abhinc lustris, — et quae posthaec de *lactationis maternae officio, non impune negligendo*, in secundo ejusdem operis tomo, societatum humanarum antistites docuimus: ea, laudis quidem sat multum, — fructûs vero perparum hucusque procurarunt. Vix praevisum hunc rerum eventum, aequa, ut speramus, bilance ponderabit, judicabit *posteritas.*

Ad papillam, areolam.

Ipsius *papillae* et *areolae* constitutio morbosa hìc primò consideranda venit: ut quarum prima, vel nimis retracta et brevis, vel justo tenuior, longior, aut crassior, vel excrescentiis fungosis aut aliis obsessa, vel quondam fissa, exesa, dein cicatricibus obducta, vix non callosa, non potest non lacteorum ostia canaliculorum obturare atque claudere. Ad *areolas glandulae sebacae* positae sunt, quarum humor subcereus, papillarum confinia, tam facile a lacte destillante, vel a puelli acriore quidquam saliva excorianda, defendat. Sub ipso primae graviditatis fine, in sanissima coeterùm ac juniore foemina, vidimus has areolas superficietenus inflammari, ac per mediam illius partem, quasi a cantharidibus, vesicis, sero

flavo ac tenaci repletis, repetitò obsideri. Elegantis, nec alterius morbi suspectae mulieris utramque areolam mammalem, ab *herpete rodente*, ad omnia diu rebelli, exedi vidimus, et cum solo tandem cremore lactis dulci, saepius in die superimposito, sanavimus. In duabus, tenerae adhuc aetatis, virginibus, jam vero pluries menstrua expertis, *strumoso habitu instructis*, mammas, quin fluxus tunc periodicus instaret, plus una vice tumentes, rubras, atque summe dolentes, — *areolas* vero illarum valde exulceratas, non ita pridem conspeximus. Coeterùm a *contagio venereo* haud raro maligna magis, lacera et lardacea prorsus ulcera, tum ad has *areolas*, tum ad ipsas *papillas*, nascuntur. Illi igitur folliculi sebacei aliquando obstrui, ac molem majorem, quae ductus lacteos, sub cute tenera papillam adeuntes, non parum angustat, adquirere possunt. Frequentiora interim lactis effluxui impedimenta ponuntur ad loca, per quae ductus lactei excretorii ad papillas properant. Sic egregius anatomiae pathologicae scriptor, octodecim annorum mulierem, pluribus ad ubera doloribus atque incommodis vexari conspexit, cui, primis vitae suae diebus,

more obstetricum variarum iniquo, lactescens humor teneris mammillis tam ruditer expressus fuerat, ut vehemens has glandulas inflammatio prehenderet, ac subsequens suppuratio papillas ipsas devastaret. Sunt, quibus, primo constructionis vitio, ad mammas *papillae defuerint*, aut et numero plures, tres quatuorve, exstiterint: sic, ut nos quoque *duplicem*, una in mamma, *papillam*, quarum una longe minor altera, lacti tamen patula fuit, in instituto clinico *Vindobonensi* auditoribus nostris exposuimus; ac ut *Friburgensia Brisgoviae* inter moenia, duplicem in utraque mamma papillam, mulier juvenis offert.

Rarum est, sed aliquando contingit, foetus, *dente*, ex incisivis uno vel altero jam instructos, utero excludi. Longe minus insolitum est, hos dentes, lactationis sat recente adhuc sub epocha, pueris subnasci: quo rerum sub statu, hi ipsi haud raro, vel ex aviditate, vel ab aliis rationibus excitati, papillam nutricis graviter, nec sine ductuum lacteorum laesione, ac insequente inflammatione, suppuratione, momordisse, et partim destruxisse conspecti sunt. Infantes etiam, quibus dentes necdum concessi sunt, lactis avidissimi, simul vero lentioris, quo matri-

bus quibusdam hoc effluit, impatientes, papillam cum gingivis male tractant, quasi masticant, excoriant, ac adeo hanc particulam destruxisse, visi sunt. Saepius *rhagades* papillas mammales, extreme sensibiles, molestant. Quodsi tunc proles has sugere continuet; augentur indies, sub summo nutricum cruciatu, hae *fissurae*, et *papillarum*, hoc etiam modo, a mammis *abscedentium*, ulcerumque, curationis admodum difficilis, exempla non desunt. Tum a glandulis quibusdam sebaceis, quae mammarum ad papillas resident, tum ab istarum irritatione, ac non infrequente, leviore licet, phlogosi, *pseudomembrana* interdum circa illas subnascitur: quae ductuum excretoriorum oscula obducit, ac in primiparis, nisi prius emollita, et a papillis separata, lactis effluxum omnem impedit. Multorum ad papillas vitiorum, culpam *thoraces* et *cingula*, quibus virgines sibi ubera superiorem ad pectoris regionem, tam insano conatu, ut et vestigia illarum dispareant, urgent et comprimunt, agnoscunt.

Ad mammae globum.

Non glandulosi acini, non glandula *in medio* mammae sunt; sed soli ductuum lacteorum trunci, multa tela cellulosa obvoluti et inter se colligati: quae quidem cellulosa

a distentis lacteo humore truncis comprimitur, et progressu temporis ita condensatur: ut non exiguam, vel sanis in nutricibus, duritiem contrahat, et a morte puerperae lactantis insecuta, prosectoribus sat magnam, hanc mammae sedem extricandi et cognoscendi, difficultatem pariat. In hujus igitur telae cellulosae interstitia facile humor puriformis secernitur, qui, per moram induratus, ipsos ductus lacteos, per medium sui ad papillam tendentes, comprimit, et lactis per illos effluxum intercipit.

Oportet vero, data causa, majorem lactis copiam tum in canalium lactiferorum truncis praecipuis, tum in *sinubus*, quos illi suo confluxu constituunt, retineri; interim nec dubium est, et glandulae mammalis *acinos* (quamvis de horum cavulis haud satis constet) et horum *acinorum radiculas*, quae in truncos confluunt, a lacte cohibito turgere. Papillâ per unicam noctem ligata, vehementer mamma nutricis intumuit. Eadem, ut monuimus, ex facta in telam cellulosam, quae, media sub papilla, ductus lacteos ac sinus inter se colligat, materiae puriformis depositione, ab inflammatione, abscessu, induratione, scirrho, meliceride,

steatomate, pinguedine nimia, tumore lymphatico, strumoso, hos ductus lacteos comprimentibus, contingunt. Similis *remediorum valde adstringentium,* quibus foeminae lac sibi dispellere, aut uberum, a lactatione vix peracta, inductam laxitatem corrigere, ac formae elegantiam virgineam hemisphaeriis his restituere contendunt, est actio. Etsi nempe haec remedia, interna istarum minus, quam integumenta, attingant; horum tamen major constrictio, vasorum lactiferorum dilatationi resistentiam opponit, atque lactis jam secreti per haec decursum ac effluxum praescindit. Ab inflammatione mammae quidquam majore, *papilla, retracta,* per tumorem vicinum vix non sepulta, comprimitur. Sicut vero tenera et innocens virgo, vel per verbum *pudore* laesa, confestim, non genis modo, sed *toto quoque sinu erubescit,* et a sanguine suis in vasis cohibito suffunditur: ita quoque *metus* et *terror subitaneus,* per spasticam tubulorum lacteorum ad hanc partem, nervis ditissimam sensibilissimamque, contractionem, lac illico suppressisse est visus; et quod magis insigne *nervorum* et habitûs analogi in ubera imperium patefacit, est summus *mammae unius*

cum altera consensus: quo fit, ut similis ex hac, in alteram transeat adfectio. Nec minoris ponderis est major aequo *vasorum sanguineorum* ad ubera *repletio*, extensio: qua toties, ab imminente fluxu periodico, a lochiis aut menstruis suppressis, ea dolent, turgescunt ac duriora redduntur. In teneris adeo, decem, vel duodecim annorum virginibus, tumores aliquando in mammillis oriuntur, quos modo prima menstrua, vel, tardius, primum puerperium, dissipant.

Summa vero *frigoris*, in lactis effluxu cohibendo, potentia est; et pars inflammationum ac retentionum acutarum, has ad partes vel maxima, *denudationi mammarum* apud nutrices, sub media transpiratione, incautae, atque consueto amicarum, ex atmosphaera saepe frigida et humida, tepefactis nec quidquam prius vestibus, puerperarum ad lectos conventui debetur. Ipsa quoque *puellorum, pro lactatione jam nimis adultorum*, robustorum, *suctio violenta*, qua, imprimis sub defectu lactis sufficientis, et sanguis aliquando e mammis violenter extrahitur, atque teneris ita lactiferis canaliculis vis nimia infertur, hùc pertinet. Quasi funes contortos interdum hi

lactei canales ampliores, obstructi, praesentant; ac vel sponte, vel, ubi violenta nimis suctio, aut contusio externa accedant, rumpuntur. *Pusionum* etiam in exsugendis, deplendis nutricum uberibus *infirmitas*, aut nata illis ex *ranula, ex frenuli, palati vitiis congenitis*, ex *aphthis* oris, vel alio ex morbo, deglutiendi difficultas, lactis ad mammas redundantiam, stagnationem, haud raro provocant.

Retentio igitur lactis, vel in ipsis canaliculis, truncis ac sinubus lacteis contingit; vel, his diruptis, in tela cellulosa, his ductibus vicina, locum habet. Sic foeminam ad nosocomium *Ticinense*, cum tumore mammae sinistrae tam insigni venisse conspeximus, ut fere sexduplam mammae dextrae nobis magnitudinem offerret. Indolens hic tumor tunc fuit; sed summum ob pondus, cum fascia, a collo ad imum abdomen pendente, sustentari debuit. Accedente simul celeberrimo chirurgiae practicae hac in academia professore, qua ratione tumor hic insignis exortus esset, inquisivimus. Respondet mulier: „se filium propriis ex uberibus jam ultra annum cum dimidio aluisse, cum hic infans, robustus, tanto quondam cum

impetu lac e mamma sinistra protrahere tentasset, ut ingentem illa dolorem hac in parte senserit. Ab eo tempore, refert extenuata satis mulier, tumorem, sex fere hebdomadum spatio, sub doloribus mitioribus, ad eam fere molem, quam nunc nobis offerret, increvisse; per tres vero cum dimidio menses, sub dolorum cessatione soliusque ponderis sub sensu, modo parum huic tumori accessisse. Manifesta nunc hac in mamma fluctuatio, collegam nostrum, ut mox cum tricuspide hunc tumorem, inopinante foemina, perfoderet, induxit. Exspectati vero *puris* in locum, hac e mamma gigantea, lactis dulcissimi, incorrupti, cremori similis, *librae circiter decem* prosilierunt; quo praestito, saccus ingens et vacuus a glandula mammali pependit, mox cum fascia et illis, quae robur amissum illi paulatim restituerent, muniendus. Instituta tunc cum hoc liquido, in parte corporis calida per quinque menses et ultra stagnante, analysi chemica, *lac verum, nec quidquam corruptum*, illud esse, in omnibus hoc nobis examen ostendit. Casum huic fere similem, a viro celebri, *Berolini*, non multis abhinc

annis, observatum, in ejusdem *archivio medico* legimus.

Sympto-mata. §. 816. Quaecunque vero causa lactis copiam in systemate mammali retineat, vel etiam ubi, plena licet, ubera mater filio subtrahit; sub victu parciore, sub fotu debito, ac sub coeterarum excretionum, imprimis lochiorum, recto regimine, hoc liquidum, nisi aliud quid obstet, feliciore sub omine sensim sensimque ad vasa mammarum lymphatica, — ex his, in ductum thoracicum revertitur, atque hoc ultimo in ductu, cum chylo, lympha, mox vero ipsa cum sanguinis massa, miscetur, et sui in cruorem metamorphosin exspectat.

Tumores lactei. Contrario vero ac nimis frequente sub casu, ex eo liquido stagnante, vel mox a pusionis ab uberibus remotione, vel ex eo, quod serior lactis separatio per menses saepe multos continuet, longe tardius *tumores* sic dicti *lactei* nascuntur. Tunc scilicet mammae, antehac elasticae, aequales et glabrae, intumescunt magis, tenduntur, ponderosiores et hincinde salebrosae fiunt; dolor in illis, necdum interim pulsans, insurgit, nec etiam rubescunt; glandulosas prominentias, vel tumores oblongos, funifor-

mes, tactus, aegrae longe sensibilior, in illis distinguit. Frigoris, aut quasi glaciei inter scapulas suspensae, sensatio, saepe febris ephemera, vel paucas modo ad horas extensa, subintrant.

Haud raro autem, sub majore a lactis retentione, vel quocunque alio a stimulo, *inflammatio ad mammas*, dolor ardens, pungens, saepe intolerabilis, accedunt; anxia, inquieta redditur mulier, difficilius ea respirat; febris, praevio saepe frigore, calore magis accenso, protrahitur in longum; pulsus frequentes ac pleni fiunt, dolet caput, nausea, sitis intensa; dolent ipsa brachia et, glandulis subaxillaribus plerumque simul turgidis, tensis atque dolentibus, prae mammae tumore, cruciatu, nec ullo modo moveri, nec trunco adpropinquari possunt; effluxus lactis e mamma fere omnis suspenditur; tumor, quo loco incendium magis urget, interdum duplici, major, longe durior tactûsque omnis, cute hìc insigniter tensa, splendente, ruberrima, fere sublivida, impatientissimus est. Aliquando, dum febris dolorque minus urgent, et lactis effluxus augetur: tumoris hujus *resolutio*, sub copioso plerumque, et acidum spirante su-

Inflammatio mammae.

dore, sub urinae turbidae excretione, obtinetur. Frequentius vero augentur indies symptomata: dolor nunc fit pulsans, totiusque mammae volumen insigniter augetur. Haud raro et sociae mammae, imprimis ubi lactis ex ea effluxus intercipitur, simile subsequitur incendium.

Suppuratio. Sub tanto malorum incremento, *suppuratio* certe timenda est; saepe interim in parte magis tumente, inter cutem scilicet et glandulam, humor seroso-lymphaticus colligitur; cutis super eo quidquam mollescere, digitoque magis cedere advertitur. Quodsi autem fallaci hoc e signo, ad factam jam illinc, vel ad latentem in profundis *abscessum* concluseris, et ad cultri usum chirurgici te mox converteris: crudam iste glandulam, cum summo mulieris tormento, malique notabili augmento, quin, praeter sanguinem et serum è vulnere quid effluat, subtus attinget ac ausu insano dividet. Sic juvenis et venustae mulieris mammam, gravi ac sat recente incendio correptam, a chirurgo, non parum aliàs in arte versato, etsi *pus* in istà tam promte exspectari non posse, hunc sollicite admonuissemus; nihilominus vix non per medium cum cultro dividi, —

puris vero nec guttulam tanto e vulnere educi, dolenter conspeximus; nec sane difficile foret, plura tam audacis festinationis tristissima exempla, nisi hoc unicum sufficeret, hìc adferre: ut nullam fere partem corporis tam ruditer et incaute, quam benefica generi humano ubera, tractari, experti nimis simus. Lenta nimirum *glandularum* suppuratio, quod jam de *bubonibus* inculcavimus (§. 538.), esse consuevit; ac saepius, quod ibidem non minus monuimus, in contextu celluloso, illas inter et cutem posito, humorum, a pure longe diversorum, superficialis collectio, quae spem *resolutionis* non omnem mox auferat, contingit. Frequenter vero pus ipsum, quod in sinu glandulae aliquamdiu restagnat, feliciorem ejusdem, adhuc durioris, maturationem non parum adjuvisse observatum fuit. Plura de *mammarum abscessibus*, quorum cura chirurgos respicit, hìc non adducimus.

Sub febre, in laxioris habitûs nutricibus praecipue, mammarum inflammatio non satis promte resoluta, haud raro glandulae istius in parte adfecta *duritiem* post se relinquit, a *scirrho* interim, prout alibi jam docuimus, diversam. **Durities.**

Retent. lacteae reliquiae.

Quamvis autem *tubera* mammarum *lactea*, inflammationis conspicuae hucusque expertia, non exiguam saepe atque callosam fere duritiem assumant: ita ut istam ex lactis *coagulo* et *grumis*, aut quasi *indurato* in vasis lacteis, vel in tela mammarum cellulosa detento a *caseo* quamplurimi repetierint; experientia tamen docuit, quod ejusmodi tumores, etsi jam antiqui et ad annos aliquot extensi, plerumque tamen non tam firmam ac solidam, quam *liquidam* satis materiam continuerint, saepe sponte per fotum, aut opportunis cum remediis, aut novo puerperio, validaque satis novae prolis robustae suctione eliminandam. In aegrotantibus interim nutricibus, lac diutius intra mammas restitans, flavescere denuo et spissescere, non minus rerum eventus docuit.

Metastases lacteae.

Sed magni momenti theoriam, saeculi ultimo elapsi clari medici, imprimis obstetricii, super *lactis*, in mammis cohibiti, ad massam sanguinis *retrocessione*, ac diversas in partes *metastasi*, fundarunt. Ea scilicet ab epocha, vix mammae puerperae, vel nutricis, paulo promtius conciderant: ubi aliam ad partem dolor internus, inflammatio, tumor, aut profluvium *albidi colo-*

ris, vel citius, vel tardius has mulieres prehenderant: fere singuli hi morbi, ex *lactis metastasi*, magno satis diagnoseos, hoc modo levioris sibi redditae, cum commodo, derivari sueverunt. Jam pridem, sub causarum *febris*, ut vocant, *puerperalis* examine (§. 219.), opinionem eorum, qui hanc febrem ex *lactis depositionibus* repetere contendunt, impugnavimus; ac si forsitan nos ipsi, cum exemplo proprio puerperae, mammas, lacte plurimo repletas, filio suo recusantis, et ex dissipato per vapores uberibus admissos, lacte, a cruris tumore insigni, albidissimo, ac a doloribus acerbissimis prehensae (§. 559.), praedictam confirmasse videamur hypothesin; longe absumus nihilominus, quin hunc rerum in illa muliere decursum, ipsi *lacti*, ex mammis in crus adfectum *deposito*, tribuendum esse credamus. Aliquando scilicet, primis a puerperio diebus, tumores cruris unius vel alterius, cum dolore ad inguen, celeriter ad vulvae labium et per crus ad genu, vel ad pedem extensi, albidi, caloris morbosi expertes, aequales, digito renitentes ac oedemate firmiores, nascuntur; haec vero cruris adfectio, non ex lactis metastasi, sed ex glandularum

inguinalium, a lymphae, per uterum gravidum, parturientem, impedito refluxu inducto tumore ac duritie descendit. Non quidem ideo, quod in delicatulis hominibus, post pastum uberiorem, febriculae speciem a *chylo novo* in sanguinem delato, magis, quam ex opere *subactionis ciborum laboriosioris* derivemus, negabimus, tam amplae secretionis ad ubera suppressionem subitaneam, mulierum saluti contrariam fiere posse. Oportet sane ex resorpta citius, et ad sanguinis massam revecta majore lactis copia, systematis sanguinei *plenitudinem* stimulumque majorem pro tempore oriri: de quibus simul et organa secretoria variis in locis participent, propriamque actionem vel multiplicent, vel ad perversam secretionem impendant. Quemadmodum vero largioribus et ad dies aliquot repetitis ab epulis, chyli copia insolita, massae cruoris advecta, sub regimine magis sobrio, tumultus modo momentaneos in universo systemate, vel, si forsitan majores, — certe non ideo *metastases chylosas*, excitare consuevit; — quemadmodum quotidie aliquoties chylus recens ad sanguinem, quin, ex hoc, partes alias, quam quas debet, ille alluat, defertur: ita quoque

nec a *lacte*, systemati vasorum uberius restituto, praeter temporarios in isto ac in officinis secretoriis tumultus, actio alia, ceu specifica *ejusdem liquidi* in partes alias *depositio*, exspectanda est.

Sequetur igitur hinc inde sub his turbis, a lacte reassumto excitatis, instrumentorum colatoriorum perversa, — non *lactis*, sed humoris, cui secernendo, vel sana, vel morbosa, praefixa sunt, secretio. „Atqui tamen, inquies, *lactei coloris* sunt, vel quae post mammarum collapsum, puerperis, nutricibus viventibus ex utero fluunt, per urinas secedunt, rejiciuntur a ventriculo, miliarum sub forma ad cutem efflorescunt, vel quae, a morte illarum, diversis in cavis reperiuntur; tumorum vero, quos *lacteos* vocamus, albedo manifesta est!" — Quanti vero ponderis haec argumenta sint, tu ipse videbis, si, quae, absque fomite lacteo, aut in *virginibus*, aut in foeminis *sterilibus*, aut, si tibi haec minus sufficiant, quae ipsis in *viris*, sub medorrhoea chronica insonte, sub coryza, sub fluxu coeliaco, phthisi pituitosa, in morbis quibusdam acutis, per urinas, *alba* secedunt, in hujus coloris miliaribus translucet, — vel quae, in eorum

cadaveribus, a peritoneitide, pneumonia, *puriformi* materiae cum sero remisto adscribenda, deteguntur, absque praeconcepta opinione cum humoribus in sic dictis *lacteis*, *metastasibus* reperiundis, comparaveris. Sic, ut nempe non omne, quod *flavum* est, *bilem* constituit: ita quoque non omnis humor albus de *lacte* testatur. Ex tribus cadaveribus admodum diversis, uno, *foeminae*, ex febre puerperali defunctae, — altero, *virginis*, a peritoneitide exstinctae, — tertio denique *viri*, pneumoniâ suffocati, materiam albam, quasi seroso-caseosam, in *Ticinensi* nosocomio collegimus eamque chemico egregio examinandam commisimus; similem vero in omnibus istorum liquidorum, ex duobus cavis abdominalibus foemineis, et ex cavo thoracis virilis haustorum, esse indolem, haec analysis nos docuit. Certe, sicut sanguis ex cruore, albumine, lympha et sero, — ita quoque lac ipsum ex parte serosa, caseosa et pingui construitur. Facile quidem hae partes componentes sese deserunt, et analogiam hoc in secessu haud exiguam, — sed non idcirco qualitatem in omnibus eandem, ostendunt; ac donec novae theoriae fautores, specificos chyli, ab ipso *lacte* sane parum

diversi, characteres in materia *abscessus,* ut vocant, *lactei,* reperta nobis exponant, ejusque a puriformi vel simili materia morbose secreta, differentias patefaciant; hanc ipsis materiam, pro *lacte* imposuisse arbitrabimur. Quantacunque vero sit *novae evolutionis* in praegnantibus periodus, — hujus autem post partum absolutum mutatio, atque liquidorum, prius pro utero, — nunc alios in usus destinatorum, variata directio; cum tamen haec singula non humanam magis mulierem, quam animalium quoque brutorum foeminam aequali modo respiciant, quin in hac ultima sequantur effectus, quos, in prima, his evolutionibus attribuunt; concludere nobis licebit: febris puerperalis, ut vocant, rationes non adeo in *lactea metastasi,* quam in aliis momentis, foeminis animalium brutorum haud communibus, originem agnoscere.

Tumores mamm. in foetu.

Apud utriusque sexûs proles vix utero exclusas, rarius apud paulo adultiores, *tumor ad mammillas,* cum calore, rubore, dolore ad istas, et cum tenuis quasi lactis per papillas effluxu, interdum exoritur; ac in propria familia tale nobis phoenomenon obtigit. Virginem adultam novimus, cui, dum recenter utero exclusa fuisset, mam-

milla dextra jam rubuit, sub attactu valde doluit, ad pomi majoris molem, suppurata pervenit, et sectioni tandem chirurgicae submitti debuit: quo factum est, ut hanc usque in diem mamma haec minor sit altera. Humorem hunc serosum turbidumque mammillarum (in nuper natis utriusque sexus potius majorum, quam post annum evolutum) nativum ac partibus his proprium esse, ut et in puero novenni observatus fuerit, suspicatus est summus physiologus; singulis interim glandulis, teneriore hac in aetate, hoc satis commune esse videtur, quin igitur ratio, cur mammillae potius, quam istae, hinc inde tantopere luxurient, sit cognita. Clarius, ut solent, *vetulae* hanc sibi rem explicant, et vel ab *incubo*, a *sagis*, vel a *defunctae matris suctione*, hos tumores pusionum mammales venire, graviter decidunt; in hoc quidem non difficulter condonandae, modo non illos tam rudi expressione ultrò stimularent et, exemplo supra relato, suppurationem eorum hoc modo petulanter promoverent. Atqui ex hac adeo retentione, cum pusioni, primo aetàtis mense, lac multum ex turgidis mammillis fluxisset, idque adhibitis ab obstetrice repellentibus

compressum fuisset, lactis vomitum, acsi istius origo non alia et communior esse potuisset, venisse legimus (!!).

Nec *virorum*, sicut nec *pecudum masculorum mammas* secretionis lacteae semper expertes fuisse, res inter medicos cognita est. Non igitur ratio dubitandi supermanet, humoris hujus jam absoluta secretione, illius retentionem, a causis, quas diximus, posse induci; et effectus, quos retentio haec in mulieribus post se relinquit, et in *viris* posse prodire, quin igitur cum recente talis observationis scriptore, ea, quae post mammae *virilis*, lac secernentis, inflammationem lactisque retentionem, per renes *alba* secesserunt, pro *lactea metastasi* habeamus. **In viris.**

De *lymphaticis* ad mammas retentionibus mentionem jam fecimus (§. 811.). Saepius interim humor serosus, lymphaticus, aliquando subcruentus, vel et albuminosus, in *cystide* ad mammas colligitur, ac tumorem in his efficit, sub initio parvum, rotundum, a cute sani coloris obtectum, attactu satis mollem, elasticum, indolentem, ac lente augeri solitum; sensim vero magnam hic tumor molem adquirit, duritie circum- **Retent. lymphat. mam.**

circa augetur, plagam interim mollescentem, quasi fluctuantem, retinet, glabritiem suam conservat, nec dolores pungentes, rodentes prodit. Ex justae diagnosis defectu, haud raro ejusmodi tumores pro *scirrhis* declarati fuerunt. Sic *Amstelodamensis* clarus quondam chirurgus, ancillae historiam reliquit, cui, duorum chirurgorum illustrium consensu, ad scirrhum mammae sinistrum exstirpandum, instrumenta jamjam exposita fuerunt; cum ille, in medio tumoris plagam molliorem explorans; hanc prius incidendam proposuit. Vix adperto tumore, magna fluidi tenuis et clari copia ex eodem effluxit; durities vero ac tumor ipse disparuerunt: quo facto, turundâ, unguento digestivo obducta et, hujus cavo immissa, cystide vero illa ipsa post dies aliquot educta, et mamma feliciter sanata fuit. Plura hujus naturae exempla non difficile foret hìc colligere.

Excrescentiae fungosae. Non minoris ponderis, eximii *Parisiensis* medici ac anatomici observatio de *fungosis ad mammas excrescentiis* est: quae scilicet, quasi tubera, hac super parte mulieris aliquando latius extensa, formam ac firmitatem amplioris verrucae assumunt, hu-

morem glutinosum, flaviusculum plorant et, quin uberum ipsorum substantia in coeteris aegrotaverit, pro *cancro* licet declarata, vel ipsius tamen naturae, vel artis beneficio feliciter abacta, sanata fuerunt.

De tumoribus mammarum *strumalibus*, *steatomatosis*, etsi ad retentionem lactis, aut lymphae, et illi subinde contribuant, suo loco mentionem fâciemus. Tumores strumales, steatom.

Singularis prorsus et *consensualis*, ut videtur, naturae, tumorem mammae virilis sinistrae, in duce ac principe *Ruthenico*, nuper conspeximus. A quo nempe vir hic quadragenarius, haemorrhoidum fluxui, saepe effreni, a juventute subjectus, quatuor abhinc annis, ab ictu sclopeti, anteriori ac sinistrae thoracis regioni, versus humerum, absque ullo vulneris vestigio, percussus graviter fuisset: dolorem illico, et quidem in medio mammae hujus lateris, acutum persentire coepit. Contusione licet jam sanata, dolor hic, per vices, ut in *trismo faciei* fieri solet, insigniter ac ad dèsperationem usque, auctus, hucusque superstat. Tertia parte major haec mamma, vix tamen durior dextra, aut morbosi coloris, aut minus elastica, sub attactu perci- Mammae trismus.

pitur. Linimentum volatile cum olei hyosciami, recenter expressi, aequali portione atque cum laudano liquido, huic tumori, bis in die, illiniri, ac eundem, pellis cygni vel et gossypii ope, blande fovere, ac ab omni injuria externa sollicite custodiri, consuluimus. Post octo fere dies, sub hac methodo, dolor omnis ac tumor mammae, per annos morbosae, cessarunt; sed, ob nimis brevem aegri hujus in *Austriae* metropoli commorationem, num haec et interna quaedam, ex antispasmodicorum familia, praescripta auxilia constantem effectum habuerint, experti hucusque non sumus.

Prognosis. §. 817. Praecipua *praedictionum* ex lactis retentione momenta hucusque jam tradidimus. Pietatis nimirum naturalis in prolem, plerasque apud foeminas locupletas, defectus, — curarum, vigiliarum, quas bonis matribus, nutricis officia imponunt, aversatio, — formae atque elegantiae uberum virgineae, quousque licet, conservandae studium voluptuarium, praeter funestos, in filios numerumque civium effectus, a nobis alio in opere expositos, non modo venustatis, sed optatae valetudinis ac vitae adeo ipsius fundamenta hoc in sexu haud raro

subvertunt. Hoc e fonte scilicet, jubente aliter sano mulieris habitu, obturato, compresso, extrema uberum extensio et subsequens hanc flacciditas, nec raro, ut supra monuimus, mammarum tubera lactea, saepe chronica, inflammatio, diuturni saepius ac omne hujus organi parenchyma destruentes abscessus, fistulae, glandulae durities, scaturiunt. Quamvis autem lacteae metastasis hypothesin, ut gratuitò admissam, respuamus; non tamen idcirco fatales saepe ex tam abundante secretione imprudenter *cohibita*, in corpus muliebre effectus ac turbas omnis generis negare contendimus. Neminem certe medicorum latet mutuum uteri cum uberibus commercium: cui nimirum, sub infracto illius visceris, per partum vix praegressum, robore, sanguinis torrentem ubera compressa majorem transmittunt, ac nisi *metritidi* (§. 225.), vel periculis plenae puerperarum *peritoneitidi* (§. 219.), *lochiorum* tamen copiosiori ac diuturno magis profluvio (§. 533.), — post hoc autem, non lacteo quidem, sed tamen albo et mucoso, genitalium fluxui (§. 532), hodiedum, in ratione denegati materni officii, tam frequenti et quasi vicario, ansam porrigunt. Eâdem ra-

tione, ut alia taceamus, si forsitan pulmo debilior praeexstiterit: facile hic, aut pars alia, inertior, secretionem morbosam, quam, sanam, ubera recusant, suo quaevis modo, ac lethali aliquando cum effectu, subibit. Quae semel mamma, ex lactis retentione turguit valdopere, chronica concepit tubera, vel inflammáta, suppurata fuit, aut papilla duriore, fissa, cicatrice obducta laboravit: futuris ea in puerperiis, similes facile matribus praedicit miserias.

Cura. §. 818. Praesentissimum sane retentionis lacteae subsidium, mammarum suctio, depletio est: cui fini, si debilior est pusio; vel infans robustior, vel os purae mulieris, vel denique cucurbita vitrea, optime, ad fundum ex gummi elastico paranda, et rostro incurvo longoque munita, respondent. Inflammatae adeo ex lactis abundantia mammae, nisi tumor circumambiens papillam, hujus ductus excretorios impervios jam reddiderit, aut limbum ejusdem extremum in totum jam obtexerit, blanda et repetita suctio opportuna est. In genere, papillarum mammalium vitia chronica, *praeveniri* facilius, quam *sanari*, conceditur; quoties interim illae, ut a puero arripi et sugi queant,

breviores sunt: earum violentae nimis, per cucurbitam, aut per mechanica subsidia e sinu, quo, per vestes nimis arctas retropressae, sepultae per annos jacuerunt, extractioni, ubi blanda illarum titillatio, cum propria saliva humectatio, ac suctio nihil praestiterint, maxime si jam phlogosis mammam occupaverit, parum aut nihil favemus. Quò papillarum apud praegnantes nimia sensibilitas, mollities corrigantur satis mature; istarum, ante partum, cum aqua frigidiuscula, spiritûs vini aut lavandulae pauxillo remista, frequens lavatio conducet. Quamvis vero ad *papillas excoriatas*, omnis suctio, dolores longe adaugeat; ne tamen lactis in mammis congestio continuò crescat: hae ipsa pusioni non illico detrahendae sunt. Ipsa sugentis pueruli saliva, sensim dolorum levamen adferet. Pleraque nauseam sugentibus movent unguenta, papillis adplicita, atque prolis ab iisdem aversionem inducunt. *Areolae,* forsitan a phlogosi correptae, spleniola, ex linteo duplicato confecta, et aqua pura impraegnata, cum fructu imponentur, frequenter et caute renovanda.

Quodsi vero aut prolis defunctae, aut valetudinis infirmae, suspectae, ratione,

aut quod mater lactatum absolute detrectet, lactis cohibendi sit animus aut imposita necessitas: ubi lente atque gradatim suscipi hoc opus queat; meliorem res, sub debita cautione, successum habebit. Tam in hoc vero, quam contrario maxime in casu, victus tenuior mulieri praescribendus ac, donec mammae detumuerint, stricte observandus est. Omnis nempe tunc, vel universi, vel autem lactei systematis repletio evitanda; ad copiam humorum nimiam ab uberibus arcendam, cum linteis quadruplicatis, tepidis, haec suffulcienda et moderate comprimenda, singula corporis colatoria probe adperta servanda, eorum excretiones sine impetu promovendae, imprimis vero lochia ad debitum fluxum dirigenda sunt. Hac simplici sub methodo, remediorum externorum, adstringentium, quorum actio profundius haud penetrat, atque vel inutilis, vel noxia est, non indigemus subsidio. Calor lectuli, potus aquosus, tepidiusculus, transpirationem, — clyster emolliens, salis amari aut arcani duplicati solutio, alvum et urinam, — quies animi, crurum pedumque ab omni refrigerio defensio, puritas et fotus genitalium, lochiorum fluxum secundabunt.

Si tamen, vel ob neglecta haec praecepta, vel ob nimiam mulieris ad secretionem lactis proclivitatem, vel ob incautum refrigerium, inflammatio mammam corripuerit ac febrem accenderit: secundum regulas alibi (§. 133.) jam traditas, hoc incendium, cum debito ad statum *puerperae* respectu, tractandum, *resolutio* tumoris, quoad fieri licet, tentanda, — si vero evitari *suppuratio* non queat; cum emollientibus ea promovenda, et ad regulas chirurgicas conducenda est. Venaesectione hinc saepe, robustas maxime apud foeminas, cum certe non omnis mammarum in puerperis inflammatio, ut nuperus hac de re scriptor praetendit, *asthenicae* sit indolis, requiritur, ac alvus iterum cum blandis remediis movenda est. Butyri recentis, olei amygdalini, unguenti althaeae, volatilis, ad ubera inunctio, emplastrum ex spermate ceti, ut vocant, cum oleo non rancido, blandiorem ad ignem paratum, cataplasmatis levioris, ex mica panis, cum aqua vegetominerali parati, impositio, inflammationem mammarum, nisi nimis provectam, frequenter dissipabunt. Ob summam vero hujus partis sensibilitatem, saepe tum hyosciami folia, emol-

lienti cataplasmati superaddita, tum prudens opii ad vesperas usus, apud delicatulas indicata sunt. Jam saeculi decimi et septimi sub fine, *Galliae* chirurgus celebris, tumoribus mammarum lacteis, ut potissimum auxilium, *herbam cicutae*, in urina coctam, ac demum lintea duplicata, hocce lixivio madida, huic superimposita, laudavit. Spe vero resolutionis amissa, in his solis emollientibus externis, donec abscessus mammae rumpatur, et donec omnis circa hunc durities disparuerit, continuandum est. Tristissimos insana carnificum chirurgorum, abscessus mammarum, necdum perfecte maturos, adperiendi, eorumque sinus crudeli cum specillo per intima uberum penetralia quaerendi (saepius creandi) libido, innumeras jam puerperas aliasque mulieres, sub dirissimis cruciatibus, hoc fonte, e quo primam, vix nati, vitam sugimus, spoliavit.

Duritiei. Reliquam a sanato jam abscessu mammae *duritiem*, istius cum aqua tepida, in cujus pinta, salis alkalini vegetabilis fixi drachmae duae solutae sint, fomentatio, vel cataplasma ex cicuta, hyosciamo, farina lini, croco et oleo,— vel, si his remediis malum diu-

tius restiterit, mammae futuro forsitan a puerperio per prolem propriam, satis vegetam, suctio, saepe dissipant.

Quodsi *scirrhus* in mamma *verus* se offerat: hunc, a sola injuria externa productum, ut *locale* prorsus *vitium*, nisi infelix ad scirrhos dispositio mulierem tenuerit, cum optato plerumque eventu exscindi licebit; ejusdem autem mali, ex causis *internis*, nec quidquam intellectis, exorti, suscepta exstirpatio, rariore, si ullo, successu coronabitur.

Tumores mammarum *lymphaticos*, plerumque cysticos, aut meliceridés, chirurgia, cum sacci ipsius exstirpatione, aut lenta suppuratione, consumtione, pertractat. **Tumores. mammar. lymphat.**

§. 819. Inter retentiones thoracicas internas, quae hùc spectant, prima nobis se offert, non infrequens *muci* copiosioris apud foetum recens natum, non modo in *ore* ac *faucibus*, sed et ipsis in *bronchiis* collectio. Vel scilicet eadem, quae foetûs corpusculum a nativitate obducit, materia, sedimentum quasi ad fauces ejus deposuerit; vel propriae harum glandulae mucum copiosiorem hìc secreverint; vel ipso sub partu mucus genitalium maternorum, ore naribus- **Suffocatio foetûs a muco.**

que pusionis subintraverit; tenax interdum gluten epiglottidem istius obtegit, ejusque motum praescindendo, respirationem excludit, et *asphyxiae* statum in eodem inducit. Similis aliquando viscidissima materies tum a partu, tum, ubi puer per horas absque potu in cunis jacuerit, serius, linguam ejus palato adglutinat ac motum hujus, nisi prius cum spatula solutae, impeditae suctionis, ac suffocationis cum periculo, praevertit. *Uterini hominis* morbos, — etsi mortalitatis ratio his vitae exordiis, illâ, quae primos infantilis aetatis annos tam magna premit, adhuc major esse videatur,— nec a longe quidem cognoscimus. Nec primae respirationis obstacula, quae hanc saepe in ultimam convertunt, satis intelligimus. Quo propior suae origini foetus; eo quoque gelatinosum, mucosum magis ejusdem corpusculum, et eo magis conspicua glandularum in illo moles est. Magnus istarum numerus in superficiem oris, faucium, laryngis, tracheae, bronchiorum internam, dominatur; qua vero sub rerum conditione, aut quibus a causis in foetum agentibus, aut major muci, quam futuris harum viarum officiis competat, quantitas secernatur; aut istius liquidi

augeatur nimis tenacitas; hoc non minus ignoramus. Tristis interim experientia docet: non paucos foetus, vix uteris exclusos, vel primis aurae vitalis captandae moliminibus succumbere, vel non adeo multis a partu horis, sub faciei livore atque catarrhi suffocativi phoenomenis, morientium stertores jam agere, ac sortem illorum iniquam, sub istis, subire. Cum vero inexspectati hujus obitûs in causas culter anatomicus inquireret: saepius ille non aliam, quam insolitam muci tenacis, interdum in frusta concreti, vel fauces et asperae arteriae introitum operientis, obstruentis, vel ipsam hanc fistulam et bronchia opplentis, in aqua solubilis, copiam, — glandulas autem mucosas tracheae praetumidas, detexit. Quod vero hic mucus non tam praegressi alterius morbi gravioris effectu, quam praecipuo membranae pituitariae vitio, hic loci confluxerit: infantes, hac muci copia promtius educta, tanto periculo feliciter erepti commonstrant. Nec enim homuncio hocce obstaculo se ipsum, per tussim cum impetu susceptam, liberare hucusque didicit; aut saltem vires ipsi, post partûs lenti injurias sublatas, hoc ad voluntarium tentamen, necdum concessae

sunt. Ipsa foetûs, forsitan ad talia dispositi, praevio capite per horas in pelvi materna haerentis, et pectore ab uteri constrictione compressi, inversa positio, quod mucus justo copiosior suo pondere ex bronchiis laryngem versùs decidat atque hunc demum obruat, inducit.

A lympha coacta. Multum haec mortis, quosdam apud foetus, causa, cum ea, qua toties pueri, sub *cynanche laryngea*, vel tracheitide (§. 173.) succumbunt, conspirat; nisi quod in istis, non tam *mucus*, quam potius *lympha*, per inflammationem laryngis aut asperae arteriae, sub febre acutissima morbose secreta, et in pseudomembranam condensata, spiritum praecludat.

Cura. §. 820. Praeceps est admodum, foetubus, ex pituita in larynge, trachea, bronchiis collecta vel, strangulatorum instar, in *asphyxiam* subitaneam delapsis, vel saltem suffocationi proxime expositis, succurendi occasio; non absimilis fere illi, quam *vomitus*, vel pusionibus, supino in cunis sub decubitu, vel adultis adeo, sed gravi a morbo fractis, ac se ipsos erigere nesciis, minatur (§. 671.). Ante omnia vero, trunco infantis ad anteriora et in latus inclinato, ac oris fauciumque cavo a spuma et muco,

hìc saepe collectis, cum linteolo, vel cum digitis liberato, in casu asphyxiae, compressis foetûs naribus, aër (cum purior non satis promte ad manus sit) ex ore sani hominis, ori pueri adplicito, in pulmones pellendus, thorax vero et abdomen, per vices, comprimenda, relaxanda sunt. Hoc modo scilicet pituitam aut mucum concretum circa laryngem, vel in eo ipso forsitan stagnantem, ut mechanicum obstaculum, ab angustiore loco, ampliorem in fistulam urgemus, liberioremque aëri externo in hanc, viam pandimus. Nec ea, quae in *asphyxia* et *suffocatione* quondam et hoc in opere proponemus, frictiones cum pannis calidis, volatilia naribus admota, clysteres et alia negligenda sunt. Quamprimò vero puer respirare inceperit, vel in casu, quo is, necdum quidem suffocatus, per stertorem tamen ac dyspnoeam, pituitae tenacis, in viis respirationis haerentis, copiam indicaverit; vel cum digito, vel cum barba pennae, profunde satis faucibus adactis, vomitus excitandus est.

§. 821. Sunt homines, laxioris, phlegmatici habitûs, imprimis foeminae, viri obesi, literati, artifices, vitae sedentariae submissi, qui singulari faucium, bronchio- Dyspnoea mucosa.

rum atonia instructi, majorem, prae aliis, pituitae tenacis copiam in istis secernant eamque, matutinas praecipue ad horas, salute interim aut parum, aut nihil turbata, rejiciant. Multi tamen ex istis, vel et tales, qui certis temporibus nullam fere pulmonum adfectionem prodant, — alii sub tempestate imprimis humida frigidaque, hoc viscus a pituita sibi obrui, vocem non parum raucescere, pectus sensim sensimque gravari, — tandem, quasi per funem, constringi, ac animam vix non et verba deficere, sudores viscidos sibi ad frontem ac jugulum, prae anxietate, exprimi, cordis palpitationes, cum pulsu inordinato, parvo, intermittente, aliquando tardo, accedere, tussim praeterea molestam, inutilem, his addi miseriis, alvumque siccari, ructus assurgere, urinas pallescere, persentiunt. Hac sub flebili rerum positione, musculi, qui sanis sufficiunt, thoracem satis elevare nequeunt; sed illos quoque aeger, qui pectori cum jugulo et brachiis communes sunt, in subsidium evocat et, quò punctum fixum his musculis conciliet, trunco semper erecto, caput reclinat, et brachia tensa utroque e latere pulvinaribus aut sedilis manubriis defigit.

Sic autem quatuor, quinque, aut plures etiam per dies, magis vero ad noctem, res his versantur in angustiis; donec, feliciore sub omine, sputa tenacissima, glutini scriniariorum similia, in filos longiores facile ductilia, nunc alba, nunc flaviuscula, nunc viridescentia, aliquando sanguine, satis etiam copioso, vel striis nigris remista, — primùm quidem spumosa, cum ea difficultate, ut ex eorum adhaesione ad fauces, quasi a penna his immersa, et vomitus interdum provocetur, — tandem vero copiosissima pluresque nonnunquam pelves adimpletura, longo satis tempore, sub sensibili aegrorum levamine, succedant. Urinae simul nunc jumentosae turbidaeque redduntur, ac serius aliquando sedimentum album, mucosum, deponunt. Sudor aequalis matutinas ad horas e cute emanat; quibusdam venter solvitur et aquosa demittit. Somnus, qui antehac vix ullus fuit, nunc aliquis conceditur, praecordia solvuntur, tussis minor et rarior, vox sensim clarior fit. Interdum dolor, in remissione, ad scapulas proditur.

Periodicum autem aliquando *decursum*, anni temporibus, seriori autumno vernoque adcommodatum, interdum brevioribus in-

tervallis, ad tempestatum vicissitudines, vel coeterarum secretionum ad reditus, circumscriptum, dyspnoea haec absolvit. Sunt adeo, quibus atmosphaera, non tam humida et frigida, quam calidior et siccior, — sunt quibus coelum frigidum et siccum officiat. Sic *viennensem* tractavimus, quinquaginta quinque annorum matronam, *asthmate*, ut vocant, *pituitoso*, a tribus modo annis, nec alio prius morbo, adfectam. Huic menstrua decimo quinto aetatis anno primùm conspecta, quinquagesimum quartum ad annum usque ordinatim rediverant. Iisdem, duobus jam ab annis, cessantibus, sub atmosphaera sicca et gelida, dyspnoea mucosa superaccessit, ac simili sub aëris conditione continuò rediit; sub coelo humido evanuit; sub tonitru vero instante, mox iterum recrudit. Sic foeminae exemplum habetur, quae omni mense semel sputum quasi puriforme, foetidissimum, ad tres libras rejiciebat; bene interim se habebat, neque tussi laborabat, nisi dum sputum periodicum immineret, formosa semper haec mulier. Sanguine nobis adfinem, septuaginta duos annos numerantem foeminam, cum adhuc virgo esset, sub aspectu floridissimo, saepissime pituitam

multam, cum facilitate, pulmonibus ejicere, atque haec nihili habere vidimus. Cum ea sexagesimum jam annum superasset, dyspnoea mucosa frequentius, sub tempestate humida et frigida laborare, ac multam, sub illa, pituitam expellere, aliquot autem post annos, et morbo semper aucto, quavis hieme, plures per menses symptomata supra exposita pati, et quavis certe nocte plures densissimae illius materiae libras rejicere cepit, ac per annos, aestivo tempore haud parum sublevata, rejicere soluit. Atqui haec, nisi quod tam longi morbi nos ipsi testes fuerimus, non tam rara sunt. Rarior vero matronae *ticinensis*, quadragenariae, casus est: quae, diutius jam a medicis, quorum numerum non exiguum consuluerat, pro *phthisica* declarata, antecessoris quoque nostri auxilium implorari constituit. Argumentis medicorum, quae phthisin ex ulcere pulmonum *conclamatam* in aegra comprobarent, expositis, vir hic celebris, solus, morbum pro *asthmate humido* habendum esse, edixit atque, non sine magno aliorum scandalo, mulieri huic nobilissimae, ut *montes apeninos* peteret, ac non modo praesentem calidissimam aestatem, sed autumnum quo-

que ibidem transigeret, consilium dedit. Optemperans huic matrona, mox sese ad villam, quae ipsi vicinas ad alpes propria fuit, transferri curavit, ac altiore hoc in loco vix mensem transegerat, cum liberius se respirare, tussis violentiam sputorumque copiam imminui, desiderium ciborum, somnum viresque amissas sibi redire et, ut paucis dicamus, sanitatem, qualem ea nunquam sperare ausa fuerat, restitui animadvertit. Quare, nec adventante hieme, caram sibi hanc habitationem relinquere, secum constituens, per duos fere annos in eadem commorata est. Cum vero tunc negotia domestica hanc foeminam, sirio ardente, in urbem revocassent; mox pristinum in morbum ea relapsa est. Pristinae hinc medicorum de hoc opinioni haec recidiva ansam dedit. Tunc nostrum quoque consilium expetitum fuit. Praedecessoris nostri, *in Helvetiam* jam reversi, judicio, per eventum felicem jam satis confirmato, adhaerentes, aegram, ut montanum ad aërem recurreret, persuasimus, ac optatus hoc iterum consilium successus per annos coronavit.

Non apud omnes interim, quod vix monuimus, dyspnoea mucosa idem ex aëre pu-

riore frigidoque auxilium experitur; sed plurimis fere, hoc a malo correptis, coelum tepidum ac siccum opportunius est, quin idcirco facile sit, tam diversos inter se effectus, ex solo ratiocinio, praedicere.

Sic etiam rarum est, hoc morbo semel adfectos, accessione graviore absoluta, omnis dyspnoeae vivere expertes: plurimis nempe ex illis, praeter insignem lassitudinem, anhelitus aliquis, imprimis sub acclivium ascensu, aut sub celeri deambulatione, aut ab aëris in humidum et frigidum mutationibus, adhaeret; tussis vero, interdiù licet satis moderata, de nocte augetur, et pituitae tenacis rejectio plus minus continuat: ut igitur magno *Graeciae* monente scriptore, hi aegri „in morbi cessationibus, licet ipsi non decumbentes obambulent; secum tamen illius signum circumferant." Neque funestae prorsus aegris, imprimis jam exhaustis, atque debilioribus, accessionis tristia exempla desunt: quem rerum exitum, sub pulsu tandem minimo, vacillante, extremitatum sub frigore, accedentibus deliriis, lipothymiis, aut sopore quasi apoplectico, non injuste praesagimus. Multos etiam ex tanta muci nutrientis jactura, tabes cum

febre lenta, — alios pneumonorrhagia et phthisis ipsa pulmonalis, — alios catarrhus, ut vocant, suffocativus, — alios demum, et quidem plurimos, hydrothorax, exspectant. Sunt tamen non pauci, qui seros ad annos horrenda haec mala ferant; et causidicus, quem, quadraginta et novam ante annos, sub quavis accessione exspiraturum esse verebamur, ad praesens usque tempus non modo vixit, sed publico gravique officio egregie praesedit.

Causae. §. 822. Morbum hucusque descriptum, ab *asthmate*, quod adfectionis genus ad *nevroses* magis referimus, consulte separavimus. Quamvis nempe *periodicus* saepe dyspnoeae mucosae decursus, nervosae indolis prolem in ea suspicari inducat; non omnis tamen periodus, nervorum adjudicanda est imperio; nec ratio medendi, quae in hoc magis dominatur, nisi dyspnoeae cum nervorum adfectione complicatio subsit, auctoritatem in morbum nostrum conspicuam exserit. In *causas*, quae secretionem morbosam in glandulis mucosis inducant, alibi sollicite inquisivimus (§. 514.); ac eaedem sane causae, varia ratione agentes, glutinis copiosius secreti *retentioni*

occasionem largiuntur (§. 698.). De *catarrho suffocativo* (§. 513.) atque de *hydrope pulmonum*, imprimis *cystico*, loquentes (§. 742.), quanta humorum mucosorum lymphaticorumque, vel in parenchymate, vel in bronchiis pulmonum interdum colligatur, copia, et qui hujus effectus sint, jam satis indicavimus. In genere, glandularum tunicae mucosae in trachea et bronchiis laxitas, ipsorum adeo pulmonum flacciditas, ut praecipua tum phthisis pituitosae, tum humoralis dyspnoeae causa, sub sectione anatomica declaratae fuerunt. In *asthmate*, ut nominant, *puerili*, glandulas bronchiales, praeter sanitatis modum, turgidas, maxime vero *thymum* insigniter tumefactum invenerunt anatomici: ita quidem ut totam fere anterioris pectoris regionem ille occupaverit. A tergo quidem aspera arteria facilius comprimi potest; interim et ab anteriore facie, ut exempla docuerunt, tam a *sarcomate*, quam a glandula *thymi* ingente, tophis cretaceis referta, illa compressa fuit. Sic etiam varices vasorum lymphaticorum, hydatides minores, majores, ad ovi adeo magnitudinem accedentes, modo limpido, modo magis tincto liquore turgidae, repertae

fuerunt. *Lutetiae*, ut legimus, aeger vomicam, membrana tectam, ovo similem, e pulmonibus expurgavit, cum ante fuisset asthmaticus, et ita paulo post exstinctus est. Ab humore viscido in bronchiis, pulmonibus, secreto, infarctus innumeri. Calcis instar interdum indurantur glandulae bronchiales; calculi tophique quamplurimi conspecti fuerunt in pulmonibus, et sputum sanguinis, et phthiseos symptomata exorta sunt. „In nemine se pulchriores pulmones vidisse, quam in *forocorneliensium* episcopo, cui vitiati credebantur ob multos, quos expectorabat, humores, a propriis videlicet bronchiorum glandulis secretos," testatur insignis *Italiae* anatomicus. „Pulmones sicut folium longo immaceratu flavescere," observavit gravis *de recondita abscessuum natura*, scriptor. Pulmones collapsos flaccidosque post longaevam tussim et muci rejectionem, descripsit summus quondam physiologus. Post repentinam suffocationem in quatuor aegris, inventa fuit pituita lenta, contumax, quae instar membranae cujusdam asperae arteriae obtenta erat, ut non esset liber exitus et introitus spiritui externo. Glandulas bronchiales usque

ad suffocationem tumentes refert benemeritus de anatomia vasorum lymphaticorum scriptor *anglus.* Saepius in iis, qui diutius, absque symptomatis inflammatoriis, dyspnoea laborarunt, rami bronchiales a materia mucosa turgere observantur; atque verisimile est, quod, sicut *spasmi* sub *asthmate*, ita quoque sub certis *dyspnoeis*, *semiparalyses* in fibris bronchiorum musculosis locum inveniant: sub quibus peripneumoniae nothae, vel catarrhi suffocativi, ac promta demum strangulatio succedant, nec aliud quid, praeter laxitatem maculasque atras, ab ista, detegatur in pulmonibus. In *kyphosi*, quae compressionem medullae spinalis ad dorsum inducit, frequenter, ut alibi fusius docebimus, dyspnoea, quam *paresi pulmonum* adscribas, occurrit. Quare memoratu dignissima *pergamenus Hippocratis* interpres, de laesa ex *medullae spinalis* ac nervorum ex ea egredientium vitio, necnon ex diaphragmatis debilitate nervosa, respiratione, jam tradidit; et clarus quondam *Germaniae* medicus, „majores, inquit, praesertim nervi septi a dorsali medulla progressi, defluxionibus aut aliis morbis solitarii ac sepa-

paratim infestati, dyspnoeam quondam pariunt, qualem in *asthmaticis*, nullis aliis pulmonum adfectorum indiciis adparentibus, continuò aegrotos infestare observavimus." Magnam in puero novenni dyspnoeam, a kyphosi ad primas dorsi vertebris oriundam, nos ipsi conspeximus. Ex nervis phrenicis incisis, eadem illico respirandi difficultas, quae in equis asthmaticis occurrit, ab *anglo* scriptore observata fuit. In apoplecticis plerisque profunda et lenta respiratio, de difficili pulmonum, in propellendo sanguine, labore, facile in lethalem illis stertorem mutando, testatur.

Aliquando vero pulmo, forsitan jam antehac debilior, secretionem muci morbosam eamque habitualem, ex alia parte, ut ex utero, vagina, vesica, urethra, intestino recto, tumultuose suppressam, *vicarie* subit, et ex medorrhoea insonti, vel quoque contagiosa, dyspnoea mucosa propullulat. Copiosa hinc dyspnoeae a suppressis fluore albo, blennorhoea chronica, exortae exempla sunt. Nos ipsi quondam, cum foeminae juveni, leucorrhoea jam septem ab annis laboranti, eo quod ob graves rationes citius hoc a morbo liberari, supplex rogaverit,

per injectiones aluminosas hunc fluxum cohibuissemus, eandem in magnam dyspnoeam et anxietatem conjectam fuisse doluimus; quo tamen malo, priori longe pejore, suspensis illico injectionibus, ac restituto, per semicupia tepida et per vapores genitalibus admissos, habituali illo profluvio, mulier haec liberata, posthinc autem, lentiore quidem, sed tutiore cum methodo sanata fuit.

Haereditariam interdum in dyspnoeam mucosam dispositionem subesse, et ex nostris observationibus videtur. Strumosa hominum constitutio, imprimis vero iniqua thoracis constructio, non exiguam hujus mali partem sibi assumunt.

In cibos farinaceos, pultaceos, glutinosos, ac in ventriculi inertiam, muci ad pulmones copiosius collecti culpam conjecerunt pathologi. Nec tamen *sanguinem*, unde mucus ille in pulmonibus secernitur, magis igitur *mucosum* esse docuit experientia; et saepe debilitas et pulmonum, et ventriculi, quin haec, illius rationem in se contineat, ex eadem origine scaturit.

Localem saepe *pulmonum atoniam*, de qua universum systema modo tardius participet, in chronica dyspnoea mucosa sub-

esse, sanitas multorum, qui huic malo subjecti vivunt, in coeteris, multos per annos sat firma, commonstrat.

Polypi bronchiales. Quoties vero inflammatio pulmones corripit; non adeo *mucus*, quam *humor puriformis* et bronchia et pulmonum parenchyma inundat, infarcit (§. 186.). Quodsi tunc nec sputorum rejectio canales bronchiorum evacuet, nec resorptio textum pulmonum cellulosum liberet; vel promta suffocatio insequitur, vel *polypus bronchialis* subnascitur; vel pulmonum parenchyma concrescit, induratur, ac in firmam, quasi hepaticam, substantiam, inspirando impervium, convertitur. Plura polyporum, pulmonibus excretorum exempla sunt, qui *arbusculorum ramos* retulerint, ac, in bronchiis modulati, propter lumen, quo saepius instructi sunt, et propter colorem ex albo subflavum, non paucis pridem pro *arteriis pulmonum rejectis* imposuerint (§. 572.). Sic lapicida *bruchsaliensis*, a dyspnoea, tussi, sputo cruento jam saepius vexatus, polypum, duos circiter pollices longum, cavo unius lineae diametri, ac ramo laterali, ad angulum acutum exeunte, donatum, nobis adstantibus, tussiendo rejecit, magno

terrore, ne pulmonis proprii portionem exscreasset, perculsus. Sic in medicorum *Londinensium* observationibus, post magnam dyspnoeam, plures polypi, duos, tres, aut quatuor pollices longi, multi etiam minores, per tussim expulsi fuerunt, quorum color albus et pellucidus, quasi cremori lactis similis, observatus fuit. Nullum interim polyporum, in bronchiis haerentium, signum, ab illo quod, pulmonum quemcunque post morbos inflammatorios infarctum lymphaticum, vel duritiem hujus visceris (§. 193.), significet, diversum, nisi concretiones tubulosae cum sputis secedant, habetur. Similis igitur polyporum bronchialium, atque eorum, quos *cynanche laryngea* atque *tracheitis* saepe producunt, est genesis, ac omnis in eo diversitas ponitur: quod *bronchiales polypi* plerumque *cylindrici,* aut potius *conici,* formae canalis, semper angustioris atque ramosi, quo nati sunt, adaptati;— *tracheales* vero, utpote ad latiorem fistulae magis amplae superficiem extensi, *pseudomembranas* magis sistant, nullum facile in cavum convolutas, et magis per frusta latiora, quam longa, rejiciendas. Sunt, qui in cynanche laryngea et in tracheitide, cum residuis his, ad loca

prius inflammata, pseudomembranis, in adulta magis, quam puerili aetate, mortem quidem effugiant; sed, nisi simul perfecte aphoni, *dyspnoea perpetua*, eoquod *organicam* jam pseudomembrana haec, cum interna laryngis, tracheae tunica, cohaesionem contraxerit, nullo modo sananda, laborent. Polyposae concretionis, rotundae, pedunculo instructae ac mobilis, in ipso cavo laryngis foeminae abinde suffocatae, a nobîs repertae, mentionem alibi injecimus.

Cohaesio pulmonum cum pleura.

Nec facilioris diagnosis est, adfinis polypis, materia, quae toties, post pneumonias, pulmones circumambit ac, cito solidescens, et vasculis minimis, quae cum successu injici curavimus, propriis saepe instructa, quasi sacco membranoso, arctissime involvit stringitque; vel istorum lobos morbose inter se connectit; vel inter illos hinc inde *pseudoabscessus* constituit; vel quae, tam a pulmonum, quam a pleurae incendio, illos, vel integros, vel ex parte cum ista, nunc ad costas, nunc ad septum transversum, coadunat (§§. 186. 193.). Saepius nempe vel eorum in cadaveribus, qui de pectoris morbo aut dyspnoea nunquam con-

questi erant, pulmonum cum pleura concretum et nos invenimus, et alii viderunt; quamvis, ubi post pneumonias, sat feliciter devictas, nullo alio phoenomeno morboso superstite, decubitus vel hoc in latus, vel in aliud, maxime vero in illud, ubi nullum fuerit incendium, difficilior et cum tussi conjunctus fuerit, — imprimis autem, ubi, compulso cum digitis thorace hujus lateris, obtusiorem id, quam latus oppositum, sonitum ediderit; probabili ratione ad factam pleurae costalis cum pulmone adhaesionem concludi queat.

§. 823. Dyspnoeae mucosae *prognosis* **Prognosis.** ex ipsa morbi descriptione proficiscitur, ac pro constitutione, aetate, sexu, conditione aegrorum, pro causa diversa, pro complicationis, pro temporis, quo morbus illos tenuit, pro vehementiae symptomatum varia ratione, alia est atque alia. Laxioris fibrae, strumosi, gibberosi, infantes atque senes, majora hydropis succedanei discrimina incurrunt. Foeminis, tam ob variam menstruae periodi uterique sortem, quam ob majorem ad mucosas collectiones, ad animi pathemata nervorumque adfectiones proclivitatem, majora simul instant pericula. Pro-

xime his viri literati, artifices ad vitam sedentariam, ad corporis iniquam sub labore positionem, vel denique ad hauriendos, pulmonum vigori vitali adversos, vapores damnati, veniunt. Si pulmonum atoniae, secretioni mucosae ultro faventi, nervorum simul turbae periodicae accesserint; pejor sane aegrorum status erit; pessimus vero ille, cujus causae auferri nequeunt, dicendus est. Dyspnoea mucosa, quae profundas nimis radices jam fixit, atque per annos forsitan periodice redivit, plerumque insanabilis est; sub constitutione interim minus iniqua, ut supra monuimus, serius aliquando lethalis fit. Quo vero tenacius sub forti accessione sputa haerent; quo magis vires ad rejectionem eorum deficiunt, aliquando etiam quo impetuosius ea, majore copia in asperam arteriam sese praecipitant, — quo magis extrema frigent, pulsus vacillant ac fere disparent, maxime vero si hydrothorax jam superaccesserit; eo certior interitus erit.

Nisi rejectis jam in morbo chronico *bronchiorum polypis*; vix ii prognosin, — eamque, si plures restitare videantur, qui majorem dyspnoeam inducant, vix aliam, nisi tristem, ferri concedunt. Internas vis-

cerum inter se, vel cum partibus vicinis *adhaesiones* morbosas, sicut arduum est dignoscere: ita spem solutionis illac prorsus nullam admittunt. Est interim, ubi minus extensa minusque stricta, functiones parum laedat, aut saltem diu absque tanto discrimine perferatur, partium inter se concretio.

§. 824. Diversae causarum, quae dyspnoeam mucosam generarunt, conditioni, *medendi* quoque *ratio* nunc haec, nunc illa opponenda, — alia vero sub ipsa morbi accessione, alia, eâdem jamjam absoluta, eligenda est. Frequenter nimis cura dyspnoeae, de qua loquimur, imprimis haereditariae, aut jam provectae, nonnisi *palliativa* permittitur.

Cura dyspnoeae mucosae.

Si habitualis forsitan in alia parte secretio morbosa vel muci, vel humoris lymphatici, serosi, praepostere suppressa, vicariam in bronchiis scaturiginem adperuerit; quantocius illa, tam nobili a sede, ad pristinam, cum opportunis, et alibi jam expositis auxiliis invitanda est. Hinc ubi medorrhoea insons, vel et contagiosa, vaginae, uteri, urethrae, intestini recti, stypticarum ope injectionum, vel a refrigerio, cohibita, — si herpes rodens, tinea capitis, plica, ulcus

antiquum, ſonticulus jam diu adpertus, ad cutem exaruerint; causa vero harum impetiginum, vel et arthritidis chronicae, in pulmones teneros vim suam direxerit: debitis illa cum remediis impugnanda, donec vero corrigi ea potuerit, quo prius sibi complacuit, ad locum devocanda est.

Maxime autem tum atmosphaerae, quae aegris forsitan hucusque melius conduxerit, tum diaetae ratio habeatur, oportet. Parti plurimae aegrorum, dysponea pituitosa detentorum, atmosphaera locorum meridionalium, *Italiae, Galliae,* magis tepida et sicca conducit. Quibus vero hoc uti beneficio non conceditur: illis, seri autumni, hiemis, vernique temporis rigores et inconstantia ſugienda sunt, et in cubiculi satis ampli et alti, puro tepidoque aëre instructi ambitu, donec aestas serena ridiverit, vivendum est. Quibus anima per auram, exhalationibus aromaticis leviter impraegnatam, non praecluditur, nec tussis excitatur: illis, dum pulmonum laxitas, dyspnoeae causam constituit, fumi, non tamen empyreumatici, avara manu, ex myrrha, mastiche, terepinthina, vel balsamo eliciti, proficui sunt. *Phthisicos*, quos ex *balsami de*

Mecca, chartis amplioribus circa lectulos suspensis, frequentius illiti, evaporationibus continuo inspiratis, vel adeo *vaccarum in stabulis*, magis tepidis, et urinae faecumque horum animalium exhalationibus imbutis, restitutos fuisse, historiae referunt; dyspnoea potius, vel tabe pulmonum pituitosa laborasse, supponimus. *Aërem oxigenatum*, quem in asthmate inutilem, nisi nocuum, fuisse conspeximus, plures in dyspnoea atonica, mucosa, laudarunt; nos ipsi tamen haud adhibuimus. Quamvis autem cibos viscidos, pultaceos, tenacitatis, quam sanguini conferre dicti sunt, vix accusandos esse dixerimus; ventriculum tamen, quò debite subigantur, robustiorem sibi exigunt, ac non minus illi, quam legumina, farinacea, carnes juniores, glutinosae, cerevisiae, vina recentia, turbas intestinorum multiplices, flatus ac alvi tarditatem inducunt, repletoque ab his abdominis cavo, diaphragmatis descensui ponunt obicem. Exercitatio moderata, imprimis *equitatio*, quo tempore pectoris angustia id non prohibet, — *navigatio*, praecipue *maritima*, his aegris conducunt. Longior quidquam ac altiore voce absolvenda oratio, sermocinatio, iisdem mo-

lesta simulque damnosa; nec tamen idcirco perfecta pulmonibus reticentia imponenda, sed locutio remissa, qua major hujus visceris inertia praescindatur, concedenda est.

Omnem, non ita pridem, operam theoria medica, in *muco* bronchiorum tenaciore, qui tamen ipse effectus magis, quam causa (nisi secundaria) hujus morbi est, *incidendo, resolvendo*, ponendam esse docuit. Etsi vero rationis, qua laudatiora hic remedia conducant, erronea sit interpretatio; actio tamen, quaecunque illa sit, gummi ferulaceorum, imprimis gummi ammoniaci, antimonialium, utpote kermetis mineralis, sulphuris aurati antimonii, vini antimonialis, tartari emetici, ippecacuanhae, refractis dosibus porrectorum, radicum polygalae senekae, ireos florentinae, ari, florum sulphuris, — imprimis cum illis, quae renum, alvi cutisque secretiones simul quidquam augent, ut, cum squilla marina, oxymelle squillitico, digitali purpurea, sale medio blandiore, infuso herbae hysopi nuptorum, non vano innititur praeconio; ac licet nihil in his virtutis lateat *specificae*; pulmonum tamen erigendo inertiam, secretionem in bronchiis morbosam vel sanitatis ad normam

reducere, vel saltem restringere, multoties valent.

Quodsi vero haec, medias inter dyspnoeae mucosae accessiones, aegris ſrequentius conducant; istarum tamen sub impetu et aucta pulmonum intolerantia, cum stimulis fortioribus ac fixis, cautius omnino agendum est. Vix etenim vel aërem tunc aegri quidquam tepidum, prae angustia, ferunt; et singula, quae motum sanguinis ad pulmones potentius quidquam accelerant, sollicite fugienda sunt. Oleosa quidem atque sic dicta *bechica*, in dyspnoea, quae laxitatem pulmonum pro causa agnoscit, ne haec ipsa et conjuncta saepe ventriculi debilitas cum illis augeantur, recentiores medici quamplurimi rejiciunt; sub tanta interim bronchiorum irritatione, vel illa, quae *relaxare* magis dicuntur, jam aliquo, sed adaptato sensibilitati morbosae, sunt *stimulo*; et in quantum tenax in bronchiis pituita immobilis et coërcita haeret; cum calcare illa majore non urgenda sunt. Hinc saepe nobis sola, his in casibus, emulsio arabica (N. XV.), cum infuso leniter aromatico, tepidiusculo, vel et cum linctu ex oleo amygdalino, recenter expresso, mucilagine gummi arabici

atque syrupo althaeae composito, sufficit; nec etenim, quae jamjam pectore potita est, periodica forsitan, in totum supprimi mox potest, dyspnceae accessio; ac donec, aliquot post dies, primae turbae quidquam sedatae fuerint; parum sane arti salutari in illam est imperii. Tunc scilicet, praeter respirationis impedimenta alia, mucus, jam quidquam mobilior, in bronchiis sibilare magis et quasi ebullire, stridere incipit, atque modicam istorum incitationem nunc indicat. Praestant hanc oxymellis scillitici, syrupo althaeae adjecta portio ac, in homine minus sensibili, solutio gummi ammoniaci, in liquore terrae foliatae tartari, eodem oxymelle, aqua destillata hysopi ac spiritu nitri dulci, vel spiritu salis ammoniaci, ut vocant, anisato, superadditis.

Non multum igitur, hac sub morbi conditione, cura dyspnoeae mucosae differt ab illa, quam in *peripneumonia notha* proposuimus (§. 200.); et cum tanta subinde pituitae, jam satis solutae, bronchiorum ramos oppleat, infarciat copia: ut ipsa demum sors aegri, jam nimis, quo istam tussiendo eliminet, debili, vix non conclamata sit; non celato adfinibus tum morbi, hoc in agmine constituti, tum

agendorum discrimine, modo nulla praesupponi queat pulmonum inflammatio, et modo animam aeger ne jamjam trahat; ad *emeticum*, quo pulmo hoc pituitae ab onere liberetur, recurrendum est. Sic per quindecim jam annos nobilissimam mulierem pro phthisica declaraverat archiater *Hannoveranus*, quondam celeberrimus. Hanc ad matronam jam quadragenariam, cum ea rure prope *Goettingam* degeret, nos demum anno 1784 accersiti, eandem quidem satis macilentam, diuturna tussi, dyspnoea quadam levique febricula vexatam, minime vero lecto adfixam, sputa tamen multa, quasi purulenta rejicientem, de morbo autem, tam longo, modo parum sollicitam satisque hilarem reperimus. Cum autem ad noctem, sciscitanti conjugi, morbum hunc non tam promte lethalem fore, solatium dedissemus; altera mox die, priusquam ab aegra nobis discedendum esset, maturius, venam frontis mediam illi summopere inflatam, prominentes fulgentesque oculos, spiritum summe difficilem, pulsus plenos, vibrantes atque celeres observavimus. Imminentis huic foeminae illustri suffocationis, ex talium conspectu, admoniti, venam illi quantocius se-

cari praecepimus. Vix ad id opus chirurgus accesserat; cum, fortiter convulsa et in latus corporis sinistrum prostrata, ultimum jam spiritum duxisse videretur misera. Quantus dilectissimae uxoris conjugem, minus ad id praeparatum, — quantus nos ipsos terror concusserit, superfluum foret exponi. Etsi vero nec arteriarum, aut cordis motus ullus, nec ullum respirationis vestigium persisterent; etsi calor omnis corporis, tandem difflatus, vitae spem recuperandae paucissimam relinqueret; per horas tamen aliquot in illis, quae in *asphyxia* hujus generis conveniunt, indefessim perstitimus. Tandem obscurus atque vacillans, hinc inde ad arteriam motus nobis se obtulit et, quò in labore suscepto animose pergeremus, nos induxit. Prima, post horae quadrantem, sed modo unica, nec profunda, respiratio successit. Mox altera hanc secuta est, qua demum absoluta, pectus ordinate moveri, motus arteriarum restitui, ac sensim et calor redire, coeperunt. Vix autem vitae spes major nobis affulserat, cum vehemens iterum arteriarum vibratio et, quod nos magis exterruit, *stertor* morituri quasi hominis, succederent. Intelleximus tunc, aut vomicam

pulmonum diruptam, aut copiam pituitae conspicuam ad bronchia collectam esse. Sub rerum positione tam flebili, venâ prius largiter adperta, *emeticum* sat potens aegrae instillavimus: quo factum est, ut libras circiter duas cum dimidia humoris tenacis, purulenti simulque sanguinei, mulier rejiceret; mox vero ab isto, plena illi respirandi libertas rediret. Per novem adhuc annos hanc matronam, tam gravi a morbo restitutam, vixisse, tunc vero, *tabe* consumtam, suis ereptam fuisse, audivimus.

Aliquando dyspnoea mucosa in hominibus, qui nervosis simul adfectionibus subjecti sunt, occurrit; atque tunc morbus, sub symptomatis adperte spasmodicis, decursum magis periodicum, sub muci bronchialis non tam abundante secretione, absolvit. Hoc in casu, remedia, quae nervorum turbas simul consopiant, illis, quae in dyspnoea atonica laudavimus, jungenda sunt. Potissimos hic effectus praestat compositio ex tincturae thebaicae, ad normam dispensatorii *Edinburghensis* paratae, drachmis sex, tincturae squillae marinae ejusdem pharmacopoeae, ac aetheris sulphurici ana drachma, una, ut hujus remedii pars octava, sensim

sensimque major, circa vesperas aegris concedatur.

Absoluta dyspnoeae pituitosae accessione, viribus collapsis, cum victu restaurante, cum amaris leniterque aromaticis, cum elixirio vitrioli, infuso corticis frigido, cui aqua naphae, vel cinnamomi superadditur, ac tandem, nisi reliqua difficultas spirandi repugnaverit, martiali cum remedio, succurrendum est.

Polyporum bronchialium, sicut ipsa, nisi frustis eorum sub tussi jam rejectis, diagnosis perambigua: ita quoque, imprimis ramosorum, cura vix non impossibilis habenda est. Vapores tepidi, ore frequenter inspirati, remedia oleosa, saepius atque satis diu hausta, levamen aliquod malorum aliquando concedunt.

Retent. mediastinae.

§. 825. Glandulae, in foetu conspicuae, sed, quoad suas functiones, omnem physiologorum perspicaciam hucusque eludentis, *Thymi* scilicet, tumorem morbosum, rariorem dyspnoeae ut causam, tetigimus quidem (§. 822.); ast vero, cujus in cavo anteriore glandula haec aenigmatica, pericardio et cordi vicina, residet, *mediastinum* (utriusque pleurae e saccis, medio in pectore sibi

ita parallelis conflatum, ut cavum istorum dextrum, amplitudine, sinistrum superet, ut cava triangularia, tam anterius, quam posterius, efficiat, atque hoc in ultimo, aortam, ductum thoracicum, venam azygam, oesophagum asperamque arteriam suscipiat) frequentioribus, quam quidem vulgò supponatur, retentionibus, tum serosis (§§. 739. 741.), tum vero mucoso-lymphaticis, sebaceis, cruentis, sedem ominosam largitur. Non tam infrequenter in superiore parte cavi mediastini anterioris, pinguedo colligitur, suffocationem aliquando inducens. Exemplum *atheromatis*, pondus librarum fere quatuor aequantis, hoc in cavo, vir summus observavit. Plures, a viro claro ac de anatomia pathologica bene merito collecti casus morborum ad glandulam thymi sedem suam, apud adultos adeo homines, figentium, similia confirmant. Has nimirum mediastini inter laminas, tela cellulosa sparsa est, quae, anteriore necnon superiore illarum in cavo, cum similis contextûs cellulis *juguli*, amice correspondet, — in eo vero, quod inferius hiat, cum tela cellulosa, fibrarum diaphragmatis musculosarum interstitia, maxime triangulare illud, quod retro xy-

N 2

phoideam sterni cartilaginem invenitur, replente, cum parte *abdominis* suprema et anteriore communicat.

Ex dictis, humorum morbosorum retentiones ad *jugulum* factas, suo tandem pondere non minus, quam musculorum colli actione, in mediastini cavum anterius atque superius, — illas vero, quae inferiore et anteriore mediastini in cavo stagnant, ipsam *abdominis* superiorem et sterno vicinam ad regionem, detrudi posse, elucet. Quamvis autem *posteriorem* ac *lateralem* pulmonum faciem frequentius, quam *anteriorem*, in peripneumonicorum cadaveribus inflammatam detexerimus, ac ideo ponderis, oppressionis in hoc morbo ad sterni regionem sensum, sicut praedilectum aegris super dorso decubitum, magis ex reliqua vasorum pulmonalium sub sterno libertate, ac sanguinis ad ista concursu, quam a latente hic incendio, repetierimus (§. 186.); interdum nihilominus sub osse sterni, vel ad *mediastinum*, inflammationes, hydrothoraces, acutos, ut chronicos, ac suppurationes fieri, simul admonuimus (§§. 187. 739.). Sub tali rerum conditione, mediastinum subinde duritiem, spissitudinem morbosam contrahere, varios

in sensus distrahi, in pulmonum perniciem tumere, ab excrescentiis variae indolis, a polypis, steatomate infarciri, pure, ichore repleri, sternum abhinc ipsum protuberare, a carie erodi, perforari, haud sane mirabimur. Non rara certe venerea exostosis hanc trabem pectoris osseam occupat, eandem, diu neglecta, igne subdolo incendit, interiora versùs lente exedit et destruit. Praeterea et vehemens hujus partis, tot externis injuriis expositae, contusio, laesio profunda, ipsi adeo mediastino haud infrequenter insidiantur. *Americani, Neo-Orleanensis* medici, recens observatio est: qua scilicet abscessus, in typho, sub sterno natus, hanc sibi viam osseam cum felici eventu adperuit. Juvenis, antehac sanus, anno aetatis decimo et quinto, ex equo projectus, et pectore contusus, fortem in isto dolorem percepit. Hunc secutae sunt tussis, dyspnoea, sub quibus tandem sputa purulenta aeger rejecit. Cum tanti morbum hunc esse haud crederet; octo vix non per annos hunc minus curavit. Tunc vero febris cum tussi, oppressione pectoris, ac serius nocturni sudores cum corporis macie conspicua aegrum terruerunt. Cum ideo medici *Altorfiensis* egregii consi-

lium expeteret: unicum hic, in ossis sterni trepanatione superesse, non solum declaravit; sed quoque operationem propositam ipsemet instituit. Istius auxilio, effluxit puris foetidi libra circiter una, cum effectu tam laeto, ut sanitatem perfectam sibi restitutam esse, aeger supponeret. Septem interim post annos, pristina pectoris incommoda redierunt. Hoc igitur sub statu, an. 1809, hic vir, moderatoris tunc duorum aetatis juvenilis anglorum longiore sub itinere vicibus fungens, nos quoque *Viennae* consuluit, atque num altera vice sternum perforandum foret? animosus petiit. Cicatrix ad istud, nobis sedem, qua prima locum operatio habuerit, bene clausam designavit. Aspectum sani hominis aeger prae se ferebat quidem; ast vero nihilominus de dolore sub sterno, utrumque ejusdem ad latus, praecipue sinistrum, extenso, de tussi, de febricula, horis vespertinis recurrente, atque de sputis purulentis, paucis quidem sub itinere, sed quosdam ante dies, ad unciam dimidiam adauctis, conquerebatur. Cum interim hujus in *Angliam* reditus urgeret: haec locum nostris sub oculis habere non potuit operatio; suasimus tamen, ut,

sub auctis illinc dyspnoea et tussi, nisi jam sputa copiosa ore prodirent, si ita quoque expertis videretur *Angliae* chirurgis, ad pristinam medendi rationem rediret.

§. 826. Utinam vero tantorum malorum, huic sedi undique minantium, eorumque originis, maxime per sectiones pathologicas, satis conscii, ad veram eorum diagnosin atque ita securam iisdem medendi methodum, nos perducerent! sed fere cuncta hìc obscura et incerta nimis esse, fateamur, oportet. Nullam quidem nos *inflammationem mediastini*, quae ex morbo interno venisset, *solitariam* conspeximus; et quae illi cum pleurae ac pulmonum incendio communis est: eandem ea, quam *pneumoniae* (§§. 198-202.), medendi rationem, sibi expetit. Sic etiam *hydrops mediastini*, tam acutus, quam chronicus, cum eo, qui thoracem affligit, ejusdem plerumque causae imperio, *socius* incedit, ac denuo, si modo certum sui signum exhiberet; ut ille tractandus veniret. Quam externae, sterni regioni illatae injuriae, *localem* mediastini phlogosin vereri faciunt, sicut et illa, quam struma, venerea exostosis, hoc in loco inflammatae, internis minantur: hae, nunc Therapia.

phlebotomiae, nunc hirudinum usum indicant atque, in ultimo casu, specificam curam praescribunt. Quae profundius ac anteriorem mediastini ad specum haerent, concretiones, morbosa liquida: ea, donec ipsa ossis sterni compages sepultum ibi vitium, ac effectus in se ipsam, clarius eloquatur; aequivoca nimis, quam ut illinc detenta, chirurgicas per manus educantur, symptomata nobis offerunt. Quid vero spei, evidente satis retentionis in mediastino morbosae sub statu, ex sterni perforatione, trepano, aegris supersit: id non minus, quam operandi rationem, siquam istorum habitus internus concedat, *chirurgia* docebit.

ORDO III. GEN. IV.

RETENTIONES ABDOMINALES.

§. 827. Plures retentionum *thoracicarum*, ex muco aut lympha varietates, eoquod a sequentibus parum abludant, vel adeo cum illis confluant, et causas easdem agnoscant, consultim praeterivimus. Sic etiam retentiones, quae universum magis systema, quam cavum abdominis, vel aliud inquinant, speciali sub capite rimabimur. Nec minus retentiones in abdomine lymphaticas, quae suam inflammationibus viscerum, jam alibi a nobis descriptis, originem debent, ne crambem eandem recoquamus, hic excludimus. Sunt etiam non paucae epischéses, tam mucosae, quam lymphaticae et aliae, quae nec a longe quidem sub sensus cadant; nec symptomata, quibus aliis a morbis sat tute distingui possint, quoad novimus, offerant. Has igitur non minus, donec fructus, sectionum pathologicarum be- Ordinis ratio.

neficio hucusque detecti, pro artis medicae exercitio maturuerint, posteris, feliciore cum successu pertractandas, relinquimus.

Retentio in cavo ventris.

§. 828. Variae indolis tumores glandulosi, folliculosi, vel et ossei, *vertebrarum ad corpora*, non minus in thorace, quam in abdomine, hùc spectant: ut a quibus nunc ductus thoracicus, nunc oesophagus, nunc vero ipse arteriae magnae canalis, compressi, suis functionibus sensim sensimque renunciant; nec tamen symptoma characteristicum, quo sedes et natura obstaculi prodatur, ac ab aliis distingui valeat, nobis offerunt. Hùc frequens materiae albuminosae, expuriformis, ex interna peritonaei, vel externa intestinorum ipsorum superficie, tacite, vel saltem absque aliis, quam doloris quasi muscularis, rheumatici, aut enteralgiae vix notabilis, symptomatis, contingens secretio revocanda est: qua toties vel morbosa viscerum inter se ipsa, vel cum peritonaeo concretio, vel tumor abdominis quasi asciticus, suboritur, et expertissimi licet medici diagnosis confunditur. Hûc aucta ipsius peritonaei, ex albuminosa materia in illud deposita, crassities ac densitas, — hùc excrescentiae fungosae, tumores folliculosi,

sarcomata, pertinent: quae ad intimam peritonaei faciem irritatam, exesam, suborta, pedunculo nunc lato, nunc tenui, huic ipsi adhaerent, atque tumores nunc fixos, nunc mobiles, sistunt; aliquando vero abrupta, huc illuc rotantur per cavum abdominis. Ipsius adeo tubae, vel ovarii, gelatinoso, albuminoso humore, vel et foetu, gravidorum, ac in cavum abdominis aut pelvis diruptorum, exempla prostant (§. 756.). Vesiculae felleae, a posito bilis effluxui obstaculo, ad summam plenitudinem extensae, ac demum cum fellis in cavum abdominis, lethali effusione, diruptae, — abscessuum ad viscera diversa, eodem cum eventu interiora versus adpertorum, observationes multiplices occurrunt. Vasorum lymphaticorum in abdomine, thorace, vel ipsius adeo ductus thoracici solutiones, ac lymphae, aut chyli, ex illis, in cava vicina effluvia, non minus adnotata fuerunt. Quemadmodum vero haec et alia anatomiae pathologicae observata, modo causas aut effectus morborum lethalium, sub vita interim aegrorum, cognitioni medicae plerumque subtractos, concernunt, nec igitur sanationis opus, quod in arte praecipuum est, pro sua dignitate

promovent: ita quidem eorum hic mentionem injici, justum est; sed vero multum abinde lucri hucusque promitti non potest.

Non interim de omnibus idcirca prorsus desperandum esse, modo signa diagnostica minus aequivoca, conatus artis aliquando tandem suffulciant, fata aegrorum, paucorum licet, meliora jubent. Sic non omnis tumor abdominis, ex aquae collectae copia derivatus, dum, loco istius, sub instituta paracentesi, materia mucosa, gelatinosa efflueret, aut mox lethalis fuit, aut vitae saltem prorogandae spem omnem semper elusit. Puriformis in cavo abdominis collectionem humoris exspectabimus, ubi peritonitidis, enteritidis, aut colicae febrilis atque gravioris, manifestam satis fluctuationem antecesserunt, symptomata. Promtius quidem ista, mortem aegris, sub gangraenae phoenomenis, inferre sueverunt; est interim, ubi pede quidquam lentiore, ac sub mitiore symptomatum ferocia, tantam ad molem abdomen hac a causa increverit: ut rupti umbilici ac puriformis per hunc materiae effusae exempla, nec semper, ut ex nostris etiam nobis constat diariis, infelicia, exstent. Sic proprium virginis adultae, cum utriusque

ovarii scirrho praemagno specimen alibi retulimus; cui virgini superaccedens peritonaei inflammatio, cavum abdominis mirum in modum et cum fluctuatione ita inflaverat: ut, rupto tandem sponte umbilico, ingens puriformis materiae copia ex eodem, cum perfecta hujus mali acuti sanatione, proruperit. Vidimus quondam in *viennensi* nosocomio foeminam, cui, ex praegressa *peritonitide puerperali*, abdomen insigniter intumuerat. Morbo, praeter opinionem, quidquam in longum protracto, egregius hujus nosodochii medicus paracentesin ausus est instituere. Sub hac ipsa operatione accessimus, ac odorem puriformis humoris, abunde effluentis, jam foetidissimum, sub justo certe, ne mors promta mulieri instaret, timore, percepimus; convaluit interim a felici hoc ausu puerpera. Quodsi post praeviam hepatis, lienis inflammationem, ac post abscessum horum viscerum externum, in cavum abdominis (quod ex ipsa aegrorum sensatione atque momentaneo symptomatum levamine aliquando augurari licebit) vix ruptum, incisio ventris ad locum antehac magis adfectum, instituta, aegris sat promte ac ante puris effusi corruptionem, succurreret:

spes non omnis, fore ut huic liquido, necdum profundius delapso, sub naturali et constante ventris plenitudine, exitus daretur, amittenda nobis videretur.

Quid vero, inquies, cum abscessu hepatis?... is certe, tam cum intestinis, quam cum peritonaeo vicinis hinc inde concrescens, pus omne per haec ipsa, morboso sibi orificio adperto, cum eventu, prout nos quoque experientia docuit, non semper infelici, expellere potest (§. 249.). Quamvis autem vesiculae felleae diruptae casum non lethalem in *actis Moguntinis* nos ipsi descripserimus; sortem tamen hujus laesionis rarissime tam optatam sperari posse, convenimus. Quodsi nihilominus haec vesicula, prout vix de hepatis abscessu indicavimus, quo loco exesa, lacerata fuit, cum intestino propinquo concreta foret: bilis per hunc locum in illud effluentis effectus, excepto, quod succi pancreatici mitigans eidem affluxus negaretur, non pejor, quam per ductum choledochum, esse deberet. Etiamsi vero ampla bilis, per felleam vesiculam quasi exsudantis, vestigia in cadaveribus reperta, post mortem tantum subintrasse, non improbabilis sit opinio; et quantumvis amarum

hunc succum hepaticum, promtiori corruptioni subjectum, hinc, abdominis in cavum delapsum, visceribus ejusdem celeriter ominosum fore praevidendum sit; exemplum tamen in *medico Angliae diario* refertur pueri, qui, alta ex arbore in ventrem projectus, post sex modo hebdomadas e vita excessit. Singula fere hujus pueri viscera in abdomine inter se et cum peritonaeo fuerunt concreta; hepar ad sinistra detractum, a dextris vero cavea fuit, magna humoris profunde tincti, biliosi copia repleta: cujus humoris sexdecim jam sextarii sub morbo, paracentesis ope, fuerant extracti. Mortem hoc in exemplo, sub tanta bilis in ventrem depletione, non promtius subvenisse, id saltem, bilis, extra suam vesiculam stagnantis, corruptionem non semper tam celeriter partibus vicinis funestam esse, docet.

Retent. in oesophago, ventriculo et intestinis.

§. 829. In *ventriculo* atque *intestinis* haud raro magna muci aut humoris glutinosi, albuminosi, lymphatici, morbose secreti, atque nunc liberi, nunc folliculis, nunc morbosis appendicibus, diverticulis, inclusi, copia, vel universi culpa systematis, vel modo locali harum partium vitio, colligitur et stagnat. Sic princeps *vindobonensis,* sub

oppressione, dolore regionis epigastricae ac anxietate continuis, ructus quotidie copiosos, tam foetidos explodere solebat: ut sex septemve, in quibus habitabat, cubicula, deterrimo latrinarum foetore prorsus inquinaret. Longis tandem hisce miseriis mors optata finem *Pragae* concessit. Adperto cadavere, a fundo ventriculi, saccus ingens, intestino coeco similis, ac in hujus visceris cavum hians, pendere conspectus est: quo in sacco, magna muci atque ciborum putrefactorum copia, quotidie collecta, gas illud mephiticum, per oesophagum, multos per menses, cum impetu expulsit. Ipse adeo *oesophagus*, aut a tumore vicino, glanduloso, aneurysmatico, purulento, folliculoso, vel osseo compressus, aut ex morbo proprio, utpote tunicarum crassitie morbosa, glandularum tumore, vel scirrho, angustior, dum ciborum descensui diutius hoc fixo in loco renititur, supra hunc ipsum, ut infra docebimus, in saccum dilatatur, atque hoc demum in sacco, non modo cibos ingestos, sub insigni anxietate, conservat; sed copiosum atque tenacem simul mucum concipit ac solum hincinde eructat. De perpetua fere in faucibus ac in ventriculo pituitae tenacis

collectione conqueruntur hypochondriaci, ac saepe, matutinas imprimis ad horas, copiose hanc ipsam, interdum vitro fuso, vel spermati ranarum fere similem, aut exscreant, aut ventriculo, vario sub illius sapore, cum nausea, oppressione stomachi atque ciborum aversione, regurgitant. Similis heluonum ac eorum, qui spirituosis liquoribus, vel et cibis difficulter subigendis abutuntur, conditio est. Ex humida frigidaque anni constitutione hinc inde febris, quam *pituitosam* vocarunt (§. 101.), grassatur in homines; ac celebris est *morbi mucosi,* tum *Neapolis,* tum apud *Goettingenses* quondam observati atque descripti, historia. Saepe hisce ac aliis sub morbis, ventriculus, intestina, quasi cortice mucoso, plures lineas crasso, quem vix ab iisdem abstergas, obducitur. Ipsum canalis cibarii cavum aliquando, a pituita densissima, farciminis adinstar, repletur, obstruitur. Ad ipsum ductum choledochum hic mucus interdum penetrat. His vero in casibus, in diarrhoea chronica, in dysenteriis, glandulae mucosae ventriculi ac tubi cibarii, etiam illae, quas oculus in aliis vix unquam distinguit, quasi aphthosae, turgent atque densa pituita luxuriant.

Quotiescunque vero major irritatio ac phlogosis, pituitariam ventriculi, pylori intestinorumque in membranam ejusque in glandulas agit: haud solus *mucus*, sed et *lympha*, morbose ab iisdem copiosa secernitur. Facile haec ultima, quod jam de vomitu cruento (§. 664.), de dysenteria (§. 690), atque de enteritide (§. 243.) monuimus, in *pseudomembranas*, aliquando formam intestini tubulosam aemulantes, aliàs in massas informes, *polyposas*, convertitur. Frequenter nimis hos effectus, non ita pridem, per *Germaniam* habuit *clysterum*, ut vocarunt, *resolventium*, ex praedicta hypothesi, quotidianus abusus: quo factum est, ut ipsos, quibus mederi conabantur, *infarctus, enemata* saepissime *crearent*. Eundem certe effectum habent et drastica remedia: quorum stimulus secretionem intestinalem, excussis humoribus serosis, toties invertit ac, loco muci blandioris, lymphae secretionem morbosam impetuose provocat.

Angustatio canalis cibarii. Inter ipsas adeo tunicarum intestinalium lamellas haec lympha, in coagulum tam prona, exprimitur, atque certis tubi cibarii in locis cellulosis, magis magisque solidescens, membranarum in illo crassitiem, re-

sistentiam adauget, diametrum canalis imminuit, plures saepe ad pollices tenuem in fistulam coarctat, et alimentorum faecumque descensui obstacula ponit. Quae vero intestini plaga hanc remoram patitur: illius pars superior, prout de compresso oesophago atque de ipsis intestinis inflammatis (§. 243.) jam diximus, ab accumulatis ponderosis ciborum reliquiis, in propriam corruptionem promte ruituris, ac magnam aeriformis liquidi copiam evolventibus, sensim sensimque, sub atrocis enteralgiae symptomatis, in *saccum*, aliquando *peramplum* ac vicinis partibus infestum, distenditur; quo demum in sacco saepe ingens glutinis densissimi quantitas, stimulatis perpetuo e glandulis, exprimitur. Nec tam rarum est, ex praegressa sanguinis in ventriculum, intestina, effusione, ut post haematemesin, morbum nigrum *Hippocratis*, abluto vel separato a coagulo lymphatico cruore, massas variae figurae *polyposas* illorum in cavis, ad multas aerumnas relinqui (§. 613.).

Quae autem in tunica narium pituitaria toties contingere monuimus, ea quoque in mucosa intestinorum membrana, ex causis fere iisdem, hinc inde succedunt. Quo sci- Molae intestinales.

licet loco intestinorum, maxime crassorum, superficies interna lacessitur magis, inflammatur, aut laeditur: eo infiltratio humoris mucosi, lymphatici, perverse secreti, facilius subintrat; membranae, folliculi mucosi, luxuriant ac in tumores fungosos, polyposos, variae figurae ac magnitudinis, aliquando petiolo densiore, tenuiore, instructos, variae indolis matèria repletos, *molis uteri* (§. 845.) haud dissimiles, saepe plures, assurgunt. Dolores haec tubera quasi colicos, atroces, ac pertinacem alvi obstructionem, cum intercepta corporis nutritione habituque cachectico, inducunt; donec illis aliquando, insigni sub conatu, nec ubique sine sanguinis jactura, praevia subinde materiae flavescentis, puriformis depositione, per anum expulsis, symptomatum remissio, plerumque modo temporaria, tandemque in tabem, vel in ileum mutanda, sequatur.

Causae. §. 830. Tantorum malorum causas, partim sub illorum expositione jam tradidimus. Conveniunt eae cum illis, quae *membranas mucosas* in genere infestant (§§. 107. 514. 533.); atque nunc universum magis systema, nunc solum tubum alimentarium, aut partem illius, corripiunt. Majorem earum

numerum utique generalis, partialis *debilitas* habet. Sicut vero *catarrhi epidemici*, nares aut pulmones tam saepe corripiunt: ita quoque tunicam mucosam intestinorum iidem hinc inde magis affligunt, atque vel gastrico-pituitosae sub febris, vel sub aphtarum, diarrhoeae, dysenteriae mucosae symptomatis, vel sub magnis potius ventriculi intestinorumque incommodis, sub dyspepsia, flatulentiis, obstructione alvi pertinaci, scenam adperiunt. Nec certe rheumatismi, arthritidis causae, intestinorum organis secretoriis semper parcunt; sed saepe, ut more consueto quondam in articulos et carnes: ita nunc abdominis in viscera, furiunt, ac infarctus mucosos, lymphaticos, in illis et glandulari systemate inducunt. Pro viro nobili, podagrae summopere subjecto, sed a sex fere mensibus hocce a morbo immuni, consilium nostrum *Ticini*, sicut alibi (§. 666.) breviter innuimus, expetitum fuit. Huic viro abdomen insigniter tumebat faciesque pallebat. Sub cordis palpitatione continua, magna erat pulsuum perturbatio. Omnis generis remedia resolventia incassum fuerant adhibita. Ex podagrae causis hanc molem abdominis

venire, nec aegro, nec medico illius nobis consentientibus, ediximus. Nostrum tandem rerum eventus confirmavit judicium: vix enim, sex post hebdomadas, violenta aegrum podagra prehenderat, cum omnis ventris moles praedura conciderit. Viginti quinque annorum mulier *viennensis*, doloribus artuum violentis atque hystericis convulsionibus subjecta, saepius, quando dolores crurum cessaverant, ventre illico mirum in modum intumuit doluitque crudeliter. Tumores, tunc plures, capitis infantilis molem fere aequantes, in prominente et attactum fugiente abdomine persentiri potuerant. Atqui omnes hi tumores saepe illico, si tumor crura consuetus invaderet, in totum disparebant. Sed jam a *primi seminis* stimulo, comparentis pubertatis sub epocha, juvenibus glandulae ad inguina turgent ac dolent; illi vero tandem stimulo adsuetae, collabuntur et quietae nunc subsident. Sic etiam in suspenso habituali sanguinis, imprimis per vasa haemorrhoidalia, fluxu, saepenumero rectum intestinum, a pituita morbose secreta, medorrhoeae ani sub specie (§. 530.), obruitur. Quaecunque vero tubum cibarium, aut partem ejus magis relaxant, debilitant, aut

etiam certum ad gradum exstimulant: ea pituitae aut lymphae in eodem secretionem augere, mutare queunt. Hinc laxi ac vitae sedentariae dediti, literarii homines, artifices, foeminae, infantes, prae aliis, a pituita torquentur; et qui vermibus laborant, tum causa disponente illorum, tum effectu,— vel illi, quibus calculus aut corpus peregrinum, aut scirrhus intestinis haeret, copiosum simul in istis mucum praeparant.

§. 831. Saepius omnino muci superabundantis in abdomine generatio, alterius morbi potius symptoma, quam princeps morbus, atque hinc ex illo magis, quam ex ipsa pituita, futurus rerum eventus praevidendus est. A colluvie intestinorum pituitosa, quae, diarrhoeae mucosae sub specie, copiosius per anum secedit, major sane ac promtior virium jactura, quam a simplici substantiae illius nutrientis *retentione*, timenda est. Nihil interim ad sustentationem corporis, stagnans in cavo abdominis, aut in primis viis materia mucosa confert; ac praeter damna ex tubi cibarii per illam oppletione, infarctu, compressione ac motu peristaltico infracto, corruptioni specificae ac descriptis jam alibi (§. 101.), effectibus **Prognosis.**

illa subjecta est. Ex lymphae inter intestina ipsa interque haec et peritonaeum morbose secretae coagulo, istarum partium compressio, mutua et arcta nimis cohaesio, libertatis, qua intestina suis in functionibus indigent, abolitio, multiplex hujus canalis distractio, constrictio, frequens faecum propellendarum remora et vasorum lacteorum interceptio nascuntur.

Cura. §. 832. Ob *symptomaticam* toties secretionis mucosae superabundantis, ac retentionis ejusdem liquidi naturam, parum nobis de *cura* hujus mali, quod ad alterius adfectionis medelam non spectaret, dicendum superest. Sicut nempe de *diarrhoeae mucosae* cura quondam diximus, „eam non in mechanica quasi solutione evacuationeque tenacis pituitae, sed in recto causae, quae secretionem istius morbosam inducit, moderamine ponendam esse" (§. 686.): ita quoque de muci lymphaeque ad abdomen, intestina, retentione iniqua, non magis in humorum istorum collectione dissipanda, quam in iis, quae hujus secretionem luxuriare ac id, quod uberius justo secretum fuit, retineri faciunt, eradicandis, indicationem collocandam esse, monebimus.

Est interim, ubi collectae pituitae copia et indoles talis est, ut ejusdem eliminationem timor justus, ne illa, comprimendo, infarciendo, haec vero corrumpendo, irritando, nimis obsint, omnino indicet; atque hoc in casu, num locus, quo talia restagnant, evacuari ea permittat, vel num collecti infensi humoris tenacitas, indicatam sui rejectionem breviore via concedat, prius examinandum est. Quae in *cavum abdominis* irruerunt, liquida mucosa, puriformia: ea quidem, sub falso ascitidis aspectu, haud raro paracentesis ope, praeter opinionem, extracta, plerumque tamen mox regenerata, aerisque illis admissi influxu, citiori corruptioni exposita fuerunt. Certam interim ab eorum accumulatione promtiore, majore mortem inter et paracentesis, etiam cum lanceola forsitan suscipiendae (§. 761.), pericula, quibus ultimis aegri non omnes succumbunt: si vel nihil, quam vitae prorogationem et instantis suffocationis moderamen pro illis lucrari liceret, qui demum exitus prae aliis eligendus sit, vix manet ambiguum. Puriformem adeo humorem, praevia viscerum, aut peritonaei phlogosi, cavo ventris susceptum, Ret. abdominalis.

vel sponte per umbilicum, vel arte, per tricuspidem, non lethali semper cum effectu, eductum fuisse, cum exemplis supra relatis ostendimus. Quae vero liquida lymphatica vel in abdominis, vel intestinorum in cavis, soliditatem jam acquisiverunt, vel quae, fungorum instar, illorum e superficie, in polypos, tumores cysticos coiverunt, atque pedunculis suis plerumque huic firmiter adfixa sunt: ea certe artis beneficae jam subtracta sunt imperio; ac soli tumores in tubo cibario detenti, nisi sponte forsitan ab eo separentur et decidant, oleosa, quae lubricando, alimentis subliquidis aut faccibus transitum facilitent, ut breve solatium, admittunt.

Ret. intestinales. Aliter de pituita, ventriculum, intestina, sine quovis membranoso vinculo, inundante, dicendum est. Summa quidem eandem tenacitas, cavorum illorum parietibus in multis adglutinat; in aliis vero sat mobilis ille mucus est: prout in teneris infantibus persaepe contingit, per vomitum facile expellitur; ac apud adultos non minus, nisi quid refragetur, breviore hac via expellendus est. Dum igitur, in primo casu, nec porrecto quidem ab emetico excutiatur ven-

triculo glutinosa illa materia; cum *penicillo* adeo, ex setis parato, vel cum *spongia*, quasi *cum scopis*, hoc viscus *verrendum* esse, putarunt quondam aliqui; et est, inter recentiores vir clarus, *Germanus*, qui hoc genus auxilii mechanici in usum revocaverit. Vix tamen lagenae impurae, vel contaminati dolii in modum, vivi hominis ventriculum purgandum esse credimus; et cum ipsis adeo spatulae, scalpello, intestinis mortuorum admotis, tenacior saepe pituita restiterit; non illa scopae, caute satis intrusae, magis obediet. Nec semper solus ventriculus, sed longus simul intestinorum tractus, a pituita, quam instrumenta nunquam attingent, obducitur.

Quodsi vero his quorundam scriptorum in consiliis humani quid subrepsisse credendum sit; non minus certe illi, qui pituitam ac lympham, in secundis hominum viis stagnantem, iisdem, ac in patina inanimi collocatam, auxiliis, modo prorsus mechanico, aut chemico, posse incidi, dividi, resolvi, crediderunt, hallucinati sunt. Aliter forsitan res cum pituita, in ventriculo ac tubo cibario haerente, constituta est: qui scilicet humor glutinosus, praeterlabentis ac-

tioni liquidi amici, imprimis aquosi ac tepidi, vel salibus alcalinis, sale ammoniaco, gravidi, quasi nudus, satis diu expositus, non est, cur adfinitatis majoris legibus tandem non obediat suamque spissitudinem, mobilior et vel ad resorptionem, vel ad excretionem promtior, deponat. Externas saltem crustas, ex muco conflatas, ipsum aurium cerumen aequo spissius, solius tepidae actione resolvimus. Fateamur interim, plurimorum, ut vocant, *resolventium* virtutem, ex actione, quam in solida viva magis, quam in fluida stagnantia, exercent, quamplurimam agnoscere; atque hanc ideo non solas in partes, quas proxime attingunt, sed, lege consensûs, in omne systema plus minus diffundere. His igitur rationibus suffulti, quae in morbo acuto hujus indolis consuluimus (§. 110.), ea, si talis causa pituitae subsit, hic denuo praescribimus; sub chronica vero, profundiore scilicet e scaturigine fluente, primarum viarum pituita, lentior quoque istius solvendae, exsiccandae, methodus requiritur. Prima pituitae, stomacho, intestinis pigrioribus stagnantis, ut ructus et flatuum ex illa evolutio docet, in *acidum* — altera et ultima, in *putridum*

generatio est. Illi, aquae potissimum *Carolinenses, fontis Mariani* his ipsis vicinae, aqua calcis, aut salis alcalini solutio, vel sapo, vel (quae hujus vices sub statu salutis agit, sub languore autem subactionis ciborum, plerumque ipsa languet) bilis, vel quae hujus actionem imitant, plantarum, succo lactescente, amaro, praeditarum, taraxaci, cichorei sylvestris, decocta, extractà, praeterquam quod fibram segniorem simul excitent, hac vero ratione tam secreti humoris lentorem corrigant, quam secretionis abundantiam restringant, potenter resistunt. Potiorem inter sic dicta resolventia locum sal ammoniacum, refractae antimonialium, calomelae junctorum, doses, occupant. Ultimam pituitae retentae corruptionem avertit, illius, ita praeparatae, promta satis, imprimis per oesophagum, ope tartari emetici, rejectio. Intestina demum hoc malorum fomite liberant laudata jam alibi rhabarbarum, calomel, magnesia, cum aliqua radicis ippecacuanhae portione remista, clysteres; quae interim remedia alvum ducentia, ne vires exhauriant, et vix coërcendam diarrhoeam post se relinquant, prout quondam monuimus, cavendum est.

Soluto, vel eliminato, qui locali actio-
ne obesse posset, ventriculi, intestinorum
glutine: debilitatis, quae perversae secre-
tionis operi plerumque praefuit, ratio ma-
jor habenda est. Tunc igitur, sub victu
sufficiente, magis sicco, ex carnibus ma-
turis, teneris tamen et assatis, petito, evi-
tatis cibis viscidis, farinosis, fermentationi
obnoxiis, sub exercitatione corporis, im-
primis equitatione, horis matutinis pera-
genda, in usu amarorum sat diu continuan-
dum, postea vero ad aquas *Pyrmontanas*,
Egranas et similes, ad corticis Geoffroeae,
peruviani, vini martialis, vel puri chalybis,
cum radicis zinziberis aut acori portione,
administrationem transeundum est.

Retent. peritoneales.

§. 833. Quemadmodum autem de *aquis* diximus (§. 743.), ac de *pinguedine* dice-
mus; ita etiam pituita, puriformis, puru-
lentus, gelatinosus humor, non raro inter
peritonaei appendices seu duplicaturas, in
omento, *mesenterio*, *mesocolo*, *mesore-
cto*, colliguntur, ac pro sua scaturigine,
indole, extensione, mole, consistentia,
pondere, diversis, pro tumoris cum vicinis
partibus cohaesione, concretione morbosa
et praecipua in has ipsas actione vel brevi,

vel diuturna, varia inter se phoenomena excitant. Perdifficilis igitur istarum retentionum diagnosis est; atque ob appendicum dictarum positionem, sibi fere parallelam, paucasque inter se distantias, ob consensum partis vicinae, distractae, compressae, impeditae, multiloqua symptomata pariunt. Attenta interim morbi praegressi consideratio, positionis, nexûs naturalis appendicum anatomica cognitio, ac principalis constantiorisque symptomatis contemplatio, facem inquisitioni medicae aliquando satis lucidam accendunt.

§. 834. Ad *omentum* respicientes, ejusdem a ventriculo ortum et descensum, ut hoc viscus de morbis illius participet, frequenter contribuere, primò hìc monebimus. Mollissimum scilicet atque pinguedinosum hoc intestinorum operculum, a duplici peritonaei lamina conflatum, medio has inter lamellas loco, vasis conspicuis ornato, non modo adipem, sed inducta his vasis aut frequentiore, quam vulgò creditur, inflammatione (§. 217.), aut secretione quacunque morbosa, variae indolis liquida concipit, atque haec vel nuda involvit, vel cellulis aut folliculis inclusa, diutius fovet, ac in futuras Ret. epiploica.

aberrationes, corruptiones, coërcet. Summae vero extensionis capax, sponte tamen retrahi nescium, magnisque injuriis expositum omentum est: tam in longum, — exemplo herniarum, nunc minimarum, nunc fere colossearum, scrotalium, femoralium, quas vel solum, vel intestina concomitans, constituit; — quam in latum: ut et omne abdominis et pelvis cavum aliquando emensum sit. Haud raro epiploon ſunis in modum contortum, aut, ubi uterus gravidus, hydrops abdominis, pinguedo plurima in isto, aliique hujus cavi tumores expansionem omenti impediunt, id ipsum in massam globosam ac duram super umbilico retrahitur. Aliàs ventriculus, per omentum obtectus, vel epiploon illum inter et colon intestinum latuisse, conspectum ſuit. Nec tenues, ut sub statu salutis, pars ista lamellas pro suis parietibus agnoscit; sed multoties istos, post inflammationes, praeprimis in puerperis, vel etiam in morbis chronicis, ad pollicem unum, vel et unum cum dimidio, crassitie auctos, nunc proſunde rubentes, nunc ex albo flavescentes, duros ac fere subcallosos deteximus. Praeter serum igitur et adipem nimium, et pùs, ex praevia inflammatione

vel hìc loci generatum, vel metastatice hùc depositum, et humor lymphaticus, puriformis, gelatinosus, albuminosus, interdum plura his e liquidis, diversis in loculis simul hìc confluunt, stagnant ac sensim sensimque, — nisi prius in cavum abdominis, aut concreto cum vicinis partibus omento, in has ipsas effusa, in materias, consistentiam mellis, steatomatis, aut sicciorem ac fere gypseam, induentes, inspissantur. Tumores omnino his a retentionibus nascuntur, molis, consistentiae variae, atque nunc mobilis et, mutata trunci positione, hùc illùc devagantes; nunc vero, ubi cum peritonaeo, aut cum vicinis visceribus epiploon concreverit, fixi, atque sub principio quidem obscure fluctuantes, serius autem nullum motûs undulatorii vestigium prodentes, integumentis abdominalibus viciniores. Praeterquod vero epiploon, pro ventriculi repletione majore, minore, nec non pro corporis positione diversa, vel retrahatur, vel descendat, et sic locum abdominis nunc ampliorem, nunc angustiorem occupet; parum etiam abest, quin tumores omenti, eodem se modo, ac illi, quos *mesenterium* contraxit, ad attactum se habeant.

Fateri quoque oportet, nullum adfecti omenti signum specificum a medicis cognosci; et quod, cum in cadavere id genus vitii, adesse suppositi, inquiritur: omentum saepe aut corrugatum, aliquando vero duriorem in funem convolutum, globosum, aut in totum fere consumtum esse, tumorem vero aliam longe sedem occupare, reperiatur.

Has interim diagnosis difficultates imminuit consideratio: quod, sub erecta corporis positione, *profundius epiploon a dextra parte, quam a sinistra*, per abdomen *propendeat;* et quod hinc *tumor mobilis* in parte abdominis dextra, frequentius in omento quaerendus sit: quo loco, ex eadem ratione, et partis hujus *herniae* saepius, quam oppositam abdominis ad partem, occurrunt. Saepius omentum *steatomatosis a tuberibus*, apud illos adeo homines, quorum nec ad jugulum, nec ad mesenterium strumosi quid comparuerat, celebris *Parisiensium* anatomicus conspexit. Quousque etiam omentum nullibi morbose conferbuit, tumor quivis paulo major ad illud residens, suo cum pondere ventriculum adgravat, inferiora versùs, ingrato istius sub sensu, dis-

trahit, atque hoc in situ detinet; quo haud raro contingit, ut cibi, stomacho suscepti, oesophago facilius regurgitent, quam per pylorum descendant, atque sic tumoris in omento sedem ulterius illustrent. Quoties interim tumens epiploon, vicinis partibus concretum, sustentatur satis ab istis: toties fere distractionis stomachicae signum illud praeponderans eliditur, ac pristina mali redit obscuritas. Vidimus nihilominus, sed absque tumore, omentum in principe marchione *Bado-Badensi*, anno 1771 defuncto, cum testiculo praetumido concretum, nullum, ubi princeps *jejuno* esset stomacho, incommodum induxisse; quoties autem ventriculum ille cum cibis replevisset, aegrum, prout alibi jam exposuimus, ut incurvato ad anteriora et dextra corpore, cum distractionis ad regionem *epigastricam* sensu, incederet, coëgisse.

Quamvis autem *mesenterii* tumores plerumque cum externis glandularum tumoribus juncti incedant atque, sub istorum defectu, facilius *omentum*, quam illud intestinorum sustentaculum, laboret; interdum tamen hoc ultimum et illis in ho-

minibus *strumosum* est, quorum habitum externum nullus tumor lymphaticus defoedat.

Coeterùm, tam omenti, quam mesenterii tumores molis majoris, sursum et deorsum, et ad latera comprimendo agunt, atque nunc ventriculum diaphragmati adprimunt, capacitatem ejus imminuunt ac delent, thoracis cavum angustant; nunc viscera e situ suo removent, ejiciunt, cum illis saepe intime concrescunt, aut vincula morbosa, functionibus eorum funesta, praeparant sortemque, sub inflammatione, suppuratione, iniquam dividunt; nunc in pelvim profundius illa urgent; uteri, vesicae intestinorumque functiones pessumdant aut supprimunt; ac ipsa vasa majora non minus, quam lymphatica vicina, cum descriptis jam alibi effectibus, coarctant, obliterant. Varices hinc multiplices, imprimis in omento a tumoribus obsesso, comparent; nec etiam rupti mesenterii inter laminas aneurysmatis descriptum a nobis exemplum deest. Insignem certe numerum tumorum, quos in istis peritonaei prolongationibus nos ipsi reperimus, ac partim museis pathologicis, *Bruchsaliae*, *Ticini*, *Vindobonae*, *Vilnae* ac *Petropoli* a nobis erectis, commisimus,

post ea, quae anatomiae pathologicae scriptores egregii ubertim exposuerunt et quae, propria, jam aliis nostris in operibus commemoravimus, hìc non describimus.

§. 835. De retentione *epiploica* vix nunc loquentes, quin simul illam *mesenterii* tangeremus, evitare non potuimus. Plura nempe, quae ad primam spectant, ad istam certe non minus revocanda sunt. *Strumarum* (scrophularum) quidem sedes praecipua in mesenterio est; cum vero eae non unius partis, sed universi potius systematis morbum sistant; de hoc, data occasione, modo brevem hic loci mentionem injicimus. In illis etiam hominibus, qui strumis nullibi laborant, liquidorum, non modo serosorum (§. 733.), sed quoque aliorum, in glandulis meseraicis, aut mesenterii inter laminas, illius in vasis, colluvies et pertinax retentio, inspissatio, locum sumit, intestinorum extimum hoc, a lumbis pendens, velamen atque sustentaculum infarcit, ac in conspicuos tumores elevat. Ad strumas mesenterii quod spectat, eae appendicis hujus inter laminas, in glandulis lymphaticis, saepius apud infantes, quam apud adultos, mole praeter modum auctis, attactu mollioribus, Ret. meseraicae.

consistunt: in quibus glandulis, a morte dissectis, aut normalis prorsus habitus observatur; aut materia subalba, grisea, mollis, friabilis, haud raro puri, puriformi liquido remista, earundem in parenchymate detegitur: quin idcirco, quod ex falsa hypothesi quondam admissum fuit, hae glandulae, conspicui ad ventrem tumoris causa, *obstructae* sint et chylo, vel injecto per artem anatomicam mercurio, resistant. Quemadmodum autem et aliis corporis in partibus, non omnis glandularum inflatio vitium strumosum pro causa agnoscit: ita quoque nec omnis glandulae mesentericae tumor, hac impura e scaturigine propullulat; nec si *physconiae glandulosae* speciem struma nobis offerat: mox omnis glandularum, vel inflammatarum, vel induratarum, vel scirrhosarum tumor ad id *perviae genus inflationis* spectabit.

Praeter strumas autem et varios glandularum infarctus scirrhosque, tum nimia pinguedo, tum lympha sub inflammationibus morbose secreta, tum steatomata multiplicia, praemagni abscessus, tum, licet rarius, concretiones calculosae, vel et osseae, mesenterium infestant, ac maximos in mul-

tis tumores hujus partis ac ventris, nunc totius, nunc in una alterave ejusdem regione, producunt. Insignis ponderis tumores meseraicos tum alii describunt, tum nos ipsi reperimus, ac museis pathologicis, quorum curam quondam gessimus, commisimus. In strumosi admodum senis *Bruchsaliensis* cadavere reperimus, ac in oratione academica „*de vesica urinali ob viciniam morbosam aegrotante*" descripsimus, insignem ad mesocolon tumorem, cum ipso hoc intestino carcinomaticum, in pelvis cavum profunde demersum, ac ibidem tam fundo, quam posteriori vesicae urinariae, simul exesae, parieti concretum: unde flatus et excrementa, magno hiatu, in cavum visceris istius, et ex hoc, urinis commista, foedo per urethram expellebantur spectaculo. Plura, huic omnino similia, exempla nobis posthinc, ut quondam *Ticini*, sic et *Vindobonae*, oblata fuisse, doluimus.

§. 836. De *pancreatis viscerumque* coeterorum *abdominalium* tumoribus aut duritie morbosa ex retentione materiae lymphaticae, albuminosae, puriformis, purulentae, exortis, non minus, quam de illorum diagnosi, causis, prognosi, atque de **Ret. abdominales aliae.**

medendi iisdem ratione, partim in secundo Epitomes hujus, de *inflammationibus* libro, partim quo loco de *vomitu* chronico sermo nobis fuit (§. 665.), locuti jam sumus. Sic etiam quae *congestiones*, *infarctus*, *obstructiones*, concernunt, ea secundum rationis et experientiae principia, nobis concessa, dilucidavimus (§§. 694-700). Quodsi vero haec *fluidae* magis, quam *solidioris* materiae retentiones respicere quis dixerit; huic, primò, solida morbosa, priusquam firmiorem hanc indolem induerint, non minus sub forma liquida vasorum systema permeasse, ac modo secretionis morbosae, quietis, et mutuae attractionis chemicae legibus, donec solidescerent, obedivisse; — secundò vero, si ea loco moveri atque subduci sit animus: fluiditati primaevae plerumque prius restitui debere, respondebimus.

Quamvis autem magna, num retentiones, praegressae quondam *phlogosi*, num vero minus impetuosae solidorum in fluida actioni ac *cessioni*, seu *inertiae* istorum potius, quam *nisui perverso*, adscribendae sint, ex eo intercedat differentia: quod, primo in casu, puriformis ac albuminosa

materia, vi secretionis morbosae, in parenchyma partium aut viscerum deposita, cum his, indita sibi ex indole, *concrescat*, vitamque his propriam nunc ipsa sibi vindicet; — in altera vero, quasi mortua restagnet, ac, ut corpus peregrinum, neque vasa, vel telae cellulosae lamellas, quas modo *intrusum* hoc occupat, mox in unum coadunet ac perpetui jure domicilii teneat (§. 698.); est tamen symptomatum, ex diversis licet causis natorum, aliqua conspiratio; ac modo in morbi praegressi cognitione, ac in retentionis decursu, post *phlogosin* neque resolutam, neque suppuratam, magis rapido, latet major diagnosis opportunitas. Saepe interim hanc denuo haud parum infrangit tum ea, quae *occulte* incedit, inflammatio (§. 122.); tum partium, ex lympha morbose retenta, condensata, induratarum *moles* aliquando non tam aucta, quam potius *imminuta*, contracta (§§. 697. 698.), tum giganteum, vix tamen, nisi respectu viciniarum, morbosum, incrementum viscerum, praeprimis abdominalium (physconia): ut quod certe minus attentis cautisque medicis pro *obstructione*, sub media vasorum in iisdem

libertate, toties imposuit (§. 698.). Nec minor in eo errandi occasio nos premit: quod *multiplicia*, uno eodemque in cavo, viscera, haemisphaerico ventris dominio arcte sint commissa: unde tumor unius, — alterius, huic vicini, aut superincumbentis, tumorem ac retentionis illinc residentis symtomata facile mentiatur.

Ret. pancreatica.

Sic, ubi *parotis* morbos suos, plerosque acutos, adperte satis adnunciat: hos, frequentius chronicos, salivalis soror glandula, *pancreas*, aut prorsus reticet, aut aequivoco nimis sermone eloquitur, et, ut insignis anatomici pathologici verbis utamur, „cur tumores *pancreatis*, nisi forte et ipsi maximi sunt, et aegri valde macilenti, difficillime tactu percipi queant, retrusa visceris sedes facit, et quidquid manui se interponit, praesertim vero turgens flatibus ventriculus, aut jecur ampla et dilatata magnitudine." Nec major sane certitudo est symptomatum, quae pancreas, — sectionum testimonio, aut omne, aut ex parte, nunc vix non consumtum, nunc inflammatum, rarius abscessu, vel calculis obsessum nunc mole tantum auctum ac firmius, nunc autem vere scirrhosum, cancrosum adeo,

nunc steatomate adfectum, — dolorum, id est, rodentium in epigastrio, a cibis assumptis auctorum, anxietatis, nauseae, dyspepsiae vomitûsque, praesertim colore nicotianam tabacum referentis, — obtulisse, relatum fuit: cum dicta symptomata saepe quidem, quod et nos observavimus, ex vitio *pancreatis*, — sed haud raro etiam hoc organo *insonte*, vicinorum modo viscerum culpâ, venisse sint visa.

Sic virgo *vindobonensis*, diros in sinistro hypochondrio dolores per annum cum dimidio sustulit, eosque pro rheumaticis, absque artis adhibito subsidio, habuit. Febris lenta tandem ac tumor conspicuus *lienis* in regione, cum gesticulatione brachii sinistri, ac respiratione, donec aegra obdormisceret, semper singultuosa, nec non aphonia frequente, accessit. In *liene* hujus sedem esse, et aliis a medicis, et a nobis fuit creditum: donec plures post menses, *pus multum*, cum urinis intime mistum, secedens, *renem* sinistrum suppuratum, lienem vero ab isto, donec ille, pure liberatus, concideret, anteriora versus coactum, non tamen ipsum morbosum fuisse, tandem docuisset.

Tanta interim *obstructionum* in abdo-

mine distinguendarum difficultas, ab animo attento in fabricam habitumque corporis, aetati, sexui cuivis proprium, in vitae genus morbosque praegressos, in ipsam faciei conditionem, in functiones laesas, et in ea demum, quae in oratione academica, *Ticini;* „*de signis morborum ex corporis situ partiumque* positione," recitata quondam, non viros quidem in arte expertos, sed tirones medicos docuimus, atque hìc partim repetimus, plerumque superabitur.

„Vix, nisi in situm, qui cuique visceri explorando conducat, aegros collocemus, diagnosis sat firma obtinebitur. Qui in suspecti *jecinoris,* aut et *lienis* naturam inquisiturus est medicus: ille non in dorsum semper procumbentem hominem, sed alio longe in situ positum examinandum habebit. Nunc scilicet conveniet, in pedes erectum et in sinistrum, — aut cum *lien* examinandus fuerit, in dextrum latus inflexum aegrum contrectare: quo nempe in situ, inferior istorum viscerum limbus a costis spuriis magis liberatur, et exploranti digito reddi-tur vicinior; nunc in genua cubitusve decumbere aegrum jubebimus: quo fit, ut suo pondere jecur, sub hypochondrio dextro

nimis reconditum, aut *splen* ipsum, mesenterium, pancreas infarcta, anteriora versùs ferantur, laxatisque abdominis musculis, majorem inquisiturae manui superficiem exponant; — nunc, decumbente in dorsum aegro, positis, inflexo genu, in talos pedibus, ventrisque prius relaxatis sic integumentis, manus medici infra costas dextri aut sinistri hypochondrii spurias ponitur, atque his ipsis ad anteriora vi quadam elevatis, sepultum sub osseo hoc arcu *hepar* aut *lien*, ad umbilici regionem prodire cogitur. Non repleto prius a cibis vel a potu abdomine, sed homine jejuno, istius in viscera inquirendum; vel, si temporis id sibi exigat penuria, intestina prius contentis flatibus atque saburris, ope clysteris, ne, inflata nimis, defectus morbosque aliorum abscondant, deplenda sunt. In genere vero, quae sub hypochondriis latent viscera, ea, nonnisi sub majoris et protractae *inspirationis* tempore rectius tactu explorantur. Quod autem, sub tali examine, musculorum abdominalium aucta sic tensio rectius examinari impediverit, id mox sub *exspiratione* longiore opus suscipere, ac singula tandem inter se comparare juvabit. Frequenter, quas

decubitus aegrorum supinus, inquiri satis negaverit: eas erecta corporis in pedes positio, varia inflexio, quod suo pondere tunc viscera infarcta, nisi cum aliis, aut cum ipso peritonaeo jam arctius concreta, magis descendant, vel praedilecto a loco urgeantur, et tractionis, tensionis majoris aegro sensum inducant, patefacit injurias. Nec minus corporis aegrorum ex uno latere in alterum promtior conversio, si, hoc sub motu, vel in hoc, vel in aliud, sibi quidquam aut *delabi*, aut quasi *suspensum haerere* persentiant, certiorem ad diagnosin conferet."

„Quos vel *renum* inflammatio, dolor, tenent, vel dira *lumbago* excruciat: illi, primo quidem aspectu, multa inter se communia habent symptomata. Dolor enim lumborum acutissimus, in utroque malo, regionem, in qua renes latent, occupat, et hallucinantem saepe in diagnosi medicum, in omnia licet attentum, relinquit. Vomitus certe, qui in nephralgia, in nephritide, adesse utplurimum consuevit: a dolore summo et a fortiore musculorum lumbalium, aut a vertebralis periostii, aut ipsius in cavo vertebrarum medullae lumbalis inflammatione aut adfectione rheumatica, arthritica, eodem

prorsus nervorum consensu, hinc inde producitur. Jubete nunc aegri truncum ad anteriora et genua versùs inclinari! jubete mox, ut inflexus sic ille, celeriore quodam motu, in situm magis rectum reclinetur!.. dolor abhinc summus ad inflammatos vel impeditos a *lumbagine* musculos lumbales nascetur, qui vix notabilis erit in *nephritide, nephralgia*, nisi in magnum jam tumorem renes excreverint."

Ubi tumor ad hepar, latentis in eo suppurationis suspicionem induxerit; ne dilatatam more insolito *vesiculam felleam* pro abscessu habendo, cultro eandem, ausu lethali, submittamus, exemplo magni quondam *Galliae* chirurgi cavendum est. Ad lobi hepatis dextri limbum, in aegro ad nosocomium *Ticinense* quondam suscepto, abscessum haerere persuasi, eundem sine temporis jactura adperiendum esse censuimus. Etsi vero sat evidens in eo fluctuatio se manifestasset; non tamen illum satis ad hoc opus maturum esse praetendens chirurgus: cataplasma is tumori superimposuit, ac duos post dies operationi sese accinxit. Sectio tunc profunda super loco pridem fluctuante instituta, sed mors prompta eandem

secuta est. Adperto cadavere, constitit: lanceolam non quidem in abſcessum, *jamjam diruptum*, sed per intestini coeci amplioris membranas, — ita tamen, ne integra hujus canalis perforatio abhinc secuta esset, penetrasse.

Frequenter omnino ex eo, quod medici complures, non modo abdominis, sed pectoris quoque et bronchiorum crurumque in morbis, *columnae vertebralis* examen aut flocci faciant, aut prorsus negligant; istorum, quoad primam sui originem, prout in oratione academica, „*de vertebralis columnae in morbis dignitate*," quondam docuimus, amittitur cognitio. Quamvis vero *retentiones* longe minus, quam *spasmos* atque *paralyses*, e specûs vertebralis organicis vitiis prodire fateamur; est tamen, ubi hac ex origine, aut intestinorum, aut vesicae urinalis, ex retento lotio in cavum abdominis protensa, paresis, aut perfecta resolutio aliaque scaturiant (§. 769.); vel ubi *lordosis*, seu vertebrarum dorsalium, lumbalium ad anteriora morbosa recurvatio, tumorem ipsius cavi abdominalis mentiatur: ita, ut adeo „rerum anatomicarum incurius medicus, testante summo quondam *Italiae* de rebus

anatomico-pathologicis scriptore, pro *mesenterii scirrho* habuerit tumorem ad abdominis regionem tactu perceptum, licet nihil hic esset, quam ipsa columnae vertebralis curvatura haud morbosa, in extenuato homine vacuisque intestinis ad abdominis compressionem facile sentienda."

Quodsi nunc his, de abnormi retentione condensationeque materiae mucosae, lymphaticae ad ventrem, prolatis argumentis, et ea, quorum in secundo hujus operis libro (§§. 129. 220. 243. 249. 254. 261.), de *inflammationum* ad abdominis viscera reliquiis mentionem injecimus, superaddideris; sat completam eorum, quae hunc morborum ad ordinem spectant, imaginem, potissime tamen ulterius ad lectos aegrorum illustrandam, tibi formabis.

§. 857. Retentionum *peritonaealium* causae non paucae nos latent; plures interim ex illis, quae ad *peritonitidem* adperte conducunt, ac morbosas concretiones, pseudomembranas, suppurationes aliaque retentionum mucoso-lymphaticarum genera facile post se relinquunt, jam alibi (§. 219.), satis indicavimus. Coeterae *Epischesium omenti, mesenterii, pancreatis, lienis* atque

Ret. descript. causae, progn. et cura.

jecinoris scaturigines, ab illis, quas aliis hujus indolis retentionibus subesse monuimus, vix differunt. Sic retentionum, de quibus hìc agitur, et *prognosis*, cum illa, quam §§. 220. 249. 261. instituimus, convenit. Ad *medendi rationem* quod spectat, ea, tum ex illis, quae circa curam morborum, ex quibus praedictae retentiones, ut effectus, originem ducunt, alibi a nobis proposita fuerunt, tum ex therapeuticis, quae §§. 221. 250. tetigimus, repetenda erit principiis.

Ret. imi Ventris. §. 838. Ab eo, quod recentiorum aevorum anatomici, *pelvis* nomine metaphorico et antiquis scriptoribus prorsus insolito sint usi, nequaquam impedimur, quin (salvo interim *peritonaei* jure) viscera in contignatione ventris inferiore, quam ossa innominata et sacrum circumvallant, suspensa, defixa, *abdominalium* potius, quam usurpatorio titulo insigniamus et pro abdominis incolis indigenis habeamus. Eundem igitur morborum ad *ordinem*, et ad *genus* idem, quibus viscerum aliorum, ventre detentorum, illos subjugavimus, retentiones quoque *ureterum*, *vesicae urinalis*, *prostatae* glandulae, *genitalium virilium*, *mulie-*

brium, ac demum *recti intestini*, mucoso-lymphaticas revocari, atque hìc loci breviter describi, opportunum esse credidimus.

§. 839. Ut vero indicatam hìc rerum seriem sequamur; ab *ureterum*, quorum adfectiones morbosas partim jam alibi tetigimus (§§. 263-268. 768. 773.), retentione muco-lymphatica ordimur. Ureterum

Hi scilicet canales uriniferi, fontium, unde scaturiunt, exemplo, nec positione, exortu, numero, nec longitudine, diametro, directione, nec tandem sua in vesicam urinalem insertione in omnibus sibi conformes, — subinde adeo, quod et nostrae observationi binis in casibus se obtulit, a lotii receptaculo, — vel, ubi hoc ipsum defuerit, a sede ejusdem normali adhuc longius aberrantes atque nunc in vaginam, nunc vero sub umbilico, nunc circa pubem monstrose adperti, sub obliquo ac longiore itinere, haud raro transvehendo a lixivio vel acriore, vel puris renalis, concretionum lymphaticarum, calculosarum materia impraegnato stimulati, exesi, inflammantur, aliquando suppurantur, aut a phlogosi lenta cum partibus vicinis concrescunt, redduntur crassiores, indurantur ac obturantur in

totum (§§. 768. 773.). Sic *Cremae*, in *Italia*, quondam pro sacra virgine nobilissima, cui ren sinister ex calculis inflammatus ac tandem ad suppurationem, sub febre lenta, perductus fuerat, in consilium vocati, quo loco ureter sinister descendit, tumorem dolentem, fluctuantem deteximus: quo tandem abscessu vel sponte adperto, lotium cum calculo ex uretere ad latus abdominis sinistrum dirupto, effluxit. Priusquam vero ex ureteris obturatione talia contingant, eundem canalem supra locum alluentis urinae vel et puris copiam suo in transitu coërcente, sensim sensimque, quod hic consulte repetimus, in longum et latum *dilatari* oportet. Quo profundior ac vesicae urinali vicinior ureteris obturatio est: eo quoque longior aut extensa magis ejusdem dilatatio esse consuevit; nec rara, sed et ab aliis, et a nobis ipsis frequenter conspecta, ureterum, sic ad intestini, etiam crassi, amplitudinem expansorum, exempla sunt. Prodigiosam ureteris, integram pintam urinae continentis, dilatationem summus quondam *Bataviae* anatomicus observavit. Dextri ureteris, per omnem sui longitudinem ita expansi historiam legimus: ut circa vesicam

tandem *diruptus* hic canalis, sanguinis, cum lotio remisti, tres pintas, sub lateris dextri peritonaeo effuderit. Prostatae scilicet lobulus medius in vesicam hujus aegri protensus, in fungi haematodes speciem conversus erat. Vel ipsa *pelvis renalis*, sicut a calculis, suam ob molem, in ea diutius coërcitis, ita et ab urinae, aut puris in uretere retentione, oblongum tandem atque superius peramplum in saccum expanditur. Tunicam ureterum internam aliquando, valvulae semilunaris in modum, urinae per illos descensui obicem posuisse, observationes docuerunt. Nec ubique tam ipsorum culpâ ureterum, quam tumoris eisdem vicini, ad mesenterium mesocolon, intestina, ovaria, musculum psoas, ipsumque urinalis vesicae ad collum haerentis effectu, tam lotii, quam puris renalis, concretionum morbosarum per illos canales iter intercipitur.

Etsi vero pathologicae sectiones cadaverum abunde haec nos docuerint; signorum tamen, quae hoc vitii genus ab aliis distinguant, doctrina non parum sane claudicat. Quodsi *calculorum* renalium existentia, per hos, cum lotio excretos, haud amplius nos lateat: eorundem per ureterem descensum

symptomata (futuro *de retentionibus heterogeniis* libro exponenda) sat clare nobis produnt; alia vero rerum conditio toties subintrat, ac, absque oblata morbi renalis suspicione, ureter aegri non uterque, sed *modo unus* laborat, et culpâ vel propria, vel aliena impervius, uretere socio, adhuc sano, supplente, retentionis qualiscunque, satis animadvertendae, modo propter profundum, quo loco abdominis ureter vesicam versùs descendit, tumorem, dolorem fixum, ardentem, vel ob febrim, ob nauseas ipsumque ob vomitum, accusari non potest. Rara quidem, non vero inaudita, ureteris utriusque impervii, — vesicae autem, hanc ob rationem, lethali cum effectu (aliquando adeo lotii ipsius cum vomitu) urinis per dies orbatae, exempla sunt. A calculis quidem renalibus, cum, vel sine aliis materiis, *ambos* in ureteres simul delapsis, detrusis, ac praecipue quo loco ureteres, vesicae inter membranas angustiores, obliquam sibi viam adperiunt, retentis, interdum haec veniunt; aliquando interim et ipsa vesica urinalis, utpote justo durior, scirrhosa, inflammata, contracta, vel a calculo praegrandi oppleta, vel a partibus vicinis compressa, urinae

uretericae in se ipsam effluxui resistit. Urinae in cavo vesicae sub defectu, nullum quidem *ex illa* mingendi stimulum aeger persentit; nec tamen ideo continui ad excernendum lotium nisûs et ardoris, etsi nullum catheter introductus urinam detegeret, exempla habentur: ut quibus in casibus, vel colli vesicalis inflammatio subfuit; vel calculi, nunc in ipsa vesica haerentes, nunc in uretere, prope hoc viscus, latentes, et aliquando, sui ponderis ratione, cum ipso uretere, cavo pelvis adacti, sub sectione cadaveris detecti fuerunt.

§. 840. Quodsi, absque praevia calculi renalis suspicione, sub decursu morbi celeriore, vel uno, vel utroque abdominis in latere, quo tractu ureteres vesicam adire novimus, necnon in renum regione, tensio, dolor fixus, febris cum pulsu duro, contracto, frequente, nauseae ac vomituritionis cum sensu, cum urinae flammeae atque paucioris emissione, aut cum omnimoda lotii in cavo vesicae absentia, sub alvo tamen libera, et sub nullis adfecti alterius in abdomine visceris signis, oriantur; non facile injusta inflammati ureteris, vel unius, vel utriusque, idea nobis suggeretur: quae Medendi ratio.

venae sectiones, hirudines, fomenta emollientia circa locum adfectum, clysteres ex sero lactis, indicabit.

Obscurior longe ac magis ardua res erit, ubi lentior et clandestinus omnino morbi progressus fuerit, ac ubi nulla, sub istius principio, latentis incendii vestigia sese manifestaverint: quo scilicet in casu, proditorio nimis modo, quam ut mature satis distingui potuisset, ureteris vitium, quod vocant organicum, certe haud unquam debellandum, subrepsit.

Etsi vero plena periculi aegrorum positio dicenda sit, quorum e renibus aut calculus, aut polypus, momentaneo licet dolorum ad illos sub moderamine, in pelvim renalem delapsi, angustiorem nunc viam per ureterem lecturi sunt; sub discreto tamen concretionum illarum volumine, ac sub calculi figura minus angulosa et aspera, spes transitûs, quamvis frequenter interrumpendi, lenti, et maxime dum obliquum ureteris, vesicae inter membranas, iter absolvendum erit, summe dolentis, sub methodo medendi, alibi a nobis exponenda, non exigua saepe conceditur. Major vero et cui capiendo pelvis ipsa renalis vix satis capax est, cal-

ulus, vel in ista hic figetur immobilis; vel
bi hanc, sub insigni aegrorum cruciatu,
uperaverit; majores longe aerumnas, ple-
umque tandem lethales, inferet.

§. 841. *Vesicae urinalis* morbos varios R. vesicae urinalis.
am alibi descripsimus (§§. 263-268. 484-
-90. 766. 769. 771. 772. 774.), atque
inc modo pauca de retentionibus muco-
o-lymphaticis hujus visceris dicenda nobis
upersunt.

Ac primò quidem, ipsi vesicae parietes,
el per praegressas irritationes diuturnas,
nflammationes tam acutas, quam chronicas,
ariis a causis inductas (§. 266.), vel solius
deo *senectutis* provectae ratione, frequen-
er hinc illinc, vel omni ex parte *spisses-
unt* (§§. 267. 769.), et a lymphae, mor-
ose secretae, retentione, coagulo, — quin
gitur, *propria* e culpa, in *scirrhos* facile
nclinent, — non modo indurantur, osses-
unt; sed et varios in modos, interiora ver-
ûs, a se invicem recedunt, distenduntur
n longas adpendices, atque vel *excres-
entias spongiosas, polyposas, fungum
aematoden*, producunt: quae aut vesicae
enaciter adhaerent; aut, ab ea separatae,
er frusta secedunt. Nec fere alia ratione

tam internae vesicalis membranae, vel, quod nobis verisimilius videtur, *pseudomembranae*, internae vesicae tunicae primum laxe supertensae, postea vero ex parte separatae ac pendulae, *prolapsus* (quem et ipsum hoc viscus *inversum* subinde patitur, §. 769.) quam *colli vesicalis* per pseudomembranam observata quondam *occlusio*, contingere videntur; unde varia et jam alibi a nobis exposita tam *incontinentiae*, quam *retentionis urinae* phoenomena (§. 484-494.) originem trahunt.

Quemadmodum autem, secundò, *hydropis* saccati, atque ipsarum *hydatidum*, hoc urinarum in receptaculo haerentium, exempla prostant: ita quoque saccos morbosos, loco aquae, humore mucoso-lymphatico repletos, hoc in cavo exspectare licebit; atque sub ipsa vesicae suppuratione, humorem purulentum diversis hujus organi in loculamentis haesisse, observatio docuit. Qui vesicam, a paralysi correptam, a retento lotio ita distentam vidimus pluries: ut longe super epigastricam regionem extensa fuerit; *dirupti* tamen hujus visceris exemplum nos ipsi non habuimus; habuerunt alii; sed modo pauci. Vesicae *suppuratae*

xesae, atque vel in rectum intestinum, el in vaginam adpertae casus nobis circiter cties oblatus fuit. Quam vero ex ore amici summi apud *Ticinenses* in rebus tam natomicis, quam chirurgicis professoris abuimus, ea, digna est, quae hoc loco onservetur historia. Ille *mediolanensem* ad egrum, diuturna retentione urinae adfecum, accersitus fuit; cui viro, quoties catheterem chirurgi vesicae ejusdem immiseınt, penis erectione mox insecuta, toties lle iterum expulsus fuit. Digito, in anum egri immisso, observavit vir egregius *vesicae fundum*, versùs intestinum rectum *reoflexum*; orificium autem illius ad pubem onversum haerebat. Compresso nunc penaeo, absque labore catheter vesicae imitti ibique retineri potuit; ita ut aeger, m penitus emaciatus, pinguedinem amissam iterum adquireret.

§. 842. Qua ratione *diagnosis* morborum vesicae vix expositorum obscura et incerta est: eâdem *Therapiae* quoque prinpia obducuntur caligine ac titubant. Articialis quidem chirurgorum digiti, sive caeteris, usus, asperitatis, levitatis, amitudinis, vel constrictionis ad vesicae ca- **Diagnosis obscuritas. Therapia.**

vum, sicut et concretionum in eodem sepultarum rationem sufficientem saepe reddit; sed frequenter nimis insensibilitas digiti illius metallici, expertae licet manûs, tactum eludit; a locis vesicae adfectis, — a bursis seu crumenis hujus visceris morbosis, quales et nos, primo *Interpretationum clinicarum* nostrarum in libro descripsimus, — vel a saccis vesicae inconstantibus, per spasmodicam ac inaequalem modo fibrarum ejusdem contractionem productis, — vel adeo a normali parietis vesicae posterioris ac infimi, prope rectum intestinum, descensu aberrat, — longe vero minus vitia hujus organi localia distinguit.

Tantis quidem sub dubiis, ad externam hypogastricae regionis supra pubem explorationem confugimus, atque haud raro vesicam, quamvis ab urinis minime expansam pelvis e cavo prominentem, mole auctam digitorum impressioni, sub sensu aegri plerumque nullo, interdum ingrato, resistentem, duram et quasi callosam, aut vero tuberosam reperimus. Vel sanas quondam sed partus frequentes expertas apud mulieres, post mortem, saepe latior, ac latere utroque in duo quasi diverticula expans

esica urinalis invenitur. Nostrum, cum in *Italia* degeremus, consilium circa morbum, quo foemina juvenis atque formosa laborabat, *Genuae* desideratum fuit. Haec viri nobilissimi, sed optato haerede destituti, dilecta conjux, ex praegresso in pelvi incendio, tumorem durum, minime dolentem, super pube late extensum, nobis obtulit: quae callosa omnino durities, prout ingula morbi, tam sublati, quam praesentis, symptomata debitumque partium aliarum examen docebant, omnem anteriorem esicae parietem pro sede agnovit. Cum vero partis jam callosae resolutionem haud mplius sperari posse nimis pateret; familiae illustris atque anxiae quaestio medicis proposita fuit, scilicet: „num sub tam tristi aegrae positione, haec ipsa, sine majore vitae propriae periculo, conceptioni se xponere auderet?"— Cum autem, exten- magis magisque utero, vesica, tam anteriore, quam posteriore sui parte compres- , urinam suscipere nequiret atque, hac mni in saccos ejus laterales compulsa, violentiam, illi facile funestam, praevideri jubberet; responsum medici propositae quaestioni unanimes *negativum* dederunt. Atqui

haec ipsa, brevis licet, historia, nodo, in consultatione medica a. 1793 tum celeberrimo academiae *Patavinae* professori, tum nobis ipsis oblato, feliciter solvendo, par esse videtur. Nobilis nempe *mediolanensis*, 55 circiter annorum, aspectu robustus ac sanus, nisi quod, penis erectione privatus, a decem jam annis, paralysis specie ad vesicam, et simul ad intestinum rectum laboraverit; a quacunque lotii, illo in receptaculo collecti copia, nec hypogastricae regionis elevationem pyriformen aut aliam, nec ullum in ea, repletionis morbosae incommodum persentire solebat. Quousque interim hic morbus duraverat, tum catheteris, tum injectionum in vesicam, frequentior usus fuit. Quodsi autem *parietis vesicae anterioris* (ut in *Genuensi* illa matrona) vel a praegressa phlogosi, vel a causis aliis, nata *callositas*, hoc viscus, ne pubem versùs dilatari potuerit, impedivisset; omnem certe illius, nimis ab urinis repleti, extensionem in rectum intestinum agere, atque comprimendo, istius paralysin, nisi producere saltem augere, oportuisset.

Cum tamen saepius nec dicta mali, tam profunde latitantis, exploratio, ad indagan

llam ejusdem naturam sufficeret; instituta apud viros per intestinum rectum, — apud sexum sequiorem, per vaginam inquisitio, clariorem utique diagnosin hinc inde exhibuit. Fateri interim oportet: vitiorum vesicae, sicut aliorum bene multa, ita et eorum, de quibus hìc sermo est, non pauca, judicium, vel catheteris, vel digiti chirurgici depositionibus innixum, vix non omne respuere.

Quam parum igitur auxilii, provecti jam multum vesicae morbi, praesentem retentionum ad ordinem spectantes, admittant, vel sponte elucet. Spes interim sortis medicae scientiae quondam faustioris, non omnis deponenda, et, quam nobis anatomia pathologica lucem, non tam copiosis retro ab aevis, accendit: ea, collatis undique observationum practicarum radiis, indefessim atque solerter augenda est. Maxime vero in *exorientis* ad vias urinales, vel earundem ad vicinias, morbi curam, jam alibi expositam (§§. 262. 268.), oculus, ne profundas ille nimis radices figat, mature satis convertendus est. Praeter indicata, citatis vix in paragraphis, artis subsidia, morbi impetu primarii satis jam devicto, retentioni ad ve-

sicam muco-lymphaticae, tum calomel, refractis in dosibus, tum repetita caloris moderati *semicupia*, notabili cum fructu opponuntur (§. 774.). De *arthritide* ad verenda aberrante, atque de *rheumatismo*, vesicam urinalem aut medullam lumbalem, nervorum, qui hanc adeunt, matrem, prae aliis infestante, ejusque secretiones mucoso-lymphaticas, in propriam hujus receptaculi perniciem, pervertente, non pauca, tum aliorum practicorum, tum nostris in ſastis, occurrunt, nosque, ne hanc quoque morborum causam, satis frequentem, praetervideamus, ac methodum medendi huic ipsi magis congruam postponamus, advertunt. De cruoris, tum in cavo, tum in vasis internis vesicae coacervatione, atque de *rerum aliarum* morbosis hoc in organo *retentionibus*, quo loco haec spectant, disseremus.

Ret. gland. prostatae.

§. 843. Post ea, quae de *glandulae prostatae* inflammatione, suppuratione ac morbosa duritie quondam protulimus (§§. 534. 770.), ac post illa, quae *Interpretationum clinicarum P. I.* his superaddidimus, non multa, quae magis ad chirurgiam non spectent, de hujus glandulae retentionibus mucoso-lymphaticis a nobis dicenda supersunt.

Quamvis prostatam tribus glandulosis a lobulis conflari, ac medium ex istis, scilicet minorem posterioremque, loco vasis deferentibus ipsique vesicae intermedio positum, subinde dolere, tumere, neminem hodiedum latuerit: non ita pridem tamen scriptoris *angli* industriâ, *medii* hujus lobuli sub statu sanitatis conformatio, pro dignitate, quam habet, majore, clarius descripta, et hujus structurae in ejusdem particulae atque ipsius vesicae in morbos auctoritas accuratius exposita fuit. Haec igitur pars media et posterior prostatae, nisi *medorrhoeae* perverse tractatae, aut vero *stricturarum* in urethra effectu, ante *senilem* aetatem vix unquam morbose adficitur; tunc autem, octogesimum usque vitae ad annum, viri modo pauci medium glandulae hunc lobulum illibatum nec mole nimis auctum aut duriorem conservant. Quodsi juniore in aetate, ex specifico contagio, nec non ex medorrhoea, hujus effectu insecuta, injectionum vero adstringentium, equitationis hoc sub morbi stadio impetuosae, novi atque violenti concubitûs, sub eodem suscepti, aut venti frigidioris, genitalibus admissi actione suppressa, membrana muco-

sa, quae urethram et collum vesicae investit atque defendit, effluvio morboso cohibito, inflammetur, tumeat, ac nixus ad urinae excretionem laboriosam majores ac vix non continuos excitet: tunc et prostatae, pars una vel altera, potissime sinistra, *symptomatice* adficitur, tumet, atque lotii mittendi difficultatem supra modum auget et exasperat. Solis forsitan *lateralibus prostatae lobulis* a tumore prehensis, dysuriae gradus, quam si *pars media* hujus glandulae, ad vesicae collum usque extensae, turgeat, minor esse consuevit. Accedit et istud, quod, si pars prostatae lateralis una prae altera tumeat: *obliquam* haec *urethrae positionem* ac directionem inducat. Maxima vero et perfectae urinae suppressioni juncta violentia erit, *totius* ubi *prostatae* tumor conspicuus, omni a latere urethram, jam a phlogosi angustiorem, comprimat et claudat. Ast vero et glandulae illius *lobulus medius* atque posterior, vel *solus*, ubi plurimùm et ad collum vesicae usque, durus ac tumidus, non modo ostium istius infarcit, sed altius et profundius progrediens, ut nos quoque mediante exemplo rariore in *clinicis Interpretationibus* docuimus, vesi-

cae membranam internam proprium in cavum, magno tumoris volumine, urget, atque hac e membrana *valvulae speciem*, vel ipsi catheteris in vesicam introductioni adversam, constituit. Lobum prostatae lateralem *sinistrum*, ex incognita hucusque ratione, saepius prae dextro tumere atque adeo subinde cum ipso lobo hujus glandulae medio, vesicae in cavum penetrare, experientia docuit. Ipsa tunc vesicae interna facies, hoc loco aliquando, sub acerbis ab ultimis urinae paucae guttulis emissis, doloribus, quasi erosa detecta fuit. Haud raro, dum urethrae strictura mature satis ab arte devicta fuit: tumor quoque, ad prostatam ejusque ad partes laterales ab illa inductus, simul disparuit. Est, ubi urethrae strictura tumorem prostatae ipsa induxerit; — est vero quoque, ubi haec glandulae istius adfectio, imminutae diametro urethrae ansam porrexerit; magnique in artis exercitio ponderis, quo haec ordine quondam incesserint, quamvis ardua saepe, distinctio est. Vel ex prostatae tumore, vel ex urethrae strictura, vel ex utrisque simul oriatur urinae mittendae difficultas, retentio: ipsam adeo *lotii secretionem* haec obstacula tandem immi-

nuisse, in pluribus sunt visa: quod nempe (magni in omne systema, ac forsitan ipsius in calculi urinalis, apud praedispositos, generationem influxûs) phoenomenon, ex collecti ac stagnantis, partim in vesica, partim in ureteribus, partim autem renum in pelvibus, lotii copiâ, per compressionem ulteriori hujus lixivii secretioni adversa, derivandum esse, nos quoque censemus. Sed et aliud mali genus, praeter hoc vitium, et praeter vesicae extensionem, ad paralysin usque, nimiam, ex urinae, quamcunque denique ob causam, excerni impeditae, saepe acrioris, *stimulum* continuum in membranam mucosam atque in fibras hujus receptaculi musculares, subnascitur, ex inducta tandem ab isto parietum vesicae *spissitudine* ac *rigiditate*, contractioni spontaneae hujus organi contraria. Sub quovis prostatae tumore atque incendio, quantitas muci, puriformi materiae commisti, tenacis, in filos ductilis, et copiâ urinae emissae fere aequalis, secernitur. Major interim inflammatio, ad ipsam tandem internam vesicae superficiem ac parietes istius, aut in veram cystiditem (§. 264.) transitura, et huic secretioni morbose finem, non pa-

rum tristiorem, imponit. Ubi nulla in urethra constrictio praecessit; tumor prostatae, ex causa quacunque exortus, primo in morbi stadio, tantae quidem molis symptomata necdum praesentat; sed modo in urinae excretione, potissime sub corporis hac, vel illa positione, difficultatem progenerat; haec interim mittendae urinae tarditas ac dimidia quasi impotentia, morbo quidquam senescente, augetur ac tandem in perfectam, ejusdem suppressionem degenerat. Hanc nixus frequentes semperque fortiores et parturientium illos vix non aemulantes, in obstaculi sedem directi, sequuntur; atque tum in ista, tum in reliquo urethrae canali, sanguis congeritur, ardor, perinaei sub attactu dolores, excitantur, secretiones morbosae succedunt, atque his, tam in ipsius urethrae parietibus, quam extra eosdem, inductis, strictura formatur (§. 770.), atque phlogosis, ad ipsum vesicae collum saepe propaganda, promovetur. Hunc rerum statum tam cereolus, catheter, in urethram missus, quam digitus ano introductus, confirmant (§. 770.); nec ratio est, cur ex Recentioribus quidam hoc ultimum, per intestinum rectum, examen, ut superfluum,

rejecerint, solumque in cereolum, cui tamen saepe, doloris tumorisque in urethra ratione, accessus vix non omnis denegatur, finduciam posuerint. Quousque prostatae inflammatio, donec ejusdem *suppuratio* sequatur, continuatura sit? difficulter praedicitur ac, aliarum glandularum exemplo, haec ipsa, praeparando in pure, quamvis hic exitus a dispositionis corporeae ac febris rationibus dependeat, saepe lentius procedit. Prout vero jam indicavimus (§. 770.), pus factum, varias sibi vias eligendo, nunc in *rectum intestinum*, nunc in *urethram*, nunc vero in *telam cellulosam*, sibi vicinam, depletur, novas, hoc ultimo in casu, inflammationes accendit, ac ominosas miseris fistulas praeparat. Haud raro *ulcera* ad prostatam relicta, *excrescentiis squammosis*, sanguinem facile fusuris, occasionem largiuntur. *Duritiem* aliquando tumor prostatae, nisi prius urinae ac alvi ipsius, per compressione intestini recti mechanicam, lethalis, insignem contraxit, et medius, aut et lateralis, qui ad vesicae cavum usque ascendit, lobulus, saepe praetumidus, quasi erosus atque squammosus comparuit. *Perinaei* inflammationem, ac seroso-lymphaticas super eo

collectiones, hoc a morbo inductas, culter anatomicus reperivit.

Ordinis quidem electi gratia, morbos prostatae jam antehac descriptos, hic iterum, alio nempe sub aspectu, depinximus; sed ratio non est, cur ideo medendi methodum, sub iisdem indicatam, et §. 774., pro sua paupertate, jam satis expositam, repetamus. Eodem nunc modo cum *morbis genitalium*, sexûs tam virilis, quam muliebris, pro parte nempe, quam hi sibi retentionum mucoso-lymphaticarum sub ordine assumunt, procedemus, eosque breviter et, ne crambem recoctam offeramus, hoc solo respectu describemus.

§. 844. Parentum e lumbis fons vitae filiorum, — sed eâdem e scaturigine (vel pleno nimis alveo redundet, vel ripas, quibus cingitur, ipsemet pessumdet) mortis quoque ex illis propriae unda fluit. De *gonorrhoea* quondam loquentes (§§. 547-552.), fatales jacturae seminis vel nimii, vel immaturi, vel serotini effectus jam satis exposuimus; ac de causa morborum, huic ipsi e diametro opposita, nostroque saeculo, nisi longe lateque regentis adhuc auctoritas nominis nobis imponat, rarissima, alio *poli-* Ret. genitalium viril.

tiae nempe *medicae*, in opere, non absque multorum huic glebae adscriptorum scandalo, quod hac in Epitome renovare evitabimus, non minus jam egimus. Superest igitur, ut coeteras in viis apud *sexum virilem* seminalibus retentiones mucoso-lymphaticas, breviore saltem, prout res postulat, subjiciamus examini.

R. Contex-is cellul. asor. sper-ıat.

Ac primò quidem *vasa spermatica*, tam arteriosa, quam venosa, quae, sociis cum nervis atque vasculis lymphaticis, abdominales per anulos vel descendunt, vel ascendunt, ac peritonaei a fibris cellulosis amice partimque pampiniformes in amplexus nectuntur: quamvis ea, sub statu sanitatis, superatis modo abdominis confiniis vasisque deſerentibus nupta, *spermatici* titulo *funiculi* superbiant; sub adversa tamen valetudine, haud raro auctoritatem formamque morbosam eandem, haud paucis certe aegris funestam, usurpant (§. 539.). Sic nempe, exorto testis sarcomate ac funiculi spermatici eidem contigui sub tumore ac duritie, quamvis morbosa haec externorum genitalium constitutio abdominalem ad anulum necdum pertigerit: ubi dolores diuturni ac vehementes, ad lumbos et ad hypogastrium

Superanularis.

orsitan praecesserint; suspicionem hi ipsi, ie quoque *supra* hoc anulo similis, mor-posus nempe, *funiculus* latescat, non an-ustam, sed aegri quondam illustris, *ti-cinensis*, nec non aliorum ab exemplis con-irmatam, nobis movebunt. Primus ex istis, ir illustris, quadraginta sex annorum cir-citer, optime nutritus, atque sat leviter vel media sub hieme vestiri, — mox autem uscepto a frigore, foco ardenti, per ho-ras, lumbis exponi solitus, de dolore tan-lem istorum valido conqueri coepit. Hac umbaginis rheumaticae sub forma, aeger, quin ejusdem functiones principales multum abhinc laesae viderentur, et quin febris ac-cessisset, aliquot per hebdomadas lecto de-entus ac ruditer vexatus fuit. Etsi vero ab-lomen, multa hucusque pinguedine tur-gens, morbosi nihil tactui offerret; dolores amen haud raro a lumbis ad pelvim usque, inistra in parte, vehementer saepe urgen-es, descendebant. „Num tumor, aut vero luxus vasorum haemorrhoidalium, — num urinarum sedimenta suspecta, aut num morbi quicunque alii praecesserint?"... um a nobis, tum ab eximio in *ticinensi* cademia chirurgiae practicae professore,

interrogatus aeger: talia sibi unquam in vita contigisse, constanter negavit. Interea morbus, quoad veram sui originem, nisi, argumento probabili, rheumaticam, medicis hucusque ignotus, continuò adauctus atque tam atrox, ut somnum atque nutritionem corporis, prae dolorum vehementia, omnem arceret, febrimque sibi lentam adsociaret, redditus fuit. Atqui tunc modo tumor conspicuus, oblongus, sinistra in parte abdominis, a lumbis oblique pelvim versùs extensus, tactui se obtulit. Enemate quoque, praeter multa, quae hìc indicari in genere sunt visa, praescripto et, jussu medicorum, non ultra, quod aegro praeplacuerat, cubiculari a famulo, sed a chirurgo, injecto: oculis istius insignis mox *sinistri testiculi tumor*, quem, pudicus nimis aeger, medicis hucusque anxie celaverat, atque tunc adeo his ipsis ulterius celari jussit, se obtulit. Sui interim officii non ignarus hicce chirurgus, ea, quae stupefactus detexerat, candide medicis exposuit, simul aegri, ne demum propriam in perniciem ulteriore sua cum reticentia conferret, conscientiam movit. Instituto tunc tumoris ad testem aegri sinistrum examine, *sarco-*

ꝛle hunc insigni prorsus laborare, *nec tamen eodem a vitio funiculum quoque spermaticum, abdominalem usque ad anulum, correptum esse*, constitit. Num vero, sub tam tristi rerum positione, operatio tumoris morbosi chirurgica, cum fasciolae, funiculi, vel soli arteriae spermaticae, infra anulum, pollicis longitudine minime morbosae, adplicandae occasio nequaquam deesset, locum prudenter haberet? quaestio nunc mota quidem, — sed ex eo, quod tumor dolorque summus sinistri abdominis, ad pelvim usque extensus, spermaticorum vasorum, abdominali anulo superiorum, *carcinoma* latere, timorem haec operatio eo majorem nobis incusserit: quod celebris collega noster, cum sub positione *sex* aegrorum aliorum fere simili, testes abscidisset, illorum vero a morte, cito insecuta, alterum magni voluminis *funiculum*, a pelvis regione ad renem usque ascendisse observavisset, hosque scirrhosos vasorum spermaticorum tumores, in museo *ticinensi* pathologico conservandos nobis amice tradidisset; omni a manu chirurgica praestando auxilio renunciandum esse, utrimque conclusum fuit. Ac revera,

cadaver aegri, de quo hic egimus, post paucas septimanas, crudeli sub dolore peractas, adpertum, tumorem *librarum quindecim*, scirrhosum et jamjam carcinomaticum, vasorum spermaticorum ab originibus omnem eorum ad anulum abdominalem descensum insequentem, ambientem, ac vicinis cum partibus unam in massam concretum, nobis exhibuit. Plures, in fastis chirurgicis, observationes ejusdem indolis exstant; quae igitur observationes, priusquam de testis, evidenter morbosi, recisione cogitemus, summam nobis superiora anulo in vasa spermatica, forse et ipsa morbosa, attentionem commendant.

Infra anularis. Quas hucusque retentiones mucoso-lymphaticas telae cellulosae, vasa spermatica abdominali *super* anulo ambientis, vel ex irritatione conspicua, vel ex ipso incendio, saepe chronico, contingere monuimus: hae omnino frequentius eundem *infra* anulum, vel ad *funiculum* proprie sic dictum *spermaticum*, sub inflammatione subinde ad anulum vere strangulatum, vel ipsum ad *testiculum*, vel utrimque, prout §. 524. docuimus, sub nominibus partim absurdis, *varicocelis* sive *cirsocelis*, *sarcocelis*, *hy-*

drocelis, tam acuti, quam chronici, aut demum sub illis, *steatomatis*, *scirrhi*, *hydaditum*, non aquoso solùm, sed simul albuminoso liquore gravidarum, oriuntur, atque effectus et causas, tum alibi jam satis expositas (§. 533.), tum alio hujus operis sub capite commemorandas, agnoscunt.

R. vasor. deferent. et vesicul. seminal.

Quamvis autem, sectionum anatomico-pathologicarum testimonio, tum *vasa deferentia*, tum ipsae *seminales vesiculae*, a statu normali subinde aberraverint: ac prima quidem ex istis, nunc penitus occlusa, indurata, callosa, nunc exorbitantem, inaequalem ac tuberosam in molem dilatata (*spermatocele*), — vesiculae autem spermaticae, nunc prorsus deficientes, nunc ductibus in prostatam adpertis destitutae, nunc aequo minores, corrugatae, aut vero, ex testiculorum, vel prostatae, vel colli vesicae, vel intestini recti praegresso incendio simul inflammatae, vel suppuratae, vel justo duriores, vel, quod et nos binis in exemplis conspeximus, scirrhosae, vel strumosae, vel demum calculosis concretionibus repletae sint visae; ac licet multiplices istorum in opus generationis apud viros effectus esse oporteat; celare tamen nequimus: has in-

ternorum genitalium a statu normali aberrationes, in virorum cadaveribus detectas, sub vita illorum, saepe nulla, aut saltem aequivoca valde, sui signa edidisse ac, positis etiam his signis luce clarioribus; arti medicae, his vitiis mederi, concessum haud esse (§. 539.).

Eadem fere medicae scientiae subsidia *interna* inopia premit, ubicumque ad testiculos, epididymides, funiculum spermaticum, lymphae, sub inflammatione quondam praegressa morbose secretae a coagulo, universum harum partium parenchyma jam plurimum infarctum, distractum, concretum, condensatum, induratum, a forma sua organica jam nimis recesserit; vel ubi lancinantes jam dolores hos tumores hinc inde perfoderint; vel ubi venae spermaticae in praegrandes varices extensae, a proprio cruore, omni quasi in illum imperio spoliatae, laxe pependerint; vel ubi hydrops testis, aut simul funiculi vaginam vel maxime repleverit; vel ubi hydadites has partes clandestine obsederint; — his omnibus in casibus, medicina *interna* nihil, — *culter* interim *chirurgicus*, nisi tardius ac malo jam abdominalem super anulum progresso

in opem vocatus, partibus scilicet morbosis, quae totius absque damno conservari ulterius non possunt, ad artis divinae, ab aliis vobis tradendae, praecepta remotis, multum sane auxilii praestat.

Ret. in genitalib. sexus sequ.

§. 845. De variis *uteri*, ejus *ligamentorum*, *ovariorum*, ac *vaginae* morbis jam egimus (§§. 222-228. 529. 532. 543. 548. 744-747. 756. 763. 764.). Non pauca ex istis, praecipue quae de *metritide*, de *medorrhoea*, tam contagiosa, quam insonte, atque de *hydrometra* retulimus, suos quoad effectus, retentionum mucoso-lymphaticarum ad ordinem spectant, atque hinc levi modo calamo hic loci tangenda sunt; quae vero retentiones uteri *cruentas* respiciunt: ea sub ordine his magis proprio referenda nobis reservamus.

Si vasa *virorum* spermatica, vel antequam abdominales per anulos penetraverint, subinde a morbis infestari, tumere ac duritiem, aliquando scirrhosam, contrahere sunt visa (§. 844.): *sexûs sequioris*, ejusdem naturae vasa seminalia, longe scilicet breviora, prius, ac ovaria, tubas et uterum attigerint, morbis eisdem correpta nec ipsi nos conspeximus, nec in fastis aliorum ana-

tomico-pathologicis reperivimus. Sors vero iniquior partibus, quae his a vasis irrigantur, imposita est.

In ovariis. Ac primò quidem, *ovaria*, quamvis paucioribus istorum vasorum ramificationibus, quam tubae vicinae, instructa; innumeris tàmen in vita mulieris, maxime *coelibis*, aerumnis exposita sunt. De *serosis*, hos ad testes foemineos *retentionibus* locuti jam sumus (§§. 746. 749. 756. 764.); neque oblatam tunc nobis, de *mucoso-lymphaticis*, his iisdem in locis collectionibus, saltem quibusdam, disserendi, occasionem praeterire potuimus. Tumores *molis minoris* sed numero plures, gelatinosa, albuminosa, melliformi a materia formatos, frequentius, quam totius ovarii saccum indivisum, densiore hujus indolis humore gravidum, a nobis observatos fuisse, ibidem adnotavimus; ex quo, verum ovarii *hydropem* tardius plerumque ac modo diruptis loculamentorum istius, humore glutinoso repletorum, sepimentis membranaceis, succedere, ideo concludimus: quod, hoc demum-facto, crassiora ex glutine contento et ponderosiora principia subsideant, superficiem ovarii internam ac infimam obducant, vasorum

ejus resorbentium orificia, suo cum smegmate obstruant, atque *aquosi* magis collectionem liquidi, ampliore nunc et minus resistente sacco morboso, promoveant. Latice vero aquoso, vel gelatinoso turgeat ovarium! positionem hic tumor ejusdem quidquam major, variam, tum sibi ipsi eliget, tam viscera vicina subire coget: cujus iterum exempla jam adduximus. Uteri in longum ab ovario hydropico distracti, promissam in Epitomes loco vix citato historiam, per iconem illustratam, in secundo *Interpretationum clinicarum* volumine trademus. Rarum tunc scriptoris *Edinburghensis* de hydrope ovarii, per tubam, et ex hac, per uterum in vaginam, successu tamen minus felici, depleti specimen retulimus; nunc vero et alterum, ex observatione propria satis recente desumtum, huic adjungimus. Virgo nempe triginta fere annorum, aspectu florida atque robusta, hystericis tamen iisque periodicis, adfectibus, ac ovarii simul ab incendio chronico vexata, tumorem hujus organi notabilem, summa sensibilitate instructum, nec tamen sub attactu fluctuantem nobis obtulit. Admotae huic tumori hirudines, dolorem ejusdem pacarunt qui-

dem; sed post menses aliquot, non parum ille mole sua increverat, ponderis sui ratione profundius nunc in pelvis cavum demersus. Repletionis et compressionis abinde sensus in pelvi continuus, ac non pauca excretionum naturalium, has per vias absolvendarum, obstacula aegram terrebant; donec, praegressa diruptionis, media et profunda in pelvi, perceptione, copia humoris albuminosi conspicua e vagina prosilierit, ac tumor pristinus ex regione hypogastrica sinistra vix non omnis disparuerit. Quodsi nunc via, quam humor ille iniquus, ex ovario in vaginam descendens, legerit? indicanda foret; non facile nos illam, quae, vel sanam apud mulierem, ex ovario in tubam, ex ista, in uterum, atque istius a cavo, in vaginam hiat, — sed a corrosione morbosam, quae liquidum stagnans ex ovario inflammato, vaginam inter ac intestinum rectum profundius demerso, ad primum et anteriorem ex istis canalem, sibi concretum, perduxerit, accusandam venire crederemus. Alterum virginis, in *ticinensi* instituto clinico nobis oblatum rarissimi casus exemplum huc spectare videtur. Hujus nempe aegrae ovarium sinistrum, praetumidum;

in profundis fluctuabat, et fomenta, quorum ope exteriora versùs magis mollesceret, sibi exegit. Cum vero lanceolâ tandem uti chirurgica, constitum jam fuisset: ejusdem usum constanter recusans aegra, vicino ea nosodochio suscepta, morbi sui exitum, qualiscunque demum ille foret, in eo exspectari praeferebat. Plures autem post menses, sensim sensimque tumor ille fluctuans ovarii disparuit; sed qua tandem via materia in eo contenta defluxerit, — etsi per *vaginam* illa probabilior sit; ob aegrae morositatem atque custodis incuriam, minime rescivimus. Cum nulla *ovarii*, ab aquis licet vel maxime distenti, et abhinc, aut a praegrandi steatomatis mole, *dirupti* exempla vel aliena, vel propria nobis constent; ac modo conceptionis hoc in organo abnormis multumque provectae sub casu, *lacerationis* in eodem, ac foetûs, in ventris materni cavum per hoc vulnus delapsi historiae, eheu! non ita paucae, existant; de opinione quidem nostra, his duabus a virginibus ovaria, humore morboso repleta, hunc ipsum, per ulcus, in vaginam eructasse, dubitare liceret; interim, dum ipsa foetuum in utero putrefactorum ossa per

intestinum rectum tandem excreta fuisse, observatio multiplex docuerit; atque dum ovariorum, *pure* repletorum, per abdominis integumenta feliciter evacuatorum exempla loquantur; probabilitatis, nisi valdopere fallamur, huic suppositioni satis accedit, ut assertio, et *vaginae* et *intestini recti vias*, morbis ovariorum, quaecunque demum sorte has intrent, patere, spernendam hypothesin non oleat.

In utero, ligamentis et tubis ejusdem. Quae coeteras ovariorum retentiones mucoso-lymphaticas concernunt, ea sub *metritidis* ac sub *hydrometrae* expositione jam satis indicavimus; neque, jam nimium, *steatomatum uteri*, *tubarum* et *ovariorum*, ab aliis descriptorum, numerum, cum observationibus nobis propriis, absque utilitate augebimus. Sic etiam, quae de *ligamentorum* simul cum tubarum uteri adfectionibus dictae indolis quondam tradidimus (§§. 745. 747. 749. 750. 764.), ea vix aliam hic loci considerationem sibi expetunt. Quos non infrequentes esse referunt, et lactis ex mammis aberrantis (ut opinamur, hypothetice) attribuunt, telae cellulosae, ligamentorum latorum laminis interpositae, *infarctus* ac *abcessus*: hos nunquam con-

speximus. Rarissimam quoque ligamentorum eorundem *rupturam*, ac haemorrhagiam exinde lethalem, *Galliae* quibusdam a medicis descriptam, esse dicamus! Ligamenti uteri *rotundi* inflammationem, diarium *Galliae* medicum adnotat. In densiore quamvis ejusdem ligamenti textu celluloso *tumores aquosos*, quales virorum funiculi spermatici aliquando concipiunt, interdum natos esse, tam alii (§§. 745. 747.), quam ejusdem nationis medici egregii experti sunt. Viri docti *tyrolensis*, *Roveredani*, nostri quondam in *Italia* auditoris, observatio viginti sex abhinc annis instituta nobisque amice communicata, referri meretur. Sectioni cadaveris foeminae, quae, a continuis ad imam atque lateralem abdominis partem doloribus vexata, extenuata prorsus, obiverat, hic medicus interfuit. Ob tumorem in parte dolente duriorem, carcinoma latitare crediderant. Morbi mense septimo, haemorrhagia per uterum secuta est. Hac licet jam cessante, suis tamen misera aerumnis succubuit; post mortem vero, foetum septimestrem multumque cruoris in *ovario* obtulit. Quod vero mali istius, certe non tam rari, historia, locum tamen

hìc inveniat, in causa est *uterus* foeminae, haud gravidae, illo non voluminosior, sed prorsus normalis, atque sic observationi viri *angli* celebris contrarius, qui scilicet, cum, sub sectione *canis* foeminae, tubâ praegnantis, uterum, quamvis *vacuum*, eodem tamen modo, ac si foetum contineret, mole auctum vidisset; hoc viscus, non a mechanica embryonis, sed a potentia, utero gravido propria, extendi, concluserat. Nihil autem et his in rebus constantiae esse, ex observatione magni inter *Germanos* anatomici liquet: ut qui, cum in ovario virginis, hymene illaeso ac praeter modum angusto instructae, steatoma, pilos, ac dentem detexisset: uterum, eidem proprium, mole, normali adeo minorem, ac tunica *decidua* nequaquam vestitum, reperiit.

Aenigmatica uteri natura. Qualemcunque uteri cognitionem anatomicam aevo nostro concessam esse gloriemur; physiologica tamen mirabilis hujus organi, tuendae posterorum successioni imperiose praefixi, intelligentia non parum nos fugit, ac pathologorum, hoc ipso, ratiocinia saepe nimis subvertit atque confundit. Potissimas quidem insidias, quas *metritis* et quas *medorrhoea* internis foeminarum

genitalibus struunt, jam exposuimus (§.222-228. 529.); et quas *syphilis* his ipsis strages minetur, has quoque delineandas nobis reservamus; sed aliae, non paucae, et quidem pro magna parte incognitae, *morborum* sicut *aliorum*, ita et *retentionum*, de quibus hìc sermo est, causae in uteros agunt, et effectus in istis non minus obscuros producunt.

Ad primas *illorum* origines quod attinet, eas (quod, oblata occasione, hìc modo breviter adducimus), partim *congenitas*, partim *haereditarias*, partim vero *accidentales* esse, nobis saltem videtur. Qua scilicet ratione *cordis* ipsius *fibrae musculares*, jam in foetu interdum morbose *dehiscentes*, futuri, sub vita longiore, *aneurysmatis* hanc ipsam ad sedem rudimenta obtulisse, magno viro sunt visae; ac prout simili conformationis e vitio exortas *vesicae urinalis crumenas* morbosas nos ipsi descripsimus: ita non minus sat frequentem uteri, non quidem vacui, sed vel praegnantis, vel jam ipso partûs absolvendi sub opere positi, *rupturam* hoc a fonte, — aut, si *fibras musculares* utero deesse dicatis, ex textûs cellulosi resistentia, in una illius parte minore, quam in

alia, defluxisse arbitramur. Tam in ima vero parte uteri, quam ejus in corpore, ac demum ipso in fundo, hoc viscus diruptum detexerunt anatomici, ac fere major gravidarum, quae hoc mali genus, vix non omnibus lethale, in parte uteri *sinistra* passae sint, videtur esse numerus. Tenuitatis parietum uteri, sub partûs laboribus drupti, in una et quidem hac eâdem sui parte, longe majoris ac fere papyraceae, plura exempla habentur. Sic et alia uterorum maternorum vitia non pauca, *jure haereditatis* necdum intellecto, in illos filiarum transire, haemorrhagiarum, abortuum, scirrhorum atque carcinomatum, in una eademque progenie, quam aliis in familiis, longe frequentiorum, exempla nos docent. *Sensibilitatis* ad uterum *morbosae*, nunc repletioni ac *energiae* vel totius, vel uterini modo systematis, interdum ad furorem usque nimiae, — nunc roboris ac vitalitatis defectui, seu *inertiae* generali, locali, — nunc autem *vitio organico*, nunc externam, nunc internam uteri ad faciem, nunc ad ejusdem substantiam obvio, innixae: ut qua sub rerum conditione iniqua, determinatos fere ad menses, *abortus*, *partus*

praematuri, vel et ipsa *sterilitas* omnem per vitam, sequantur, exempla nimis copiosa exstant. Partem *hysterismi* vel maximam ex tyrannico uteri certas in foeminas imperio venire, nemo quidem dubitat; causarum interim in genitalibus vestigia post mortem vix ulla in oculos, quales nempe mortalibus concessi sunt, cadunt; nec, ubi aut cerebrum, aut nervos utero aliunde transmissos, magis accusaveris, sapientior igitur, aut in artis exercitio (nisi tributum ille cruentum, a natura sibi impositum, debite persolvat, aut a fluxu nimio, abnormi, caute liberetur, vel tacite optato, esuriens, cibo saturetur cythereo, vel modo concipiat, extendatur, excitetur, atque hunc auspicato maturum non modo parturiat, sed proprio cum lacte nutriat, nec citius quam par est, ab uberibus removeat, nec, novae conceptionis avertendae studiosa, tardius aequo a mammis depellat) felicior eris. Hystericarum foeminarum *nares, foetidorum* ab odoratu, — *uteros* autem earum, *suaveolentium* ab adflatu, delectari, — quasdam quidem mulieres, etsi plus aequo sensibiles, ab odore tamen rosarum, zibethi, moschi, ambrae, haud laedi, — a foetidis vero ute-

ros ſere omnes offendi, — quae sua cum *dulcedine*, *linguae* blandiuntur, ea plerumque sexûs sequioris genitalibus noxam inferre, *amara* vero utilia esse, — non praetervisa Veteribus, sed nequidem laudata adeo Retentiorum a perspicacia hucusque explicita, observatio est. Affectationis quidem multum, variarum, utero ferentium, in res absurdas, vel sanitati adversas, nisus habet; sed aliarum ex illis, et virginum adeo chloroticarum, vix coërcenda rerum similium cupiditas, delirantis quasi uteri effectum, illi forte, quo aliquae ex primis, vel mox a conceptione, mentis alienationem, modo partu absoluto dissipandam, experiuntur, aequalem, sistit. Quot non mulieres, de ulla licet functionum laesione necquidquam offerentes, alio tamen tempore semper valetudinariae, a quo momento conceperunt, sanitate sibi antehac ignota fruuntur! Quot non sunt aliae, quarum ventriculum, aliquando et ipsa intestina, semen virile, vix uterum attingens, sub vomitu effreni, interdum et alvi sub fluxu, nunc medium gestationis, nunc omne istius per tempus, misere conficit! Atqui haec singula, visceris prolifici imperio, hucusque nec a

longe satis intellecto, succedunt. Quo tempore haec scribimus, nostrum sibi foemina consilium expetit. Haec vero, dum quosdam ante annos concepisset; quoties cibos, pro ratione adpetitûs, non tamen morbosi, assumeret: *coecitate perfecta* seu amaurosi laboravit; ad tenue modo jusculum recurrenti, visus mox rediit; sed, a fame quondam coacta, vix fercula sibi consueta ingesserat: cum illico visus, donec filium, non minus ideo bene nutritum atque robustum, peperisset, omnis ablatus, post partum vero in totum restitutus fuit.

Membranae uteri internae retentiones.

Unde consulte recessimus, ad retentiones uteri mucoso-lymphaticas redimus. Qui membranam hujus visceris *internam*, illâ cervicis uterinae superiorem, pro *serosa* ex eo declararunt: quod non tam cryptae mucosae satis evidentes, quam, praeter lacunas et orificia patula, vesiculae rotundae, liquore pellucido turgidae, in ea compareant; illis ejusdem membranae, cum ea vaginae atque dictae cervicis, manifestam continuationem, — phoenomena morbosa, illis, quae ex narium atque vesicae urinalis membranis mucosis, a catarrho vel alio a stimulo prehensis, descendunt, similia, —

medorrhoeas, non soli vaginae proprias, molas, excrescentias spongiosas, fungos haematodes, polypos etc. perpendenda proponimus. Quamvis autem ad artis *obstetriciae* atque *chirurgicae* magis, quam *medicae* dominium, vitiorum vix dictorum curam revocaverint; eorundem tamen aliqua, brevis ac circumscripta licet, nobis, qui unius ejusdemque scientiae ramos suo a trunco, absque totius plantae interitu, separari non posse praetendimus, incumbit adumbratio.

Molae. Effectus morborum locales, sua indole vix inter se diversos, pro ratione figurae, contentorum, consistentiae, suppositae originis, variis, iisque modo parum adaequatis nominibus scriptores insigniverunt. Ac primo quidem, „carnem informem, inanimam, ferri ictum et aciem respuentem,"— „carnem informem, in utero, ad modum foetûs, generatam, aut corpus solidum, quod, praeter normam sanitatis, utero innascitur," *molam* dixerunt (§. 829.).

Origines. §. 846. Istius generationem, praeconceptae opinionis jugo alligati veteres (juvat enim pristina humanae mentis deliria, quò magis reformidare propria discamus, com-

memorari) a prava conceptione, a siderum influxu, a brutorum animalium semine improvide hausto, ab incubis, ab infami cum brutis commercio, a semine masculino in uteris corrupto, a temperie utriusque spermatis diversa, ac demum a menstruo sanguine retento atque degenerato repetierunt. Nonnullis adeo molis *vitam* tribuerunt aliqui, et absurdas, quas vulgus his de rebus quondam condidit, fabulas, has ipsorum medicorum illius aevi (utinam solius!...), credulitas excusat. Vix autem *ovulorum* in ovariis praesentiam culter anatomicus tandem patefecerat, ac *molam* illico *omnem* praepostere ex illis, aut jam virili a semine *foecundatis*, aut etiam *inanibus* a *placentulis*, hoc loco luxuriantibus, non spernendo adeo, quam extenso nimis, ac honori mulierum, viduarum, ipsarumque adeo virginum, quondam non parum contrario, judicio, revocaverint pathologi. Quare duplicem hi ipsi molarum speciem, *veras* nempe, in foecundato quidem ovulo, sed mortuo pridem, ante exclusionem, embryone consistentes; atque *nothas*, ex ovulo, spermatis virilis necdum actionem experto, natas posuerunt.

Ex ovulis. Ac revera, *molarum* aliquando *praegnantium* historiae, a viris claris relatae, primam saltem ex istis satis confirmant. Molae adeo *gemellos* continentis exemplum habetur. „*Abortivas placentulas*, in utero retentas ibique auctas atque induratas, in molas abivisse," *germanus* quondam, magni adhuc hodiedum nominis, medicus testatus est. *Placentarum* non paucarum *physconias* nos ipsi observavimus, atque excluso quamvis duas jam per hebdomadas foetu, secundinas, raris sane exemplis, absque noxa in utero relictas, qua parte huic ipsi tamdiu adhaeserant, omni tamen putredine liberas, hinc novo, per omne hoc tempus, a sanguine nutritas, conspeximus. Quodsi vero haec, ore uteri, post partum vel minime praecocem satis diu quidquam patulo contigerint; placentulas post abortum huic visceri clauso tenacius longe adfixas, monstrose augeri ac praegrandes in molas mutari posse, quamvis propria nobis de istis experientia desit, non tamen idcirco negabimus. Massas, uteri cavo simpliciter *adpositas*, non vero ejusdem membranae intimae, placentae in modum, infixas, adcretas, ac ejusdem tunicae a vasis enutritas, ex reten-

to ac in grumos ibidem coacto cruore menstruo, lochiali, alio, oriundas, ac breve post tempus hoc e cavo non aliter, quam sanguis extravasatus atque concretus a vulnere aut loco quovis alio expellandas, *molas*, nisi spurias, nos minime vocabimus.

Nec tamen solis.

Quamvis autem molis quibusdam primam ex ovulo originem esse, dubitare nequeamus; est tamen, cur *saepius* easdem ex *pseudomembrana*, per stimulum majorem, aut occultum per incendium, secretionis morbosae effectu, generata, vasculis mox propriis donata, tunicaeque uteri mucosae aliquod per tempus supertensa, postea vero ab eadem, in parte quadam uteri, adfluente a lympha, separata, elevata semperque magis ab eadem, plus minus repleta, et in molem utero molestam adaucta, oriri arbitremur. Ex eadem, secretionis nempe abnormis, ratione, apud mulieres, ipsasque apud virgines intactas, quibus menstrua sub magnis lumborum ac ventris doloribus solvuntur, pseudomembranae, tunicae *deciduae* non absimilis, frusta conspicua, cum cruore remista ex uteris ruunt. Nec certe vel ipsam membranam uteri intimam seu mucosam, a facie hujus visceris interna tam

ſacile ſeparari ac, ut aliqui praetendunt, in vaginam pendere, repleri, credendum est.

Varietates. De *hydrometra* loquentes (§. 744.), aquarum, in ſacculis, jam utero, jam vero placentae adhaerentibus, mentionem ſimul injecimus. *Hydropem* hinc *placentae*, atque *hydatidoſum*, a nobis obſervatum, modo obiter hìc tangimus. Paucis retro ab annis, *viennenſis* mulier juvenis, *placentam hydropicam* tantae molis utero excrevit: ut eâdem in vaſe ampliore aliquot per horas conſervata, ſeroſi humoris tres libras et ultra ſponte evomuerit. Altera hujus metropolis foemina quinquagenaria, enormes ex utero praetumido ac duro haemorrhogias paſſa, molam tandem vel maximam, ex millenis hydatidibus compoſitam, cujus exempla jam varii ſcriptores, *molae hydatidoſae* ſub nomine, notarunt, excrevit. Aliâs *membranaceae*, vel etiam *ſebaceae*, aut quaſi *carneae*, *fibroſae*, interdum *pilis remiſtae*, vel *flatulentae* (§. 726.), vel ſanguine *gravidae*, vel *durae*, *ſubcartilagineae*, vel, qualem et nos quondam deſcripſimus, *oſſeae* ſunt molae. Viduam quadragenariam, vita longiore digniſſimam, non ita pridem nobis ereptam doluimus.

Haec scilicet, praevia cruoris copiosi ex utero jactura, plures per menses continuata, uteri ovariorumque scirrho insigni laborare credebatur. Tandem, post varia, nervosae indolis symptomata, post leipothymias frequentes, levibus deliriis, cephalaeis intermistas, corpus durum, cuneiforme, ex ore uteri prominuit, ac, octo dierum spatio, polypi instar, sat profunde in vaginam descendit. Interea corpus universum hydropice intumuit, ac tandem, sub foetore insigni, portio molae aliqua vel sponte separata fuit. Post istam, mox altera, priore amplior, sub ventris tumore quidquam imminuto, in vaginam demersa, huncce canalem, quousque cedere hic potuit, replevit, ibique plures per dies, donec tantis mors optata calamitatibus finem imponeret, immobilis haesit. Cadaveris sectionem, quam religio defunctae hebraica recusabat, pro votis, institui haud licuit. Aliam, ut legimus, apud mulierem, mola quinquennis tam profunde in pelvim, ut ipsius *uteri prolapsum* mentiretur, descendit. Molam plerumque modo *unam*, aliquando tamen *plures* ejusdem naturae concretiones continet uterus. Nunc vero omnem per vitam

mulieris massa haec abnormis hunc locum usurpat; nunc plures a sua occupatione post menses, et quidem nunc sola, nunc embryoni socia, — atque tunc vel ante, vel post hunc, vel simul cum eo, intervallo nunc breviore, nunc plures ad dies extenso, excluditur: ita, ut non desint foeminae, quae a partu perfecto cum placenta uterina excluso, novis, plures post horas, ad partum doloribus correptae, loco foetûs alterius, *molam* sat magnam excreverint. Cur vero *cavi uterini* tumores, quamvis forma, substantia, densitate tam diversos, *molas* nihilominus vocaverint; ejusdem autem indolis phymata, quae vel ad *uteri faciem externam*, numero saepe plura, a solo peritonaeo obtecta, nascuntur, — vel *in ipsa matricis substantia*, rariora, exsurgunt, hoc titulo privaverint; — cur illas ipsas cavi uterini excrescentias, ubi, ab actione uteri, in earundem radices adhuc molliores majore, versùs ejusdem cavi profundiorem cervicem atque ostium urgentur ac, in *pedunculum* extensae, compressae, per hoc ipsum tandem in vaginam sibi viam pandere, atque in ea demum, liberiores, volumine augeri coguntur, inepto *polyporum* nomine

donaverint; — hoc, nomenclatorum, nostro quoque aevo, nisi auctas, saltem haud exstinctas, inter insanias ponimus.

Qua vero ratione sordida atque impura aliarum partium corporis *ulcera* faciunt: eâ et *uteri*, et maxime *oris uterini* (tantis non modo, partûs difficilis sub opere, injuriis, sed syphilidis quoque veneficis effectibus subjecti) illa, *excrescentias fungosas* facile concipiunt: ut quibus quasi spongiis, externa pellicula, indies condensanda, instructis, humor iniquus suscipitur, qui interiores earundem ad cellulas, continuò magis impletas, varia sub consistentia stagnat, induratur, ac tumorem tandem, quem *molam* dixerunt (quem interim pro ratione contentae in eo materiae, vel *sarcoma, atheroma*, vel *steatoma*, vel *meliceridem*, vel denique *polypum uteri*, jure non minore, vocari licebit) constituit. Differentiam *molae* ab *uteri excrescentiis*, a viro claro in eo positam, „quod hae ultimae ex ipsa matricis substantia proveniant, dum illa verum continuum constituant atque, si excludantur, uterum ipsum foras trahant; quod autem *molae*, per modum adglutinationis placentae adinstar, cum utero quidem co-

haereant; sed a motu hujus visceris constrictorio, ab interna illius superficie dissolvantur, et extra matricem protrudantur," tanti quidem ponderis non esse, ex eo, quod major, aut minor tumoris morbosi cum uteri superficie interna cohaesio, de ejusdem natura nil decidat; et quod certe *molae* non paucae ab utero, qua hic placentam expellit, ratione, separari haud queant, concludimus. In ipso cavo uteri, *abscessus* et *ulcera* hinc inde detecta fuerunt; nec *puris*, aut *muci* copiosi in eodem collectorum, exempla desunt.

Polypi uteri, vaginae. Polypi, sexui sequiori proprii, vel *uteri* ipsius, vel, casu rariore, *vaginae* substantiae adhaerent. *Uterinus polypus* plerumque fundo hujus visceris, interdum vero *cervici*; aut *orificio* ejusdem, radicem infigit; *vaginalis* autem, quovis quidem hujus canalis puncto, pedunculo nunc instructus, nunc vero carens, excrescit, ejus tamen *rugas* ille praediligit, ac facile ulcus venereum pro causa agnoscit. Tumorem igitur matricis in cavo, moderate distento, puncto illius, vel cervicis, oris uterini, nunc hoc, nunc illo, cum pedunculo unico, raró certe pluribus quasi radicibus natum, ex ore hujus visceris minus dilatato in vaginam demer-

sum, hoc vero in canali, sibi magis cedente, in massam glabram, pyriformem adauctum, sua basi latiorem, ore, quale uterus prolapsus organicum agnoscit, destitutum, nunc mollem, fere mucosum, nunc sarcomaticum, nunc, scirrhosi adinstar, durum, plerumque indolentem, interdum vero carcinomatis quasi symptomata offerentem, tandem et genitalium inter labra, saepe ipsa in crura propendentem, quo in casu uteri fundo adnatus est, cruoris dispendio vix non semper gravi, ubi vero cervici, aut ori uterino adhaeret, saepe nullo, junctum, *uteri* quidem *polypum* et nos, si lubet, vocabimus; cum interim in medica scientia, *nominum* vix non majores, quam rerum probe notarum, sint divitiae; cum vel ipsae *molae* hinc inde quasi rostra et brachia plura habuisse sint visae; has omnes *excrescentias*, vel sola istarum adpellatione, vel, sacro antiquitatis jure, *molarum* illa salutabimus. Ne *cervix uteri*, sana quidem, sed uno a pollice suae extensionis normalis, ut observationes in *Gallia* factae, docuerunt, septem vel octo ad pollices *longitudinis*, non profundiore, ob id, uteri positione, quibusdam in foeminis, aucta, pro uteri *descensu*,

vel et *polypo* ejusdem habeatur, summopere cavendum est. Hunc errorem, facile funestum, oris uterini, quod, circa polypi collum, *circini* in modum stringitur, attentum examen avertet.

Symptomata. §. 847. Morbum hunc, nostris temporibus tot foeminis, neque virginibus exceptis, infestum, non modo intempestivam sexûs sequioris propter verecundiam, sed et ob incredibilem artis obstetriciae defectum, vix ante saeculum decimum et sextum paulo attentius observatum, haud raro medentes cum *uteri* ipsius aut *descensu*, aut *inversione*, — aliquando cum vesicae, intestinorum, omenti, *herniis vaginalibus*, ac ita quidem confuderunt: ut, primo in casu, vel ipsum viscus prolificum, cultri, vix non semper lethalis, auxilio resciderint; vel rescisso modo *polypo*, in suo centro, ob exsiccata in eodem liquida, interdum *vacuo*, de *uteri* tamen ipsius exstirpatione felici, gloriari haud destiterint. Quamvis autem salutaris pars haec scientiae, *chirurgiae*, vel et *artis obstetricia*e ad forum pertineat; cum tamen et *medici*, prius, quam istarum artium imploretur consilium, hos morbos saepe diu nimis praetervideant;

quaedam saltem, et modo praecipua, quae hos errores avertant, tam gravis objecti momenta breviter hìc exponimus.

Ac primò quidem monebimus: haud infrequenter *medorrhoeae* sub imagine, polypos radices suas figere; nec alia foeminis, quam quae a causis diversis huic sexui accidunt, uteri, tensi nempe atque cum lumbis obscure dolentis, incommoda inferre. Atqui tamen haec ipsa, donec pars polypi infima et crassior, in uteri cervicem directa, hanc ipsam ac istius orificium, cunei in modum, sibi satis, et quidem sub difficultate in ore uteri tam virgineo, quam muliebri, aut partum necdum experto, aut ob aetatem jam quidquam calloso, majore, ac sub ventriculi consensu pedissequo, adperuerit, continuò crescunt. Hac vero porta jam superata, dicta quidem satis moderantur symptomata; ast vero, cum nunc exitum molienti polypo, potentioris ab uteri angustia antehac non parum, nimis extendi, cohibito, in speciem funis complanati, compresso, promtioris incrementi, ampliore ac laxiore vaginae in canali, obstacula minora resistant; hanc ille hostis regionem impune mox usurpat ac, sub infido aliorum

symptomatum vix non silentio, symptomata hìc alia producit. Hanc usque interim *secundam* ad morbi *periodum*, eo minus attenta in talia est foemina: quod saepe, sub istis, consueta nequidem sibi menstrua deficere avertat: aut quod, si blennorrhoeam forsitan antehac experta sit; in hanc ipsam, malorum culpam omnem conjiciat. Vix tamen aliquot hoc modo septimanis, aut forte mensibus, transactis, plenitudinis, distensionis in sinu insolitae sensationem ingratam illa percipit, simulque alvum et urinas sibi et tardius et aegrius secedere, aliquando et venas haemorrhoidales ad anum turgere, animadvertit. Sunt, quae, crassiore jam polypo detentae, nisi hunc ipsum sibi altius reprimant; urinas excernere nullo modo possint. Quae virum agnoscit foemina, ea, sub congressu quidquam vivaci, mox sibi uterum offendi, cum dolore ac sanguinis subinde stillicidio, vel et profluvio, observat quidem; sed, ut reliqua, ita et hocce phoenomenon, levi ac incompleto, non tam insolito foeminis, maxime partum jam pluries expertis, uteri atque vaginae *descensui*, ut quem proprio a digito, vaginae commisso, satis manifestum

reddi, tacite sibi persuadet, adscribit; et quò hujus mali, falsò suppositi, progressui resistat, *pessum* vaginae, jam nimis oppletae, distractae, in colli vesicalis, urethrae, ac intestini recti majorem longe compressionem, stulte intrudi curat. Sed nunc quoque lumborum ac uteri, seu potius ligamentorum ejus, tensiones, nauseae, vomiturítiones, frequens urinae mittendae difficultas, aut omnimoda suppressio, imperiose loquuntur; menstruis saepe diu retentis, haemorrhagiae, discrimine plenae, vel ipso ex utero, vel e venis polypi, ore uterino strangulati, varicosis ac diruptis oriundae, nunc animum feriunt; ac tandem *tertia*, prorumpentis nempe e vulva polypi, *periodus* subintrat. Primis quidem temporibus hic tumor ad vaginam facile, non tamen absque urinae mittendae difficultate majore, retroducitur; sed quovis sub nixu quidquam fortiore, mox ille, faciliore mictu insequente, relabitur: donec sensim volumine auctus, ac ad justum aegrae horrorem, per femora propendens, omnem sibi reditum ad vaginae domicilium, ipse praecludat. Hocce sub statu haud raro contingit, ut, atmosphaerae, frictionis, compressionis ac-

tione, externa polypi tunica duritiem quasi callosam tandem adquirat; vel ejusdem superficies, ab urinarum, muci acrioris adfluxu, irritetur, inflammetur, exedatur, interdum abscessus, vel ipsam quoque gangraenam subinde, contrahat. Fuerunt, quibus, a praegrandis polypi, fundo uteri adfixi, pondere, hic ipse *retroversus* fuerit. Nisi experientia ipsa id satis docuisset, uterum jam a polypo obsessum, primo saltem stadio, non modo impraegnari, sed et foetum, plenam ad maturitatem usque, fovere posse, nemo credidisset. Sunt interim, quae polypum utero ferentes, simul impraegnatae, embryonem primis modo mensibus retineant. Quamvis vero pars major foeminarum, quae polypo laborant, sanguinis ex utero jacturae exposita sit; quotiescunque tamen ad oris uterini confinia polypi radix infigitur: haemorrhagiarum aut nulla, aut minor est frequentia. Exemplum interim polypi, cervici modo uterinae adfixi, ac magnam nihilominus cruoris jacturam inducentis, habetur; quo in casu, polypos alios, in primi vicinia haesisse, suspicatus est scriptor *Galliae* idem, qui plures ejusdem indolis excrescentias uno eodemque in utero

jam detexerat. Aliquando, casu tamen rariore, *vaginali* polypo *pedunculus*, cui, exstirpationis quondam suscipiendae ad finem, ligatura adplicetur, ita deficit, ut loco istius, tumoris ad sanationem, aut cultro chirurgico, aut causticis opus sit.

§. 848. Tam ob dictas, quam ob alias **Diagnosis**
rationes summopere interest, quò, sub **polyporum.**
quacunque medorrhoea chronica, rebelli, non minus, quam sub urinae deponendae, aut foecum excernendarum pertinaciore ac plusquam ordinario apud foeminas labore, sicut sub nimio, vel frequenter redeunte cruoris uterini profluvio, tam vagina, quam uterus, attente ac experto satis obstetricantis a digito, mature *exploretur*. Ne in corporis morbosi, in vaginam delapsi, vel ante istius introitum pendentis, vel illam angustantis, indicanda natura, aliorum exemplis funestis, fallamur, vel maxime cavendum est. Ac primò quidem, ne *uterus prolapsus*, ejusdem pro *polypo* imprudenter declaretur, atque ausu vere impio, aut filis, aut cultro submittatur, evitandum. Hanc, prolapsam primùm ad uteri partem, vaginae suae, simul quidquam prolapsae, portione obtectam, ejusdem *orificium organicum*,

labris suis utrimque ornatum, se offeret; ac si forsitan tale quid vel ipso in polypo occurrat; hoc eidem, vel a compressione, vel praegresso ex ulcere, ac inducta huic cicatrice, *difforme* subvenisse, haud difficulter comparebit. Accedit et ea, *polypum*, ac *prolapsum* non modo, sed *inversum* quoque inter uterum differentia: quod ille nunquam, quod isti faciunt, vesicam urinalem secum trahat praecipitem. *Inversum* ad *uterum* quod, praeter hoc, spectat, ille quidem, polypi in modum, cum basi sua seu fundo, explorantis se medici digito praesentat; ast vero, quod in *utero* modo prolapso detegitur, *orificium:* hoc, superiore *inversi* illius visceris loco sepultum degens, nullibî detegitur; nec digito, qui vaginae, uterum inversum involventis, cavo committatur, hìc fere locus est.

Coeterùm, praeter mollitiem conspicuam, sensibilitatem uterus, ubi tangitur, magnam, — polypus vero nullam, prodit; et cum iste, descensu ex vagina *lentiore*, — uteri prolapsus, *subitaneo* ac inopinato, foeminam consternit. *Vesicalis* ad vaginam *hernia*, a *polypo* distinguitur: quod iste, attactui durus resistat; illa vero, mollior,

digito cedat; quod, ubi eadem comprimitur: ad mingendum aegra mox compellatur; lotio vero deposito, tumor ipse, pro emissi liquidi ratione, subsideat. Intestinis, aut omento vaginam intropromentibus, oris uterini illa directionem simul immutant atque dum polypus retropressus, facile relabitur; illa reponi facilius queunt.

Cum nequidem ipsius *graviditatis* indicia apud foeminam humanam, donec foetûs motum ea manifestum perceperit, satis certa sint; non securiorem sane *molarum* nascentium, vel adeo jam quidquam provectarum, *diagnosin* esse, quisquam praetendet. Quodsi et mola et foetus simul in utero haereant; motus prolis quidem hanc ipsam, sed molam minime, prodet. Signa quidem molarum, ex solo scriptorum ratiocinio petita, satis multa; — sed quae ex multiplici, hoc mali genus rari observandi occasione depromta, solvendis, dum interest, nodis sufficiant, pauca, eaque longum saltem per tempus maxime aequivoca sunt. Molas haud facile *quartum* ultra mensem in utero subsistere, a citatis earum complurium, longiorem per moram, — quarundam, ad tumulum usque hoc in cavo detentarum, exem- Molarum aliarum.

plis refutatur. Quare jam immortalis historiae naturalis parens, de *mola*, „movetur, inquit, sistitque menses: et ut partus, aliàs lethalis, *aliàs una senescens*, aliquando alvo citatiore excidens." Nec assertio; „molas volumine, illo foetûs celeriore augeri, ac proinde abdomen foeminae inferius, sub illis, citius et inaequali magis ratione dilatari," satis certa est. Nec pro tuto magis molae argumento, „graviditatis absentiam, ex tumore ventris duriusculo, non acuminato, sed in omnem dimensionem, interdum aequaliter, interdum vero confuse sese expandente, denotari, haberi potest. Ad *ubera* quod spectat, ea, sub molarum non minus, quam sub foetûs gestatione, a seroso liquore sororiasse, conspecta fuerunt, atque dum uterum mola simul cum foetu occupat: num secretio lactea vel istum, vel illam annunciet, determinari non potest. Certissimum utique foetûs, in utero degentis, signum, sat evidens ejusdem hoc in organo motus est; etsi vero sat constans hujus signi a quinto gestationis mense, sub uteri, extensione, resistentia, et pondere majoribus, quam quae ab aëris, aquarum, aut cruoris in eo collectione induci possent, defectus,

procul dubio *molam* significet; non tamen istam idcirco motus prolis, in utero constanter licet perceptus, perpetuò excludit. Foeminas a mola magis, quam a foetu, adgravari, ubi toties, vel hujus solius a conceptione, sanitas illarum a morbosorum symptomatum circumdetur exercitu; neque hoc firmiorem multò diagnosin constituet. Qui foeminas a mola obsessas, ubi de latere in latus moventur, ponderis de illo in istud delabentis sensationem experiri dixerunt: his, molam utero, foetu ipso, viciniius adnatam esse, nec in aquis illam, ut istum, forsitan vita exutum, sui ponderis ratione, pilae instar, circumagi posse, perpendendum relinquimus.

Tam facile aliorum, de rebus obscuris sententias subvertere, — sed potiores istis offerre, quam arduum est! — Concludimus ex istis: cognitionem molae, nisi *polypiformis*, in vaginam jam extensae, in foeminis, intimiore virorum commercio usis, quarti ante mensis finem, nullam nobis esse concessam; hoc vero mense cum dimidio jamjam absoluto, ubi plura ex signis hucusque relatis, quamvis illùc usque dubiis, con-

spiraverint; probabilitatem molae latentis satis conspicuam offerri.

Prognosis. §. 849. Molarum *prognosi*, praeter ea, quae de illarum indole atque decursu, tot uteris ac prolibus ſunesto, retulimus, haud multa hìc addenda supersunt. Quanta partum, molae conjunctum, vitae discrimina circumdent, vel ex eo jam adparet: quod hae, non modo debitam uteri, pro excluſione foetus, contractionem impediant; sed et exitum ante foetum molientes, ob sanguinis ex utero fluxum continuò promotum, ipsam quoque vitam eidem saepe praescindant. Sunt interim exempla non pauca mulierum, quae non modo molam, abortûs sub specie (exceptâ cruoris jactura, quae partum foetûs immaturi comitari solet, majore) tantis haud stipatum periculis excluserint; sed etiam intaminatae foecunditatis specimina posthinc ediderint. An tam felix rei, ſrequenter ominosae, eventus, illis modo molis, quae ex *ovulo*, sua cum placentula, utero coeterùm illaeso, adfixis; nascuntur, nec tam facile *fungis*, eodem ex organo, vel exeso, vel aliter morboso, luxuriantibus, est proprius? Polypi saltem qui radice sua, vel pluribus, plerumque

minus amplis, e tunica uteri, vel cervicis, oris uterini, interna, haud compromissa semper hujus visceris substantia, nascuntur, non tam raro, quin corpus uteri ipsum malorum quid participet, felici satis ausu exstirpantur; quidquod aliquot, raris licet, exemplis, vel sponte secesserint.

Coeteris paribus, minora quidem *polypos*, quam molas alias, ex eo, quod illi exstirpari queant, pericula premunt; cum vero plures eorum matricem simul occupasse, hinc inde, quamvis rarius, conspecti fuerint; sanationis radicalis pignus nec ipsa polyporum operatio chirurgica sat firmum largitur. Sic illustris, quae nos, tribus abhinc annis, *Vindobonae* consuluit, matrona, decem post partus maturos, quinque per annos jacturam cruoris ex utero magnam experta, exploranti tandem hoc viscus chirurgi *Bononiensis* eximii digito *polypum* obtulit. Ob virium jacturam majorem, ligatura hujus polypi modo post annum suscepta, et post istam, valetudo secunda, per menses fere quindecim, secuta est; ast vero, sub animi pathemate graviore, sanguinis ex utero vehemens profluvium recruduit; *sub isto autem, simul polyporum friabilium copia tanta,* Polyporum.

quae pelves jam plures hucusque implevit, ex utero (cujus nunc orificium, quasi in gravidis, tenue reperitur) *excreta fuit.*

Therapia molarum.

§. 850. Ex diagnosi molarum tam dubia, et vix ante earundem, vel solarum, vel embryoni junctarum, exclusionem satis confirmanda, quam parum ab artis medicae, circa hunc foeminae morbum, curis exspectandum sit, jam satis elucet. Molam, aevi non ita pridem elapsi scriptores complures, primo, quantocius ab uteri facie interna *separandam*, — secundo vero, ejusdem e cavo *pellendam* esse," brevi quidem, sed non minus ambiguo, quam pleno discrimine consilio, jusserunt. Quo ergo primae indicationi satisfieret: non aliam fere illi, quam, qua et puellae et viduae, et conjugum amplexibus aut privatae, aut renunciantes uxores, clandestino concubitu praegnantes, eliminandi ex utero tam odiosi sibi pignoris desiderio conductae, jam dudum sunt usae, adhiberi suaserunt. Ut igitur os uteri, his conaminibus pie resistens, emollirent, foverent, et quasi blandiendo seducerent: semicupia tepida, injectiones, suffimigia, venae sectiones, emmenagoga varia, — ut reluctantem istis naturalem

embryonis innocentis custodem subjugarent, enemata stimulantia, drastica fortiora, emetica, sternutatoria, ipsumque, junctis pedibus, saltum ex alto repetitum, ac alia consuluerunt. Quod interim impiis seductarum foeminarum infanticidii tentaminibus,— hoc et *molae* imprudenter expellendae studiosis artificibus feliciter accidit: scilicet, quod uterus, has constanter eluderet injurias, foetumque praescripto tempore illaesum excluderet; vel, quod *molam*, sibi commissam, cum eâdem, ac foetum, teneritate foveret, nutriret, atque vel pro lubitu tardius dimitteret; vel ad foeminae obitum usque, senescentem conservaret. Sed frequenter hos conatus (primo casu, atroces et maxime impios, in altero, potissime si foetus forsitan simul ac mola in utero haereret, ad minimum nimis audaces) effectus, ex haemorrhagiis uteri, vix ullo modo coërcendis, aut ex partis ejusdem inflammationibus atque gangraena, lethales insequuntur. His effectibus obviam ituros, quò uterus, separata vix mola, liberetur, hanc ipsam, quam celerrime possint, ab iisdem, vel manùs, vel uncorum, tenaculorum, vel forficum ope arripi atque sollicite protrahi jubent; ast vero, nec manui

ad uterum, nisi partus a doloribus certo jam gradu dilatatum, introitus conceditur; nec ubi os uteri satis, binos ut digitos, molae blande attrahendae adplicitos, admittat, patescit: aut manu, aut instrumentis, sibi tam facile funestis, indiget uterus; sed, quae foetus, aut placentae, ab isto separatae, partui artis obstetriciae subsidia sufficiunt: ea non minus et molae excludendae, nisi forsitan a vasorum turgore, a spasmis coërcitae; atque tunc cum venae sectione, vel cum anodynis, tam interne haustis, quam vaginae injectis, liberandae, paria erunt. Quodsi vero aut haemorrhagia uteri vehemens, aut longuor virium consternens, aut convulsiones aegram, vel a mola liberandam, vel pro certo morituram, prehendant: tunc omnino, cum anceps his in angustiis remedium, melius, quam nullum, sit; singula, quae ab arte tam obstetricia, quam medica, potiora suggeruntur, nec tamen hic loci exponenda, subsidia, quamvis ea discrimine non sint expertia, tentanda sunt.

Polyporum. Exceptis modo polypis, quos *syphilitica ulcera vaginae* producunt, et qui specificam sibi methodum praevie requirunt, quae *polyporum therapiam* respiciunt, ea,

quod isti, auxiliis internis non minus ac *molae* ipsae, resistant, *chirurgia* vobis tradenda assumit. Varias haec, ut modo pauca de istis tangamus, in *exstirpandis* polypis, vias inivit: atque eosdem, nunc *corrodendo*, nunc *abscindendo*, nunc vero *tordendo*, primùm adgressa est. Rudes has partimque plenas discrimine, operandi methodos, viri *galli* egregii, pedunculum polypi *ligari*, *constringi*, ac ita a radice uterina separari docentis, industria correxit. Cum vero hanc, polypos ligaturae ope auferendi methodum, felici satis cum successu secuti sint chirurgi; eorundem *cum forficibus* excisionem, a celebri apud *Berolinenses* professore, ut potiorem atque promtiorem, nuper commendatam fuisse, legimus; atque hanc etiam operandi rationem, certis in casibus, votis respondisse, nequaquam dubitamus. Est interim, cur et nos restrictioni, novae hujus methodi, ad polypos minores ac pedunculo modo tenuiore instructos, alio a docto viro jam factae, ex ea simul ratione commoti, adhaereamus: quod non modo *levis rubor* et *status venarum*, in polypis quibusdam, *varicosus*, sed et mediae, in altero, *arteriae*, aneurysmatica

quasi *pulsatio*, a scriptore *Galliae*, hac de re classico, observata, ab excisione, non ligati prius, polypi cum forficibus, nos omnino absterreat. Quamvis rarius, interdum tamen, *friabilis* nimis, quam ligari ut queat, tam uteri, quam vaginae est polypus; ac fuit, qui vel solos obstetricantis per digitos hoc e canali evelli potuerit. Non igitur polypus quivis tam densa membrana, ut haec ejusdem caracterem constituat, obtegitur; et qui vel solo sub nixu ad alvum, sub vomitu, ex utero secesserunt polypi: hi, vix descriptis teneritate aequales fuisse videntur.

Scirrhus uteri. §. 851. Quae de *scirrhis* in genere (§§. 126. 135.), et quae de illis *uteri* in specie (§§. 227. 228.) jam pridem docuimus: ea nos (qui nec in sufficiente hujus diri morbi *cognitione*, nec in ejusdem, aut in *carcinomatis*, aut in *cancri veri sanandorum ratione*, — puderet nos, tam senes, fateri, si hujus culpam ignorantiae nos ipsi, et quidem soli, ferremus, — nec quidquam eheu! profecimus) quò haec ipsa sine fructu majore repetamus dispensant. Non est certe, quod non et nos, de quo sibi gratulantur alii, *duras* ad uterum *plagas*, hac vel illa

medendi sub methodo a nobis adhibita, disparuisse observaverimus; sed *scirrhi*, ab *induratione* simplici, quamvis et ille *durus* sit, longe diversi, titulum illis et a nobis conferri, semper vetuit cauta, majore nominis celebritate potior, conscientia. Omne igitur, quod a longiore, quam saeculi dimidii, experientia, hujus in mali cura didicimus, — omne, quod juventutem medicam docere audemus; in eo: *ne noceat*, sed ut in *leniendis* modo, quoad licet, *mali hujus*, hucusque indomabilis, *tormentis*, donec meliora sibi pateant, caute, ut alibi incussimus (§. 155.), versetur, consistit. Longe quidem a legis, per veteris *Egypti* pontifices latae, „ne quis ultra, vel contra *Hermetis* praecepta in aegris curandis quid audeat," adprobatione distamus; sed nec aevi nostri, ob abusum toxicorum, non tam injuste *venefici* nomine notandi, ausus laudabimus.

Qui de scirrhosa, vel jam carcinomatica uteri portione, quousque cultro patebat, *rescissa*, — vel de *ovariorum*, — vel de ipsius adeo matricis vitiosae *exstirpatione*, felici cum eventu suscepta gloriantur: ab his, — non de solius vulneris uterini con-

solidatione, haud semper tam ardua, sed de hujus quoque visceris, aut de organorum generationis internorum, eodem fomite morboso, ultra partis rescissae, exstirpatae, confinia facile praegnantium, *constante* sanatione testimonia haud aequivoca, exterrita tantis ab ausibus humanitas exspectat.

Tumores in pelvi spongiosi.

§. 852. *Tumores spongiosi*, firmi, elastici, superficie externa inaequales, pelvis in cavo, circa tuberositatem ossis ischii, subinde nascuntur. Hi tumores, ubi adolescerint, urinarum effluvio foecumque excretioni remoram ponunt; tandem vero, diprupti, saniosum humorem plorant, quem spongiosae excrescentiae aliae, nulla hucusque ab arte domandae, necnon vicinarum erosiones partium, tandem lethales, sequuntur. Urinae suppressionem a tumore praegrandi inter vesicae cervicem et intestinum rectum posito, atque *hydatidibus* repleto, vir celebris, *anglus* descripsit. A cystide, aquis repleta, super omni longitudine intestini recti, retro vesicam urinalem, haerente, retentionem lotii lethalem, alter, ejusdem nationis chirurgus, adnotavit.

Intestini recti epischeses.

§. 853. Quae de *recti intestini incendiis* (§§. 243. 244.), quae de illius *medor-*

rhoea, tam acuta, quam chronica (§§. 530. 544.),— quae de *haemorrhoidum* (§§. 621. 625.), atque de *dysenteriae* hunc in canalem effectibus (§. 690.), jam diximus; ea, exceptis, quae *chirurgiae* forum respiciunt, hic loci sufficient.

§. 854. Cum retentionum mucoso-lymphaticarum, ad *corporis superficiem* et *extremitates* obviarum, pars vel maxima ad artem, quae manuum ope medetur, pertineat; — cum sub *exanthematum, impetiginumque* sub consideratione (Epitom. LL. III. et IV.) retentiones hujus indolis jam varias, quae tam cutem ipsam, quam telam, eidem substratam, cellulosam defoedant et opprimunt, exposuerimus; cum ipsas has epischeses, quae articulos vel circumdant vel explent, sub arthritidis ac podagrae expositione pertractandas nobis reservemus; — ac tandem, cum circa *indurationem textûs cellulosi* apud homunculos, vix utero exclusos, in orphanotrophiis potissime, dominantem, utpote ab aliis jam satis descriptam, nos ipsi non minus, quam isti, caecutiamus; ne moles libri praesentis absque fructu luxuriet, finem eidem imponimus. Ret. superficiei et extremitatum corporis.

Corrigenda:

Pagina.	Linea.	Errata.	Lege:
34	5	ex ulcerationem	exulcerationem
47	23	induxerint	induxerit
51	26	arca	circa
51	27	dinstar	adinstar
57	19	retentiore	recentiore
75	22	alia	alio
156	5	fovere	foveri
168	7	prodant	produnt
213	7	aptarum	aphtharum
221	1	generatio	degeneratio
256	1	muco-lymphaticae	mucoso lymphaticae
276	8	quaecunque	quacunque
288	7	haemorrhogias	haemorrhagias

MEDICINISCHE WERKE,

welche bey C. Schaumburg et Comp. in Wien erschienen sind.

Beer, Jos., Repertorium aller bis Ende des Jahres 1797 erschienenen Schriften über Augenkrankheiten. 3 Bände. 4. Wien, 1799. 4 Rthl. oder 7 Fl. 12 kr.

— — Methode, den grauen Staar sammt der Kapsel auszuziehen, nebst einigen anderen Verbesserungen der Staar-Operation überhaupt, mit 1 Kupf. gr. 8. Wien, 1799. 6 gr. oder 30 kr.

Bremser, J. G., über die Kuhpocken. 8. Wien, 1801. 6 gr. oder 30 kr.

— — — medicinische Parömien, oder Erklärung medicinisch-diätetischer Sprichwörter nebst der Nutzanwendung. Ein Nachtrag zum Gesundheits-Taschenbuche. 8. Wien, 1806. 1 Rthl. 8 gr. oder 2 Fl. 24 kr.

— — — ein paar Worte über die Scharlachkrankheit und die Masern. Allen Aeltern, denen die Gesundheit und das Leben ihrer Kinder am Herzen liegt. 8. Wien, 1806. 4 gr. oder 20 kr.

— — — über lebende Würmer im lebenden Menschen. Ein Buch für ausübende Aerzte. Mit 4 illuminirten Kupfertafeln, nebst einem Anhange über Pseudo-Helminthen. 4. 6 Rthl. od. 10 Fl. 48 kr.

Frank, J., Handbuch der Toxicologie oder der Lehre von Giften und Gegengiften. Zweyte verbesserte Auflage. gr. 8. 1 Rthl. oder 1 Fl. 48 kr.

— — Anleitung zur Kenntniſs und Wahl des Arztes, für Nichtärzte. gr. 8. Wien 1800. 14. gr. oder 1 Fl.

Frank's, J. P., Biographie, von ihm selbst geschrieben. mit seinem wohlgetroffenen Porträt. 8. Wien 1802. 20 gr. oder 1 Fl. 30 kr.

Y

Frank, J. P., System einer vollständigen medicinischen Polizey. 6. Theil 1. u. 2. Abtheilung. Auch unter dem Titel:

——— — Medicinalwesen 1. u. 2. Band. gr. 8. 7 Rthl. 12 gr. oder 13 Fl. 30 kr.

Dessen 6. Theil 3. Abtheilung. gr. 8. 1819. 2 Rthl.

——— Medicinalwesen 3. Band.

Gesundheits-Taschenbuch für das Jahr 1801 von einer Gesellschaft Wiener Aerzte, mit John Browns Biographie und Porträt. 8. Wien, 1801. 1 Rthl. 4 gr. oder 2 Fl.

Dasselbe für das Jahr 1802 von einer Gesellschaft Wiener Aerzte, mit J. P. Franks Biographie und Porträt. 8. Wien, 1802. 1 Rthl. 16. gr. oder 3 Fl.

Good, John Mason, über Krankheiten der Gefängnisse und Armenhäuser, aus dem Engl. mit Anmerkungen. gr. 8. Wien, 1799. 20 gr. oder 1 Fl. 30 kr.

Grohmann, R., Beobachtungen über die im Jahre 1813 herrschende Pest zu Bucharest. Als Beytrag zu einer tiefern Beurtheilung und glücklichern Behandlung derselben. gr. 8. 1 Rthl. oder 1 Fl. 48 kr.

Haekel, J. C., theoretisch-practische Abhandlung über Natur, Verwandtschaft, Vorbauung und Heilung der hartnäckigsten und langwierigsten Krankheiten für Aerzte und andere Denker. 2 Thle. gr. 8. Wien, 1807. 2 Rthl. 12 gr. od. 4 Fl. 30 kr.

Hamilton, A., über die Pflichten eines Feld- und Wundarztes. Aus dem Englischen frey übersetzt von J. Hunczovsky. gr. 8. Wien, 1790. 1 Rthl. 4 gr. oder 2 Fl.

Hosp, Chr., Dissertatio medico-chirurgica sistens diagnosin, et curam radicalem Trichiasis, Districhiasis, nec non Entropii. gr. 8. Viennae, 8 gr. oder 36 kr.

Jacobi, Fr., theoretisch-practische Gründe gegen die Anwendbarkeit, der vom Augenarzt Beer in Wien erfundenen Methode, den grauen Staar mit der Kapsel auszuziehen. 8. Wien, 3 gr. oder 15 kr.

Kern, Dr. Vinc.. Annalen der chirurg. Klinik an der hohen Schule zu Wien. 1. Band. gr. 8. 1807. 1 Rthl. 4 gr. oder 2 Fl.

Derselben. 2ter Band. gr. 8. 1 Rthl. 12 gr. oder 2 Fl. 48 kr.

Kleins, J. W., Lehrbuch zum Unterricht der Blinden, um ihnen ihren Zustand zu erleichtern, sie nützlich zu beschäftigen und sie zur bürgerlichen Brauchbarkeit zu bilden. Mit 6 Kupfertafeln, gr. 8. 3 Rthl. oder 5 Fl. 24 kr.

Pinel, Ph., philosophisch-medicinische Abhandlung über Geistesverwirrungen oder Manie. Aus dem Franz. von Mich. Wagner, mit Anmerk. und Kupfern. gr. 8. Wien, 1801. 2 Rthl. oder 3 Fl. 36 kr.

Pohl expositio generalis anatomica organi auditus per classes animalium, accedunt 5 tabulae lithographicae. 4. 1 Rthl. 8 gr. oder 2 Fl. 24 kr.

Portenschlag-Ledermayer d. ält., über den Wasserkopf, ein Beytrag zu einer Monographie dieser Krankheit, nebst einem Anhange, verschiedene Anmerkungen, einige Leichenöffnungen und einem Aufsatz über die Kuhpocken enthaltend. gr. 8. 1812. 2 Rthl. oder 3 Fl. 36 kr.

Quarin, J. L. B. de, Animadversiones practicae in diversos morbos. 2 Vol. 8. maj. Viennae, 1814. 4 Rthl. oder 7 Fl. 12 kr.

Reyland, B. J., medicinisch-practische Abhandlung von verborgenen und langwierigen Entzündungen. gr. 8. Wien, 1790. 14 gr. oder 1 Fl.

Ueberlacher, G., Untersuchungen über das Scharlachfieber. gr. 8. Wien, 1789. 6 gr. oder 30 kr.

Ueberlacher, G., über die Grundlosigkeit der ersten Schilderung der Röthel- und Kindsflecken von den Arabern. 8. Wien, 1803. 14 gr. oder 1 Fl.

Vetter, A. R., Lehrbuch der Anatomie des gesunden Menschenkörpers. Erster Band. Dritte vermehrte Auflage. gr. 8. 1 Rthl. 12 gr. oder 2 Fl. 48 kr.

——— —— Aphorismen aus der pathologischen Anatomie. Mit dem Bildnisse des Verfassers. gr. 8. 1 Rthl. 20 gr. oder 3 Fl. 15 kr.

——— —— Erklärung der Physiologie. 2 Bände. 2te vermehrte Aufl. gr. 8. 2 Rthl. 16 gr. oder 4 Fl. 48 kr.

Wagner, M., Beyträge zur philosophischen Anthropologie, Psychologie und den damit verwandten Wissenschaften. 1. Band. gr. 8. Wien, 1794. 1 Rthl. oder 1 Fl. 48 kr.

——— — 2ter Band. gr. 8. Wien, 1796. 21 gr. oder 1 Fl. 36 kr.

Zwierlein, K. A., der Aeskulap; für Bad- und Brunnengäste. 8. Wien, 1800. 1 Rthl. oder 1 Fl. 48 kr.

DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS
EPITOME
PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS RUSSIAE AUTHOCRATORIS CONSIL. STATUS ACTUALI ET MEDICO, ORD. I. S. GEORGI PRAEFECTO, MEMBRO REG. ACADEM. SC. ET COLLEG. MED. MATRIT. BOURBONICO-NEAPOL. GOETTING. MANTOVAN. MOGUNT. INSTIT. REG. GALLIAE M. CORR. FACULT. MED. VIENN. SOC. MED. PARIS. ARGENTORAT. VENET. HELVET. BERN. VILNENS. PATRIOT. MEDIOLAN. AGRICULT. BRIXIENS. MARSILIENS. ERLANGENS. PHYS. MED. AC HISTOR. NAT. MOSQUENS. OBSTETR. GOETTINGENS. LITERAR. CRACOV. UNIVERSITATUM I. I. VILNENS. MOSQUENS. CARCHOVIENS. CASANENS. M. HONOR. SOC. PHILOS. PHILIADELPHICAE IN AMERICA SODALI, CIVE BRISGOV. FRIBURG. HONORARIO.

LIBRI VI. DE RETENTIONIBUS,
PARS III.

VIENNAE, MDCCCXXI.

Sumtibus C. Schaumburgi et Soc.

Viennae, ex typographeo J. E. Akkermann.

DE
CURANDIS RETENTIONIBUS.
LIBRI VI. PARS III.

ORDO IV.

RETENTIONES CRUENTAE.

§. 855. Ubi corporis humani fluidum cruentum aut lege sexûs, habitudinis, morbi, secernendum, aut jam secretum, quà ratione oporteret, non excernitur, *retentionem cruentam* id genus vitii vocamus (§. 695). In libro de profluviis cruentis, et *congestionum*, *infarctuum*, *aneurysmatum* indolem, causas, effectus et prognosin exposuimus (§§. 561-574.); eodem vero jure hos morbos ad *retentiones cruentas* referri licuisset, nisi modo illam cruoris, qui dictas ad leges vel secerni, vel excerni debuisset, stagnationem, suspensionem, hunc retentionum ad ordinem revocassemus. Juvabit interim ea, quae illinc exposuimus, et cum illis conferri. Retent. cruentae definitio.

§. 856. *Prodromi*, quos aliae retentiones morbosae vix offerunt, *specifici*, sicut Molimina.

profluvia (§§. 583. 591. 598. 606. 613. 630. 637. 644. 645.), ita et ipsas *epischeses* cruentas, sub nomine *moliminum*, saepe praecedunt, aut saltem earundem *periodum* adnuntiant. Quare duplex, hoc retentionum in ordine, suppressionis natura est: una, scilicet, quae *profluvia*, — altera, quae ipsa simul *molimina* respicit: ut quorum cessatio, retentionum cruentarum illâ (non absque magna prognosis differentia) vix non ubique tardius subintrat.

Divisio. §. 857. Quae lege sexûs periodice nascuntur, suspenduntur, ac tandam abolescunt, secretiones sanguineae, earum quidem retentio, quousque hac a lege, menstruorum apud mulieres gravidas, nutrices, senescentes, exemplo, non aberrat, normalis est; quoties interim haec secretio vel tardius subintrat, vel parca nimis, vel magis aquosa, quam cruenta, vel cum difficultate absolvitur: ad retentiones cruentas ea, saltem *incompletas*, revocanda veniet atque morborum aut mater aut filia est. Ex hoc, retentiones etiam *cruentas*, ut aliae epischeses sunt, vel *primarias*, vel *secundarias* aut *symptomaticas* esse, satis elucet. Utraque vero ex istis, nunc *acutorum*

more profluviorum, cursu celeriore, — nunc vero, habitu *chronicorum* induta, lentius incedit; atque porro, nunc ex *virium* vel *superabundantia*, vel potius *jactura*, — nunc ex *locali*, seu organico *vitio*, — nunc vero ex *speciali constitutione* corporis, originem sumit. Etsi vero secretionum cruentarum, lege sexûs, habitudinis, morbi, salutarium, retentiones, quocunque corporis in puncto, ubi sanguis secerni suevit, contingere queant; potissime tamen eaedem ad cava et vasa *uterì*, *narium* et *recti intestini* locum inveniunt; atque has retentiones, prae aliis, hìc loci considerandas nobis assumimus.

§.858. Retentionum quidem cruentarum *Symptomata*, pro ratione organorum, in quibus eae sedem sibi diversam eligunt, varia esse oportet; sunt interim aliqua eorum, quae singulis in genere satis competant. Ac *primò* quidem, *molimina*, quae stabilitas hucusque cruoris secretiones praecedere solebant (§. 856.), his licet haud futuris, nihilominus fideliter subintrant, spemque aegrotantium, hoc modo, saltem per aliquot periodos, decipiunt. Tractu vero temporis, vel ipsa secretionum cruentarum mo- Symptomata generalia.

limina prorsus evanescunt, et pristinae earundem *periodi* omnis adeo deletur memoria. *Secundò*, sub retentionibus, tam adynamicis, quam sthenicis, quo loco illae subsistunt: repletionis, tensionis ingratae, nec non ponderis, caloris, saepe pruritûs, sensatio percipitur, atque vel nervorum consensu, vel constructionis analogae, vel denique vasorum sibi communium imperio, ad partes a sede retentionis tam vicinas, quam satis distantes, propagantur. Praeterea, secretione cruoris vel normali, vel morbosa, hoc ad organon suppressa, *tertiò*, haud raro sanguis, ab illo secerni cohibitus (nisu quidem in partem hanc, vel illam, vix secure satis determinando, *aetatis* interim diversae ratione, aut ad nares, aut ad pulmones, aut haemorrhoidales ad vias praecipue directo (quasi pro supplemento, aut aliud, eventu frequenter magis infausto, convertitur. *Quartò*, secretio cruenta, imprimis normalis et critica, celeriter et in integrum suppressa, dirissimos saepe visceris ita oppleti incendio, suppurationi atque gangraenae occasionem largitur; vel saltem, ubi minor parenchymatis ita infarsi resistentia est: ejusdem partis

duritiem post se relinquit. Est etiam, *quintò,* ubi secretionis, quae suppressa fuit, cruentae in locum, alia, nempe mucoso-lymphatica, viribus in longum inimica, — vel ad cutem impetigo, suo pruritu, imprimis nocturno, somnum atque refectionem vix non omnem excludens, succrescant.

§. 859. Si *causarum,* quae *profluvia* producunt, doctrinam vacillare, fassi jam sumus (§. 584.); de illarum, quae *retentiones in genere* progignant, cognitione non est, cur multum gloriemur; nec minus curta, in causis, quae *cruentas* concernunt, quam quae decem abhinc annis fuit (§. 698.), nobis est supellex. Sors medicae scientiae, hypothesibus innixae, eheu! talis est (interest autem, et saeculi decimi noni, et patriae maxime nostrae, in memoriam haec revocari) ut passibus modo retrogradis illam incedere, — et a sola nuditatis propriae conscientia eandem promoveri concessum sit. Quas Veteres cruentarum causas retentionum in partis adfectae *intemperiem calidam,* vel *frigidam,* in *bilem atram,* ac *sanguinem spissum, adustum,* aut *viscidum* posuerant: has aetas posterior, principiis, nunc mechanicis, nunc mathemati- **Causae.**

cis, nunc chemicis indulgens, praeter *sanguinis morbosam densitatem*, *acrimonias* diversas, vel in *emphraxi*, vel in *stenochoria*, vel in *thlipsi*, vel in *synizesi*, vel demum in *symphysi* quaesivit. Vitalis tandem principii, in corporis animalis functiones, tum sanas, tum abnormes, influxum, ex justis rationibus admittere coacti, in definiendo impenetrabili hocce principio, ac in erigenda nova, *nervorum* scilicet, tyrannide, sudarunt: quo regno vix non subverso, *chemia*, priore longe cultior, sceptro potita est; hujus interim dominio insidiatur jam *metaphysica*, et mysticum, sive prorsus aethereum sibi solium aedificat. Quodsi nobis, hac sub confusione opinionum vere babylonica, cum historiae naturalis parente exclamare liceret: „scrutare tu causas, potes enim, quae tanta miracula efficiunt; mihi abunde erit, si satis expressero quid efficitur;" sed in morbis hominum curandis, sanandis, quid sola aegritudinum, — cognitione earundem scaturiginis destituta descriptio? Sub velo quidem nimis denso, quam ut humani acies oculi hoc penetret, natura operatur; sed approximari ea hunc sinit, et casus fortuitus atque re-

petita, absque praeconcepta opinione, observatio, nisi ipsum hoc velum intuentibus elevet; sonora tamen satis voce intelligentibus loquitur atque, si fontem minime ipsum, — ejusdem tamen confinia, ex quibus ad istius indolem et directionem concludi queat, perlustrari concedit. Hanc igitur viam, de *causis retentionum in genere* loquentes (§. 698.), sumus ingressi, atque non modo tres, quas hucusque descripsimus, retentionum, id est, *aerearum*, *serosarum*, *mucoso-lymphaticarum* species (§§. 728. 748. 793. 808. 822. 828. 835. 845.), sed et illas, de quibus nunc sermo est, *retentiones*, scilicet *cruentas*, — quidquod ipsa *sanguinis profluvia*, his, primo aspectu, e diametro opposita (§. 466.), causas plerumque haud diversas, quod ex descriptione earundem speciali magis patebit, agnoscere, tam experientia, quam ratione mansimus convicti. Non paucae sane retentiones cruentae, *cordis vasorumque nimio a stimulo* nascuntur; numerus interim illarum facile maximus, *atoniam*, ac systematis nervosi sub ista, motus abnormes, pro causa agnoscit. Ex *vitio* demum *locali* hinc-

inde cruoris secretio, — saepius vero excretio, arcetur.

Prognosis ac therapia.

§. 860. Quo loco retentionum in genere *prognosin* exposuimus (§. 699.), eo quoque fata, quae cruoris, lege sexûs, habitudinis, morborum, secernendi, excernendi, suspensionem, stagnationem, sequuntur, simul indicavimus. Etsi vero causas hujus statûs abnormis, cum illis *profluviorum* saepe convenire monuerimus (§§. 466. 869.); utriusque tamen adfectionis vasorum *prognosis* differt in eo: quod, ubi *sanguinis profluvia*, quidquam conspicua, nec a plethora, nec a nimia cruoris, suos in canales actione exorta, *virium jacturam* inducunt; *retentio cruenta*, nisi prorsus jam exhaustis in subjectis, vitium contrarium, atque tam partium, cruoris secretioni, excretioni dicatarum, quam aliarum incendia, abscessus, et secretiones, consolidationes mòrbosas variae indolis, excitet. Sic etiam, quando *profluvia cruoris* copiosi aut ex viis insolitis, nobilioribus, praecipitati, mentem aegrorum vehementer concutiunt, ac motus nervorum, morbi characterem principalis obfuscantes, longeque a vero alienum mentientes, producunt; *retentiones cruentae*, imprimis ubi

nec secretionis molimina consuetae praecesserint, nec febris, nec dolores acuti sequantur, insidiose magis incedunt atque si graviter ferantur; non tamen animum dejiciunt, nec saltem tam promte nervos perturbant. Quemadmodum autem profluvia cruenta, retentiones hujus indolis saepe post se trahunt: ita quoque hae ipsae, haemorrhagias, tam ad retentionis sedem, quam aliam quamcunque ad partem, facile provocant. Propriam cuivis ex retentionibus cruentis prognosin, sub speciali earum consideratione exponemus.

Nec minus, quae *curandarum retentionum* praecepta generatim tradidimus(§.700), ea cum iis, quae *epischeses cruentas* universe concernunt, conveniunt, nosque in illa, quae *speciebus* praecipuis istarum sunt propria, nunc magis attentos, ne sub lectorum fastidio, tempus in repetendis principiis eisdem teramus, dispensant.

ORDO VI. GEN. I.

AMENORRHOEA.

Instituti ratio. §. 861. Quo hujus operis loco, tributi cruenti, soli foeminae humanae a natura impositi, redundantiam consideravimus: eo simul miri hujus phoenomeni, tam sani, quam abnormis, rationes, pro physiologiae, hypothesibus exemtae, paupertate, sat aequa bilance ponderavimus (§§. 641-644.); nunc autem de vitio, *metrorrhagiae* opposito, quod nosologi *amenorrhoeam*, *Menischesim Menostasiam Ischomeniam, dysmeniam*, vocarunt, nobis agendum est. Primum ex his nominibus, jure civitatis jam diu donatum, absque injuria in reliqua, et nos retinebimus.

Definitio Amenorrhoeae. §. 862. Est vero *amenorrhoea*, sanguinis, a genitalibus, ad leges aetatis, sanitatis, constitutionis, periodice secernendi, excernendi, aut morbosa retardatio, difficultas, paucitas, decoloratio, aut perfecta suppressio.

§. 863. Sexui utrique *aetas modo una*, et quidem inaequalis, a natura concessa fuit: quo vitae stadio tandem percurso, nec *virum*, nec *foeminam* vocari hominem, satis congruit. Orditur vero haec aetas *pubertatis* ab epocha; et facultate generandi, nullius morbi ratione, deposita, deletur. Pro coeli, temperamenti, educationis, tam physicae, quam moralis, alimentorum, potulentorum, ac vitae generis conditione diversa, otius vel tardius pubertas evolvitur (§. 641.); sed nullum, praeter genitalia, est organon, quod provida natura tot per annos, atque tam sollicite, *futuros modo, nec tamen seros vitae in annos*, incubet. Quodsi fervidioris coeli apud incolas, vel apud illos, quos praecocis exempla libidinis trahunt, genitalium magis festinet maturitas; non igitur his diuturnius, sed saepe brevius, quam septentrionis filiis, aut bene moratae utriusque sexûs juventuti, functionis istorum proliferae conceditur beneficium. Aliam vero longe pubertatem, quam solam *coëundi concipiendique* capacitatem, *reipublicae* integritas sibi exigit; nec illa cum ista, sed modo cum ea vitae periodo, qua suam corpus proceritatem ac Pubertas.

firmitatem attigit, atque tam procreandae, quam excludendae proli vegetae civicisque officiis quondam subeundis idoneae, par est, convenit. Neque cruoris per uterum secretio, excretio, licet aliquamdiu periodica, — neque istius, aliquot saltem a conjugio per annos, defectus, dum et teneras unius, trium quatuorve annorum puellulas has absolvisse; — dum et virgines, prima necdum menstrua expertas, nihilominus concepisse, exemplis, tam alienis, quam nobis propriis, constet (§. 641), *pubertatem* absolute ac ubique constituunt. Mulierem adeo trium jam prolium matrem felicem, quin unquam aut *menstrua*, aut *lochia* passa fuisset; in clinico *Ticinensi* instituto curavimus; tresve alias tractavimus uxores, quae lochia quidem, ut aliae, a partu repetito, — catamenia tamen ipsa, nunquam excreverant. Similia, quamplurima exempla referuntur ab aliis. Has igitur foeminas, fibra plerumque firmiore, mammis minoribus, et graciliore corpore instructas, quibus nunquam, citra salutis incommodum, menstrua fluxerunt, quasi virilem naturam induissent, *viragines* vocarunt. Fuit adeo, quae nisi ute-

ro ferret, menstrua nunquam experta est, mulier.

Concludimús ex istis; catameniorum adparitionem, unum quidem esse ex signis potioribus, quae de uteri evolutione, incremento, vasorumque ejus ad *irrigandum* hunc agrum, dispositione testentur; esse tamen uteros, qui, licet cruore necdum redundent cumque periodice effundant; germini tamen humano et concipiendo, et nutriendo, non minus aptos sese ostenderint; ac tandem, aliud longe, quamvis incognitum, *vitalitatis uterinae* principium, illi, quod caeterorum animalium in foeminis viget, non absimile, subsistere: quod, posita normali genitalium fabrica, tributum quidem his cruoris menstruum generatim imposuit; nec tamen idcirco ab utero quovis, eodem rigore atque *sterilitatis* perpetuae sub poena, sibi exigit.

§. 864. De catameniorum sub *graviditate*, ac *lactatione* suspensione *normali* hic silemus. Quamvis autem et *provectae aetatis* tristi privilegio, uterus tributo cruento eximatur; cum tamen foeminas haud paucas, vestigia istius longe magis, quam prima ejusdem impositio, adficiant; hujus quo- Amenorrhoeae divisio.

que retentionis, sub *amenorrhoeae senescentium* epitheto, mentionem injiciemus. *Abnormes* autem inter retentiones hìc praecedat prima cruoris ex utero virgineo laboriosa nimis, ac in longum ducta secretio, cui *amenorrhoeae tiruncularum* nomen imponimus. Sensu iterum largiore, non minus ad retentiones revocabimus, ubicunque cruor fluit quidem; sed ratione aetatis, constitutionis, moliminum, modo paucus, isque parum sincerus, pallidus aut prorsus mucosus, serosus, aut vero difficulter, excernitur: *amenorrhoeam stillatitiam, laboriosam*, nominabimus. Saepe menstruus fluxus non adeo suspenditur, aut justo parcior est, quam praescripta modo periodo tardius subintrat: *amenorrhoeam circumscriptam* adpellamus. Ubi vero in aetate, menstruorum secretioni destinata, haec ipsa mulieri, coeterùm sanae, sine excretionis eorundem obstaculo, vel nunquam fluxerunt, vel absque graviditatis aut lactationis rationibus, quin alia secretio vicaria suppleverit, pluresque per menses, aut annos, in totum disparuerint: *amenorrhoeam completam* nuncupamus. Aliquando ab *uteri vitio organico*, non tam congenito, quam ex mor-

bis, laesione praegressis, inducto, cohibetur ulterior cruoris in eodem secretio: atque haec nobis dicitur *amenorrhoea organica*. Ubi menstrua, jam secreta, mechanici ratione obstaculi, ex utero defluere nequeunt: *amenorrhoeam ex interceptione* vocabimus. Per *amenorrhoeam senescentium*, intelligimus, uterini sanguinis, inter annum aetatis quadragesimum circiter et quinquagesimum, haud amplius *menstruam*, sed hinc inde modo ac longe tardius, donec omnis cessaverit, sub salute mulierum frequenter ambigua, reverti solitam. Ubi ex cruoris inopia viriumque jactura sanguinem periodice secernere recusat uterus: *retentio adynamica*, — *hypersthenica* vero, ubi vires praedominant stimulusque cordis et vasorum aequo major, secretionem eodem in organo suffocat, nascetur. Nunc *subito*, nunc *lente* supprimuntur menstrua: atque primo in casu, plerumque morbi *febrilis*, *acuti*, aut pathematis animi fortioris, haec suppressio effectus, — aliquando et causa est; in altero vero, *chronica* facile adfectio retentionem aut inducit, aut ab eadem ipsa inducitur.

Amenorrh. tiruncularum.

§. 865. Quae de *amenorrhoea tiruncularum* jam diximus (§. 641.), juvabit ea, ut suo potissime loco, hic repeti; „Sub *genitalium,* futurum generationis ad opus, *evolutione,* in teneris puellis, dolores lumborum, ad pelvim continuati, crurumque lassitudo, phlogoses, rubores, capitis dolores, pustulae passim, et imprimis in facie, efflorescentes, oculorum splendor, pulsus celeres, robustiores, etiam dicroti, mammillarum tensiones ac celerius incrementum, summa animi sensibilitas, morositas, lassitudinis sensus, colici interdum dolores, humoris serosi, albicantis, per vaginam effluxus, adnotanda occurrunt. „Hisce symptomatis et alia in aliis sese adsociant, utpote: cereus totius corporis color, turgidula faciei constitutio, cum quadam inflatione, quae in palpebris, praesertim mane post somnum, conspectui se offert; respirationis, sub corporis motu, quamvis moderato, difficultas, cum pulsu arteriarum colli ac temporum valde conspicuo; ventriculi inertia, ructus, adpetitus ciborum depravatus, nausea, pica, malacia, soda, epigastrii ardores, vomituritio, vomitus, oscitatio, pandiculatio frequens, solitudinis amor, tristitia, faci-

litas in lacrymas, irascibilitas, somnolentia continua, insomnia terrifica, incubus, urinae mox aquosae, mox turbidae, extremitatum frigus, pedum ad vesperas tumor aquosus, lipothymiae, syncope, imprimis dum in locis publicis ac templis paulo diutius ac genubus inflexae, morantur; vertigo, aurium tinnitus, tensio nuchae, epistaxis, vel sanguinis alia ad loca congestio. „In nonnullis, a menstruorum suppressione tumores suscitantur periodice in brachio, vel alia in parte, rubicundi et dolentes, qui, sponte rupti, sanguinem stillatim, spatio aliquot dierum, egerunt; aut sine ruptura et profusione sanguinis, post aliquot dierum decursum, iterum sensim subsident et evanescunt." Puellae maturae ac vegetae, longe prius, ac menstrua proruperint, venam saphenam, singulis mensibus, et quidem in uno tantum pede prope malleolum, per totidem dies, ac in aliis menstrua solent, insigniter intumuisse, rubuisse, doluisse, postea vēro placide subsedisse, palluisse, conspeximus; atque tam hocce in casu, quam in illo, quo vix prima cruoris unda uterum deseruit, hìc vero, vel sine causa cognita, secretorio hoc ab opere destitit: tam tenera,

quam adulta in aetate, haud raro sanguis, aliam ad partem conversus, ex ista, e naribus, canthis oculorum, auribus, pulmonibus, ventriculo, intestinis, digitorum ex apicibus, ex uberum papillis, aliisque e locis, vel sine vasorum laesione, non minus in quibusdam, haud interim in omnibus, *periodice* destillat; vel alia secretio, serosa, mucosa, vel ad cutem impetigo, excitantur.

Chlorosis. Quodsi nunc majorem ad gradum hae turbae ascendant; morbus subnascitur, quem, *cachexiis* antehac adscriptum, non prius, ac saeculo decimo sexto, *chlorosin*, *febrem albam*, *amatoriam*, inepto partim nomine, vocarunt, ac non minus injuste (quod jam sex ante lustra publice docuimus) ad *specificae aegritudinis* dignitatem evexerunt nosologi. Primus hujus tituli auctor, diversarum regionum *vulgus* fuit: ut qui principalem hujus adfectionis characterem a *colore faciei* aegrotantium *pallido* et ex *flavo-viridescente*, *prasino*, quin tamen albuginea oculi flavesceret, petierat, ac *icteri* adeo *albi* nomine illam donaverat. Cum vero idem hic vulgus, quarundam sanitatem virginum, hoc modo adfectarum, a con-

tracto connubio reverti vidisset; ardenti istius desiderio has pridem laborasse, de multis praepostere conclusit. Quin autem in sic dicta chlorosi, nisi jam non parum provecta, *febrim* artis professores veram animadverterint; hanc tamen, ex pulsu aegrarum hinc inde abnormi, atque sub leviore licet vel corporis exercitio, vel animi pathemate, mox celeriore, nec minus ex frequente cephalaea artuumque constante lassitudine, huic morbo hic idem pseudomedicus attribuit. Ad foedum vultûs colorem quod attinet, ille sane et aliis, utriusque sexûs convalescentibus haud paucis communis est. Nec modo virgo jam nubilis, et floridae aetatis vidua, sed et, quae veneris nullum hucusque stimulum persensit, innocens puella, et hinc inde marito juncta mulier, et viri literati, et ipsi infantes, phoenomena, chloroticarum illis similia haud raro patiuntur. Non paucae omnino virgines, *chlorosi* detentae, *amenorrhoea* simul laborant; sed, quamvis id gravis de nosologia scriptor *anglus* negaverit, non tam raro tamen et aliis, et nobis, non modo puellarum, sed adultae quoque aetatis foeminarum, sub singulis chloroticae adfectionis phoenomenis, men-

struo tamen fluxu nequaquam destitutarum, exempla occurrerunt.

Concludimus igitur ex istis: non ex retentis novellarum menstruis *chlorosin* descendere; sed eandem non minus, quam ipsam *amenorrhoeam*, alterius causae, et quidem non unius (§. 873.), *effectum* constituere. Ac revera, ut praevie de istis hic loquamur, cum primi scriptores de *chlorosi* vix non omnes, ejusdem originem in sola asthenia quaerendam esse decreverint; non tam pauca, tum nos ipsi, jam novem ante lustra, in provinciis *rhenanis* tum postea quoque celebris scholae *Viennensis* clinicae, qui nos in ista praecessit, antistes, exempla chlorosis, ex causis, sub morbi principio, *adynamiae* prorsus oppositis exortae, habuimus. Quamvis nimirum pars chloroticarum longe plurima, causarum non minus, quam effectuum ratione, de *asthenici* morbi origine ac indole testetur, et quamvis „febrem albam *pulchrioribus* (delicatis magis) foeminis plerumque accidere" gravis quondam scriptor edixerit; est tamen (quod et ipse *Hippocrates*, aliique veteres medici potiores haud ignorasse videntur), ubi et in virginibus antehac succiplenis, floridis atque

fibra robusta instructis, hinc certe alio, ac in urbibus solent, modo educatis, ex nimia cordis et vasorum in stimulos admotos reactione, vel ultra aetatem remoram patiantur, vel parce ac difficulter nimis secernantur menstrua; ubi prima *chlorosis* phoenomena, ex virium vitalium *oppressione* magis, quam *suppressione*, scaturiverint; ac, demum, ubi, sicut de *anasarca* et *hydrope hypersthenico* diximus (§§. 734. 748.), sub methodo medendi stimulante, de die in diem augeantur morbi discrimina. Quaecunque vero *chlorosis* origo fuerit; *debilitas*, quae vel eandem produxit, vel stimuli morbosi effectus est, continuò augetur: febrem sibi lentam adsociat, ac tandem in obstructiones viscerum, in tabem, ac letalem in hydropem et convulsiones atroces terminatur.

§. 866. Non parum certe menstrua, diversas, quidquod easdem apud foeminas, ac in diversis regionibus, respectu *quantitatis*, *qualitatis*, ac *temporis*, quavis sub periodo sibi assumti, variant (§. 644. 648.). Amenorrhoea stillatitia.

Ad *primam* ex istis quod spectat, quamvis menstrui cruoris copiam physiologi, infideli nimis linteaminum, verendis supposi- Menstruorum quantitas.

torum, testimonio innixi, calculo subjecerint; nulla tamen hujus secretionis cruentae mensura, quae vel meridiei, et septentrionis uteris, vel illi unius ejusdemque modo foeminae, semper et ubique sit propria, habetur. Quae, subtiliore calculo haud indigens, experientia docuit, ea in paucis, quae archiater quondam caesareus exposuit, consistunt: „Lapponibus, inquiens, mulieribus parca, in calidis regionibus copiosiora prodeunt menstrua. In laxa temperie copia major, in stricto et robusto corpore minor. Quae lautis epulis et inerti otio fruuntur, diffluunt copioso sanguine menstruo, dum rustica mulier, quotidianis firma laboribus, pauculum tantum stillat sanguinis, sana tamen." Sed ipsa, quae menstrua jam pluries experta est, mulier, ubi haec solito parcius vel aegrius fluxerint, — imprimis vero, ubi iniqua retentionis symptomata successerint: fideliorem secretionis, sibi plus aequo subtractae, vel nimis laboriosae, mensuram habebit, ac inquirenti medico sedulo patefaciet.

Haec vero symptomata, pro gradu imminutionis menstruorum, pro modo illius, aut impetuoso ac subitaneo, aut lento, pro

causarum indole, ac pro constitutione foeminae hac vel illa, varia variaque erunt. Haud paucis omnino foeminis, menstrua, posteaquam viginti quatuor per horas fluxerunt, sine quavis functionum laesione, minuuntur, ac vix non disparent; sed altera jam die revertuntur suumque cursum rite absolvunt; sunt adeo, quae, se utero ferre, incertae, ignarae, supperaccedente nova menstruorum periodo prima vel altera, sanguinem quidem e vagina excernant; sed isto mox imminuto, suppresso, haud interrupta nihilominus valetudine gaudeant. Aliis quidem ut sine causa cognita, sic absque damno, una periodo parcius fluxerunt; sed altera liberius reversa sunt; ast vero, exceptis istis, pars major mulierum, quibus cruor menstruus more consueto aut parcior, aut magis aquosus, viscidus, ater, aut majore difficultate excernitur: a congestione sanguinis in vasis uterinis ac medullae lumbalis, vel symptomata retentioni uterinae *tirunculorum* propria (§. 865.), dolores imprimis lumborum, inguinum, quasi colicos, uteri tensionem, dyspepsiam, nauseas, praecordiorum angustias, cordis palpitationes, insomnia, fluorem album, adfectiones hystericas,

patitur; vel, ubi subitanea cruoris imminu-
tio, sensibiliores aut succiplenas apud ſoe-
minas, locum habuerit: inflammationis ute-
ri, ovariorum, pericula incurrit.

Qualitas. Respectu *qualitatis* menstruorum, cum
vel sanissimarum ſoeminarum illa, non mod
suspectae, sed *venenosae* adeo indolis ess
declaraverit antiquitas, ac nostro adhu
aevo, *germanorum*, hoc sub effluvio, *pur*
gari dicantur mulieres; non mirabimur san
quod hujus ac longe posterioris tempor
pathologi, etsi *Hippocrates*, „*sanguine*
ab uteris sicut a victima fluere" adve
terit; neglecta prorsus *causarum* dignita
longe majore, vel ex solo hoc infenso,
supponebant, humore retento, insigne
morborum muliebrium exercitum eloque
ter derivaverint. Quamvis autem foemina
sub fluxu menstruo, *odorem* aliquand
aestivo maxime tempore, spargant, ta
sibi, quam aliis, sibi vicinis, ingratum;
licet ob singularem hunc odorem celere
que sanguinis menstrui corruptionem, nost
adhuc aevo vir clarus „*halitus* quosda
(ex illo) simul emitti, qui in distans age
et fermentationem vini aut cerevisiae prod
cere possint", docuerit; ob rationes tame

quod exigua etiam sanguinis, licet purissimi, portio, vel internae superficiei uterinae adhaerens, vel deviante ab utero, suo in descensu impedita, vel inter rugas vaginae parumper restagnans, calore loci, alienum mox odorem assumat; — quod *halitus* ille, vel intra vasa uterina, vel extra generari dicatur, nec nostris, nec millenis aliorum cellis vinosis, quas bene mundas et a calore atmosphaerico sollicite satis custoditas, vel medio sub fluxu menstruo quotidie intrarunt foeminae, damnum unquam intulerit; — quod effectus menstrui retenti morbosos, vel absque suppositione halitûs infensi gratuita, explicare valeamus; ac, demum, quod foeminas, menstruorum sub fluxu *olentes*, ubi hic fluxus stagnaverat, hac a retentione haud gravius illis, quae hoc sub statu nares minus feriebant, laborasse, experti simus; obsoletae jam diu nulliusque in artis exercitio usûs, hypothesi nunquam adhaesimus. Esto autem *vitiosus*, qui, e massa humorum *sana*, secretionem *morbosam* in utero subivit, cruor! non tamen ideo, qui vasa, quorum actione perversa *secretus* fuit, jamjam deseruit; sed, qui ex uterino torrente ultro secernendus fuisset, sanguis *purus* in isto

retinetur. Praeterea sanguis menstruus, dum recte se habet, neque nimis tenuis, neque crassus nimis esse debet. Virginem *medio-lanensem* quondam curavimus, cui menstrua boni coloris ab anno et ultra, debito sub ordine jam fluxerant, cum ea tandem, loco istorum, *serum* tantummodo *pellucidum* atque copiosissimum, per quinque, sex menses, utero periodice funderet. Quod vero potissime notari meretur, est: quod, toties, ac hujus virginis tunica interior, sericea atque *coloris coerulei*, hocce a sero abundantiore penetrabatur: color hic, quin fasciae ex linteis, genitalibus suppositae, ullo modo rubescerent, illico in *roseum* transiverit. Foeminae, in *Ephemeridibus naturae curiosorum* exemplum habetur „ quae singulis mensibus, ordinariò haud sanguinem, sed materiam serosam, croceo coloris ex utero excrevit. Haec vero materia ubi linteamina tinxerat, nulla lotura delebilis erat, cum coeterùm bene valuerit, sed *sterilis* manserit haec foemina. Junioribus plerumque sanguis tenuior effluit, et loturae carnium recens mactatarum similis est. Senescentibus, crassior et magis nigrescens; in aetate florente, medio modo se se habet.

Coeterùm, ad *amenorrhoeam stillati-iam* et ea revocari meretur: ubi sanguis, non quidem ipso ex utero per vaginam, sed, ejusdem periodi ad leges, ex parte corpo-ris alia, modo *vicario*, secernitur (§. 865.). Est etiam, ubi non tam sanguinis ipsius, quam alterius materiae, serosae, mucosae, secretio, v. c. per alvum, pro menstruis, ut et nos observavimus, suppleat.

In genere vero difficultatis plena esse solet parca nimis, vel saepe interrupta, vel haud sinceri, sed aquosi, mucosi cruoris per uterum secretio: ut quam haud raro dolores capitis, ventris, regionis hypogastri-cae, lumborum crurumque immanes, ac turbae ventriculi atque nervorum conspi-cuae, tres quatuorve per dies, praecedunt; quibusdam vero et medio hoc abnormi sub fluxu continuant, vel adeo per dies aliquot eundem sequuntur. Non tam rarum est, sub gravis uteri spasmis atque doloribus, *pseu-domembranas*, *deciduae* apud puerperas similes, ex lympha morbose secreta oriun-das, cum sanguine menstruo excerni. Coete-rùm facilis hoc incompleto menstruatio-nis ab opere, in *medorrhoeam insontem* transitus est.

Spatium. *Spatium*, quo menstrua fluunt, non in omnibus idem esse, satis constat; quibusdam nempe, iisque apud nos haud multis, per duos, — aliis, tres, quatuor, quinque per dies; — non paucis, maxime autem urbium incolis, abunde nutritis, potulentis spirituosis, otio, vigiliis nocturnis, amatoriorum lectioni librorum, vel et veneri, choreis, magis deditis, per octiduum et ultra hic fluxus continuat. Et quidem fluunt menses nunc continenter atque confertim, ut fluxus paucis diebus absolvatur; interdum paulatim: ita ut iste quandoque remittat, et pluribus hoc modo diebus protrahatur. Quoties igitur solitum foeminae, neque *gravidae*, neque *lactanti*; neque *convalescenti* menstruorum hoc spatium immodice contrahitur, quin aut copia sanguinis uberius excreti, aut proximae periodi largitas suppleverit: toties aut *morbus* a retentione, aut saltem ejusdem *opportunitas* subintrat.

Amenorrhoea circumscripta. §. 867. Non magni ponderis aut ignotae rationes, menstruorum consuetum reditum una alterave die, quin foeminae aegrotent saepe retardant. Si tamen absque conceptionis suspicione, vel absque morbi alterius praegressi, praesentis, ratione, foemina

…ecdum ſenescenti, menstrua una alterave …aebdomada tardius redire incoeperint, nec …lia, vicaria secretio, ista suppleverit: *circum-* *…criptam* hanc amenorrhoeae speciem ad…cellamus. Plures hinc inde per menses vix …amnum ex ista percipit mulier et, sub ejus…em aetate jam quidquam provecta, impri…is si praematura quondam illi menstrua flu…erant, *retardatio* istorum, adpropinquan…um eorundem *cessationem* adnuntiat. Ali…r vero res in aetate foeminae bene nutritae …que florentis constituta est: ut cui, repe…a et diuturnior menstruae periodi violatio, *…menorrhoeae completae* discrimina mi…ttur.

§. 868. Mulierum, *sine menstruis* non …odo *sanarum*, sed quoque *fertilium*, exem…a nobis propria retulimus (§. 863.); atque …milia, certe non tam pauca, medicorum …ti loquuntur. Hoc interim non impedit, …in virgo aut mulier, viginti jam annis …etudinis intactae transactis, hunc uteri …xum necdum experta, de *sterilitate* sus…ecta sit; atque istius *amenorrhoeam*, ma…nae si nequidem menstruorum *molimina* …856. 865.) unquam comparuerint, ad *re…ationes* referri, rationi repugnat. Alia

Amenorrhoea completa.

vero ratio erit, ubi bene constituta et satis adhuc juvenis foemina, menstruorum molimina periodica, vel ipsa adeo menstrua, jam semel, aut pluries, licet exigua modo copia, experta, his ipsis, quin alia secretio vicaria suppleverit, et quin morbus alius, chronicus, ea suspenderit, in integrum caruerit quo quidem in casu, non omnes sensibili modo aegrotant mulieres; pars plurima interim earum, symptomata jam descripta (§§. 865. 866.), vel et magis ominosa, inprimis infarctus, obstructiones viscerum, potissime uteri, ovariorum, fluorem album, haemorrhagias, maxime haemorrhoides (§. 614.) pneumonorrhagiam (§. 608.), dyspnoeam asthmata, phthises, hydropes, hysterismum graviorem, febremque denique lentam experitur.

Amenorrhoea organica.

§. 869. Foeminis hinc inde ex *vitio genitalium internorum congenito*, menstruorum secretio deficit: atque huc, ut sectiones pathologicae non tam paucae docuerunt, uteri, aut solius, aut tubae, ovariorum defectus aut illius monstrositas, parvitas, tenuitas abnormes pertinent. Nos ipsi mulierem adultam, menstruis semper destitutam, ac sterilem, in clinico *ticinensi* instituto trac

tavimus, cujus uterus molem, nuce avellana nequaquam majorem, explorantium digitis obtulit; atque hunc menstruorum defectum organicum, classi *retentionum* subjugari, non convenit (§. 865.). Quandocunque autem organicum uteri vitium, non tam congenitum, quam casu *adquisitum* est, et ante violentiae externae, aut morbi influxum secretio menstrua locum invenerat; toties, ubi praecox istius functionis abolitio successerit, *amenorrhoeam organicam* subintrasse dicemus. Frequentiorem hanc longe, quam *congenitum* menstruorum defectum, esse, nullus dubitabit, qui ad *amenorrhoeae* fontem uberrimum, ad morbos scilicet uteri ex lapsu, contusione, partu difficili, artificiali, incauto instrumentorum ex usu, ex violenta placentae extractione, ex abortivis remediis, vel, demum, ex metritide, ex ulceribus siphyliticis, aut aliis, ex medorrhoeis chronicis, ex injectionum adstringentium, vel ex spirituosorum, sub istis, aut sub metrorrhagiis, abusu, ex concretionibus steatomatosis, polyposis, osseis, ex induratione, etc., oculos converterit: ut quibus a causis praecipue interna uteri, secernendis menstruis dicata, superficies vim

patitur, infarcitur, obliteratur, cicatrices, callositates, contrahit, comprimitur, extenditur suaque vitalitate destituitur.

Amenorrh. ex interceptione.

§. 870. Sub normali genitalium constitutione, cruor menstruus, ex utero, per ejusdem *cervicem* ac *orificium*, in *vaginam* defluit, istius per *ostium*, *pudenda* praeterlabitur; atque sic, brevem quidem, sed, aut fabricae *a nativitate vitiosae*, aut *morbi localis* effectu, scopulosum in pluribus alveum percurrit, et quibusdam in foeminis, ex parte, — in aliis vero, in totum arcetur.

Amenorrh. ex labiorum vulvae symphysi.

Nunc etenim neglecta saepe, in tenera imprimis puellarum infantia, laesionum, ambustionis, inflammationum, suppurationum, excoriationum, maxime a variolis, sicut, adultas apud foeminas, a partu laborioso, ab ulceribus venereis, actione, *labia vulvae symphysin* ineunt, inter se concrescunt, atque vaginam obducunt. Tali vero in casu, *pseudomembrana*, labia pudendi, inter se coalita, aliquando investiens, vix non omnem sinum foemineum, ad ipsum urethrae ostium usque, obtegit, atque lotii, retro illam membranam defluentis, portionem intercipit, per vaginam ascendere

cogit istamque, cum irritatione, tumore, dolore, et intestini recti compressione, distendit, excoriat.

Nunc autem, ut observatio docuit, *tumor* genitalium externorum, canalem hunc comprimit, coarctat, obturat. Nos ipsi, 50 ante annos, *Rastadii*, in foemina juvene, *hydropem nymphae* dextrae sat insignem curavimus: qui tumor, nisi mature satis, scarificando, eundem deplevissemus; similem certe effectum habuisset. **Amenorrh. ex compressione.**

Frequentius ipse *vaginae introitus*, labiorum sine culpa, nunc ex parte, nunc omnis, — atque iterum ex *vitio* aut *congenito*, aut *accidentali*, angustatur, obvelatur, clauditur. Quadruplicis vero indolis viarum, ad uteri cavum clausarum, genus est: vel in *orificio*, nempe, *vaginae*, vel *intermedio* hujus canalis in *loco* (*atresiam* graeci duas hasce species vocarunt), vel ipso in *uteri orificio*, vel, demum, in ejusdem *cervice*, positum. **Amenorrh. ex viis in uteri cavum clausis.**

Ac primò quidem, *vaginae ostium* quibusdam in virginibus ab *hymene* perfecte clauditur. Sic, ut *acta* physico medica referunt, „ex hymene imperforato, tumor ventris, quasi in gravida sex mensium, in **Ex hymene imperforato.**

virgine 15 annorum nascebatur, cum sanguis retro hymenem collectus, genitalia distendisset. Atroces aderant saepe lumborum, et imi ventris pudendorumque dolores; peregrinum quasi corpus aegra in istis persentiebat; anxietas misere puellam adflixerat. Secto hymene, sine animi deliquio, quinque librae sanguinis, *non* foetidi, nigri, crassiusculi, profluxerunt, singulaque symptomata disparuerunt." Simile unus ex nostris auditoribus, ante 43 fere annos, *spirae*, in virgine, quam omnes impraegnationis accusaverant, observavit nobisque retulit. Secto hymene, sanguinis, *nec minime corrupti*, ad plures mensuras, sub lipothymia tandem insecuta, effluxit, ac innocentis puellae honorem salvavit. Non in omnibus interim sanguis uterinus, ab hymene interceptus, diuque in utero atque vagina detentus, ut exempla docuerunt, corruptionis et foetoris insignis immunis fuit. Apud plures, *foramen* in hymene superest: quo subsistente, vel a membro virili, minus crasso, atque hymenem magis reclinante, quam lacerante,— vel a sola seminis virilis aspersione, hymene coeterùm licet integerrimo, impraegnatio tamen locum frequenter habuit.

A duplici quasi hymene, vaginae ostium in quibusdam defensum fuisse, detexit anatome; sed vel unus ex istis, penitus illud occludens, infestum cruoris ex utero descensui obicem ponit. Eodem effectu, in aliis, haud adeo membrana, quam excrescentia, carni similis, vaginae orificium occlusit; atque eandem, in longum extensam, imaginem *caudae* obtulisse, scriptores antiqui, ab uteri *polypo*, aut *vaginae prolapsu* forsitan delusi, testati sunt. Coeterum et sauciatum, a partu laborioso, vel erosum ab ulcere varioloso, siphylitico, nec a mutuo contactu satis defensum, vaginae orificium concrevisse visum est.

Ipse, ad quem hoc orificium conducit, canalis, a recto tramite subinde aberrasse, atque in his, omnino defuisse, — in illis, modo *incompletum*, — in aliis *duplicem* exstitisse, — hic, *in rectum intestinum hiasse*, — illinc, a *sepimento*, quasi carneo, mox in longum, mox in latum, divisum, aut a *polypo* repletum fuisse ac, demum, in aliis, ex causis iisdem, quas ostium ejusdem obturasse diximus, *coaluisse*, concrevisse, conspectus est. Viginti annorum virgo, ob insignem ventris tumorem, ac

Amenorrh. ex vagina impervia.

dolores atroces cum convulsionibus, anno 1799 ad nosocomium *vindobonense* delata fuit. Os uteri, in sinistra parte pelvis, cum vagina concretum detexit, atque ope sectionis adperuit chirurgus egregius, et mox cruoris, haud putridi, octo circiter librae profluxerunt. Cessarunt nunc enarrata symptomata, ac ipsa adeo menstrua, debita periodo, bis insecuta sunt. Vulnere interim oris uterini, aliquot post menses, denuo coalito, retenta iterum fuerunt menstrua: quam ob rem operationis chirurgicae repetendae subintravit necessitas, cujus tamen exitûs, ad nos non pervenit ulterior notitia. Eodem in anno, atque hoc ipso in nosodochio, foeminae juvenis *vagina concreta,* posteaquam menstrua exinde plures per menses retenta, et uterus cum vagina, sub magnis ventris ac lumborum doloribus, valde expansus fuisset, ab eodem chirurgo feliciter adperta, et sanguinis, *minime olentis,* quantitas magna evacuata fuit. Alio in exemplo, ablato, quod vaginam obturaverat, obstaculo, *duodecim* sanguinis *libras* per istum canalem effluxisse, legimus. Ubi igitur „loci muliebres circa ipsorum os clauduntur, vel ex praecedente exulceratione,

vel indurata ibi inflammatione," φίμωσιν, seu *phimum*, graeci vocebant. Plura *vaginae* tam *angustae*, ut ea nequidem calamum scriptorium admitteret, exempla habentur. Quamvis interim mulierem ita constitutam non modo concepisse, sed partum quoque maturum, praeter spem, exclusisse, referatur; rara tamen in aliis haec felicitas erit, ac ubi arctiorem per vaginam in statu sanitatis menses excerni adhuc licet; vel minore illius a phlogosi, intumescentia, hic effluxus omnino arcebitur. Angustam et regnantem quondam, *germaniae* familiam, eo quod penultimus ejusdem haeres, ab uxore, hanc vaginae ob summam angustiam sterili, separari recusaverit, exstinctam fuisse, doluimus. *Vaginalis* quidem *hernia* sat raro huncce canalem adeo, ut menstrua per illum defluere impediat, comprimit; cum interim illa, ad capitis infantilis molem adaucta, ut exemplum docuit, vel ipsum partum cohibuerit: cruoris etiam menstrui ex utero descensui ea obstaculo erit. Similes effectus aliquando et saccati inter intestinum rectum et vaginam tumores habebunt.

Amenorrh ex ore ute ri clauso.

Haud multo felicior *oris uterini*, vel a nativitate, vel a morbis, laesione, conditio

est. Nunc etenim illud a *membrana*, a diversae indolis *tumore*, tuberculo *vicino*, *verrucis*, clauditur; nunc *labia ejusdem*, ne a se invicem separari ac cedere queant, crassitie, duritie, peccant; nunc ab inflammatione, ulceribus praegressis, plus minus *coaluerunt*; nunc ex *obliquitate* conspicua *uteri*, orificium simul ejusdem *parieti vaginae* laterali vel huic, vel illi strictius adprimitur, ac sub inflammatione istius, vel propria, cum eodem *connascitur*, deletur. Unde jam *Hippocrates*, „si uteri *obliqui* fiunt, inquit, etiam *os* ipsorum *obliquum* fit, et menses ipsi nunc occultantur, nunc prius apparentes evanescunt: et non similes fiunt, sed deteriores et pauciores quam antea, et genitura non fit hoc tempore, et dolor habet imum ventrem, et lumbos et coxam." — „Si *obtorti* fuerint *uteri*, et menses non fiunt, et genitura non manet intus, et dolor habet imum ventrem, et laterum mollitudines, et si digito contigeris, os uterorum attingere non poteris, nam fortiter secessit." — „Quibus os uteri durum est, iis arctetur necesse est." His addidit posterior *graecorum* medicus: „Quantum ad ipsum uterum, conclusiones, cervicis

ejusdem distorsiones, durities, inflammationes, macies, resolutiones, perfrigerationes, distentiones, atque aliae hujusmodi adfectiones considerandae sunt. Et insuper attendendum, an aliquid, uteri os obturans, sanguinis exitum impediat. Callositates enim istic exortae, aut carnis excrescentiae, aut pinguedinis copia, saepe purgationem prohibent. Aliquibus etiam statim a principio pellicula quaedam circa collum aut osculum uteri adnascitur, quemadmodum his accidit, quae *imperforatae* adpellantur. Et tales curari non possunt, nisi pellicula illa, locum obturans perforetur, aut resecetur. Aliquibus etiam ulcerum cicatrices, oscula vasorum in utero excoëcarunt, quae penitus incurabiles sunt. Quibusdam post abortum uteri os exulceratur, ac deinceps ad cicatricem perducitur, atque sic obturatio supervenit, quae tum alias vulvae transpirationes impedit, tum sanguinis excretionem prohibet."

Cervicis uterinae morbos, ex retentione **Amenorrh. a cervice uteri clausa.** mucoso-lymphatica pendentes, et nos descripsimus (§. 845.), atque hi ipsi, sanguini menstruo viam ex matrice in vaginam praecludere queunt. In virginis cadavere, sum-

mus de sedibus et causis morborum scrip-
tor, ad intimam *cervicis* membranam, *val-
vulam* morbosam, oris uterini aditui adver-
sam, detexit. Mulieris, in *actis suecici*
exemplum refertur, quae, post decem
foetu excluso menses, vehementes, quas
a partu instante, dolores experta, obstetri-
cantis digito *vesicam* in vagina obtulit, illi
quam aquae, infantili capiti nascituro praeviae
constituunt, in omnibus, nisi quod crassio
fuerit, persimilem. Atqui *os uteri*, utpo-
te *concretum*, distingui haud potuit; se
sola *uteri cervix*, a collectis in utero men-
struis, valde extensa, hanc tensae specie
vesicae in vagina efformaverat. Haud infre-
quenter *cervix* cum ore *uteri scirrhosa*
menstrui sanguinis excretioni resistit.

Amenorrh. ex uteri culpa. De vitiis genitalium organicis locuti jam
sumus (§. 869.); juvabit nihilominus, qu
loco de *utero* speciatim sermo est, his quae
dam, notatu digna, superaddi. Ac prim
quidem, etsi sanguis uterinus, embryon
nutritioni inserviat, atque praegnantibus, i
genere, menstrua haud fluant; non tame
ideo uterus, solius foetûs admissi gratia, se
cretionem menstruam suspendit; sed, *ho-
pitalitatis* jure longe magis extenso, re

lle quamcunque, suo sinu susceptam, ea-
em liberalitate incubat ac, prout illa
ndiget, vel nutrit, vel auget. Sic, modo
cervix uterina haud cedat, sed fidelem eo-
um, quae uterus continet, custodiam ge-
at: vel taenias hydatigenas, vel aquas, vel
ruorem, vel aërem, vel calculos, concre-
iones osseas, vel steatomata, sarcoma, po-
pos, ille concoeperit; haec singula, abs-
ue differentia, amplectitur ac, mole con-
ntorum indies aucta, quò amplo satis do-
icilio ista retineat, quasi alas gallina suas
per ova, etiam non sua, se ipsum expan-
t non modo; sed menstruam quoque se-
etionem, eadem, ac in propriam prolem,
ritate suspendit. Est quidem, ubi cervix,
tensis vel maxime uteris, suo *janitricis*
fficio renunciet, ac non modo liquidis, il-
ic coërcitis, fugam, sed et polypis exitum
ncedat; sed antequam haec locum ha-
ant; amoenorrhoea, sicut in praegnanti-
s, continuat; et quamvis polypus ad va-
nam descenderit: simul ac huncce cana-
m ille omnem repleverit; non minus, quam
cervice, largiore sui parte, haerens, men-
uorum excretionem impediet. Simili pror-
s ratione, ab *uteri* quoque, in virgine,

prolapsu, excretionem secreti jam menstru cohibitam fuisse legimus. Vel solis a *fas-ciis*, genitalibus, sub fluxu mensium abun-dantium, quidquam arctius adstrictis, hun fluxum, apud virginem, semper vix no suppressum fuisse, observavimus; ac revera *cruoris*, in uteris retenti, *coagulum*, qui pars illius adhuc fluida, ore uteri sat prom-te effluat, haud raro impedit. Nec minu *ulcera uteri* magis expansa, et reliquae e istis, forsitan sanatis, *cicatrices*, — eju-dem visceris *induratio*, et cartilagine quandoque *callositas*, secretiones menstrua facile praepedient. Revocanda hùc est *ute-ri retroversio in foeminis haud gravidi* qualis, ante triginta jam annos, *Ticini* nobis primùm observata, et posthinc a aliis aliquoties conspecta fuit. *Compress* quoque *uteri externa* per quemcunque t-morem, huic visceri adnatum, vicinum, v per adipem quamplurimum, secretion uterinae suppressioni occasionem dedit; a que hùc etiam *extensio uteri magna* in lo-gum et ad latus hoc vel illud pelvis, per-net, qualem nos, *Ticini*, sub enormi ov-rii tumore, observavimus.

§. 871. Et vix *pubescentis*, et *senes-* Amenorrh. senescentium.
centis foeminae uterina metamorphosis, len-
ta plerumque ac ardua, — ista interim, illâ,
in plurimis, et lentior, et difficilior, et si-
mul magis inordinata est: quam ob rem, hac
foeminineae aetatis sub epocha, *mortalita-*
tis, hunc apud sexum, non parum auge-
tur proportio. Qui tam flebilis rationem
phoenomeni reddere conati sunt: illi, quem-
admodum menstrui fluxûs in foemina *huma-*
na originem in concessa eidem, pro foetu
nutriendo, *cruoris superabundantia* (qua
tamen, idem generationis ad opus, haud
indigent brutorum foeminae) quaesiverant:
ita et *senescentis*, sanguinisque uterini secre-
tione orbatae mulieris incommoda, ex *ple-*
thora derivarunt. Quamvis autem in laute
nutritis ac succiplenis foeminis haec locum
haud raro habeant; longe tamen abest, quin
functionis in visceribus (in thymo, in re-
nibus succenturiatis, in uberibus ac in ute-
ris, per annos bene multos adhuc *victuris*),
mortem praematuram explicare valeamus;
que plerumque, *effectum* in his pro *cau-*
sa declarando, docte deliramus. Pars qui-
dem mulierum conspicua, aetatem, qua
evanescere menstrua solent, adepta, his,

post inordinatum eorum per aliquod tempus decursum, uno alterove mense, suspensis, eorundem denuo a fluxu, plerumque tunc magis copioso, prehenditur. Sequitur, hanc inter atque futuram menstruationem, intervallum nunc longius: ita, ut non paucae, sub isto, foeminae, praegnantes se esse, persuasae, novae prolis ad partum sese sollicite praeparent, ac medici, hoc de eventu forsitan prolata dubia vel gravissime ferant. Nec erroris in judicio, huic ignominiosi, semper, quod moneri hìc juvat, deest occasio. Sic, ante novem circiter lustra, principis regnantis, *germani*, uxor, vix non quinquagenaria, menstruis jam per tres anni partes destituta, quod et pedes eidem non parum ab aquis intumuerint, et quod non pauca de praesente simul ascite symptomata adfuerint, suis ab archiatris, pro hydropica declarata, robustum tandem, attonitis adstantibus, filium peperit. Post annum, similia succedunt: gravidam esse, medici enuntiant, et, en! — montis parturientis mox scena ab eadem, sanguine exhausta, tristissimo fato repetitur. Nec *ubera* semper praeconceptam senescentis mulieris de novo fertilitatis propriae argumen-

to, opinionem confundunt; sed, ad relatum uteri, saepe nimis creduli, exemplum, et ipsa saepe tument, sororiantur ac inutile molae, aut sanguini coacto, colostrum praeparant. Atque sic a prima menstruorum apud senescentes emansione quidquam protracta, fere singula praegnationis, plus minus molestae, symptomata, — apud illas, quibus antehac cruor ex uteris copiosus, aut cum difficultate majore fluebat, fortiora: oppressio scilicet ventriculi, dyspepsia, nausea, vomituritio, vomitus ipse, languor, gravitas corporis, calor, tensio, dolor lumborum, regionis uterinae, coxarum, lassitudo crurum, venarum haemorrhoidalium inflatio, tenesmus, et sanguinis non minus ad caput congestio, vertigo, tinnitus aurium, surditas, melancholia, hysterismus, succedunt. Quodsi nunc tandem sanguis, orificium uteri, sub spasmis atque doloribus, penetret: *metrorrhagiam* (§. 644.) ille in multis aemulatur, saepius grumosus et pseudomembranis intermistus, expellitur, atque de facta jam pridem ejusdem, in cavo uterino collectione, ac de praegressa ibidem leviore phlogosi, testimonium largitur. His interim, post octo vel plures post dies, ab-

solutis, praeter debilitatem, a qua lentius resurgitur, coctera sat prompte sedantur salutis incommoda; donec tres, quatuor, aut sex adeo post menses, semel aut iterum similia recurrant, ac optatus tandem secretioni uterinae, saltem cruentae, finis imponatur.

Atque sic mirum illud phoenomenon, quo foemina humana, ab animalium brutorum illa, generandae prolis in finem, distinguitur, descripsimus. Qua vero ratione menstruae secretionis opus, multis a foeminis, quae nec laute nimis vivunt, nec urbanarum sororum otio ac vitae tumultuosae aut voluptuosae sunt deditae, tam laboriose, aut cum tanto cruoris dispendio neutiquam absolvitur: ea quoque mulieres non paucae, aut constitutionis propriae, aut morborum praegressorum injuria, aut vitae generis culpa, sub instante menstruorum cessatione, majora longe discrimina incurrunt. Quae vero sub tam ominosa mulierum positione, easdem exspectent miseriae, has *metrorrhagiae vetularum* sub nomine, jam satis exposuimus (§. 648.).

Amenorrh. adynamica. §. 872. Amenorrhoeis illis, quas e *vitio organico*, et ex *interceptione* oriri, — ac

partim illâ *senescentium*, exceptis, coeteras vix non omnes *adynamicae* indolis esse, communis fere medicorum hucusque fuit opinio; ac revera, tam symptomata (§§.865. 866. 871.), quam causae, quarum effectu hi morbi nascuntur (§. 873.), ac ipsa medendi ratio, pluribus ex illis proficua (§.875.), id saltem, quod pars longe major retentionum illarum, *debilitatis* e fonte propullulet, confirmare videntur.

Quae interim jam occasione *chlorosis* diximus (§. 865.), ea certe medicos, in artis exercitio (non modo urbanas, sed et rusticas inter mulieres) satis amplo versatos, latere non possunt: esse nempe, potissime inter has ultimas, virgines, et mulieres juvenculas, fibra robusta instructas atque succiplenas, quae, menstruorum secretione, aliàs abundante, ex nimia cordis ac vasorum excitatione aliquamdiu privatae, vel ipsam demum in chlorosin graviorem inciderint, morbumque, methodo medendi cuivis stimulanti longos per menses non solum recalcitrantem, sed, nisi ab hac demum destiterint, in viscerum obstructiones, vel et, sub febre acuta, in diras uteri, ovariorum inflammationes conversum, sibi obtulerint. Amenorrh. sthenica.

Qua nempe ratione vel ipse interdum *hydrops* (potissime acutus, sed aliquando et chronicus), *hypersthenicam* indolem agnoscit; ut cujus exempla non aequivoca retulimus (§. 748.): eâ certe et ipsa amenorrhoea, et quae hanc sequuntur, mala, eodem e fonte scaturiunt.

Amenorrh. causae.

§. 873. Sed ipsa *causarum*, quae amenorrhoeas producunt, consideratio, quam facile hujus morbi (sine dubio ex virium inopia saepissime oriundi) falsa *adynamiae* sub imagine medicis imponat, docebit. Quo loco de *metrorrhagia* et praevie de *menstrui fluxûs* in sola foemina *humana*, origine disseruimus (§. 641.), fassi quidem sumus: nec abundantiam sanguinis, foetûs nutritioni dicati, nec tortuosum arteriarum in utero incessum, ac majus illinc venarum robur, nec denique plethoram in utero localem, quod illa alterius principii *effectum* potius, quam *causam* sistat, hunc nodum solvere; atque haec nostra tanti argumenti physiologici inscitia, pathologicarum cognitionum pauperiem, qua circa ultimas amenorrhoeae causas laboramus, omni sine fuco prodit. Nec tamen haec nostra et aliorum, qui scientiae confines medicae contra-

here satagimus, confessio, ejusdem scientiae detrectatoribus quid conferet: cum vel ipsi *astronomi*, causarum licet, quae *gravitatem* et *attractionem* regant, ignari, ex ignoto quidem, sed factis innixo, tali principio, non minus fructiferas generi humano conclusiones deduxerint. Velo scilicet nimis denso, naturae oeconomia involvitur, atque tam parum, *cur*, lege illius, *vix pubescenti virgini menstrua fluant*; quam *cur senescenti mulieri fluere desinant?* perspicimus. Hujus ultimi quidem phoenomeni rationem, stricto nimis et quasi subcalloso foeminae, provectae quidquam aetatis, in utero quaerunt; sed *effectum* hìc iterum cum *causa* confundunt, ac mechanicae medicinae principia nimis haec explicatio olet. Ut vero haec naturae arcana, quam prope his nos adpropinquari licet, contemplemur: *normalium*, prae aliis, ac demum *morbosarum* amenorrhoearum, quae his proximae sunt, causas rimabimur. Ad primas, menstruorum apud *praegnantes* atque *nutrices* emansio, — ad istas, amenorrhoea *ex morbo praegresso*, aut *per evacuationes alias* inducta, pertinent.

Am. gravidarum. Quae rationes uterum, aut foetu, aut corpore quovis alio, gravidum, ne cruorem a mense in mensem secernat, inducunt, sunt: superficiei ejusdem internae, secretioni praefixae, occupatio, compressio; parietum uteri successiva extensio, ac vasorum illius major explicatio, expansio, libertas. Quod cruoris, quasi humanae modo mulieri, *superflui*, a foetu consumendi ratio hic vel minime subintret: brutorum nos foeminae animalium, quae hocce subsidio, suos ut foetus sustentent, haud indigent, evincunt.

Am. nutricum. *Uteros nutricum* non tam ob cruorem, ab illis ad ubera directum, quam ob *secretionis vicariae* officium, ab his sibi assumtum, arescere: similis illorum, in apices digitorum, vel alias in partes, ubi suam his functionem periodicam cedunt ac injungunt, indulgentia testatur.

Am. a morbis. Menstrua, graviore *sub morbo, sub convalescentia* ab isto, vel *a sudoribus*, aut *ventris fluxu* copiosis, plerumque *suspendi*, nec antiquos latuit, ac a simplici *ptyalismo*, a *venaesectione* administrata, similia haud raro succedunt. Ex eo, quod morbi vix exantlati, aut facta humorum, alia per colatoria, fuga, *cruorem superfluum*

consumserint, haec fieri, et quod alias quoque secretiones vel sola debilitas frequenter suspendat, cum specie veritatis praetendunt. Sic conspicuus *graecorum* medicus, „ex thorace, inquit, sanguinem rejectantibus, et quibus ex venae sectione multus sanguis evacuatus est, menses supprimuntur. Sed et reliqua excretionum genera saepe faciunt ut menses intercipiantur: velut est multus sudor, assidui vomitus, alvi profluvia, saniei copia alicubi prodiens, pustularum omne genus per cutem erumpens. Sistunt item menses morbi acuti et magni, et alimentorum vel infra, vel supra modum ingesta." Ast vero, dum eidem *debilitati*, profluvia quoque cruenta partim adscribant; hac minime exclusa, dubitari saltem licebit, num sola haec *debilitas*, num vero simul *mutata*, per secretiones abnormes, corporis foeminei organique uterini, ad officia sibi periodice imposita *conditio*, minus mechanice hos effectus producat.

Inter suppressionis menstruae, potissime *subitaneae*, causas, violenta animi, sub *ira*, *terrore*, *metu*, *tristitia*, commotio, ex communioribus una est. Vel sola juvencularum innocentium, menstruationis circa legem, a

matribus haud satis mature informatarum, *erubescentia* et *pudor*, quod, ob sanguinem inopinantibus sibi per crura defluentem, altos in clamores prorumperent, risusque modo adstantium indiscretos ex istis colligerent, valide incussus, mox primam, ut pluries experti sumus, cruoris uterini secretionem, cum summo salutis virgineae damno, suspendit. Virginis nobilissimae, sub fluxu menstruo constitutae, cum, ex choreis redux, per scalas improvide sola descendisset, suscepta, a viro tam audaci, quam impudico, adgressio, eandem, terrore non minus, quam pudore concussam, suppressis illico menstruis, lethalem, post paucos dies, in *metritidem* conjecit. Saepe vero longe minor animi sensibilioris exagitatio, menstruorum fluxum cum summo vitae discrimine suppressit. Major autem *post* menstruae periodi stadium absolutum, quam alio quovis tempore, foeminarum ad concipiendum promtitudo est. Artificialis illa et immodica animi sensibilitas, atque infantilis prorsus musculorum omnium imbecillitas, quam educationis perversae et otii effectu, omnes nunc urbium sortiuntur filiae, morale illis venenum, menstruorum

praecipue sub fluxu haud paucis infestum, praeparant.

Altera menstruorum aberrantium, suppressorum origo nostro sub coelo, in tenui nimis et vix non aethereo foeminarum amictu, in imprudente vel ipsa illorum sub periodo, genitalium refrigerio atque perflatu quaerenda est. Non ita vel calidioris *Asiae* meridionalis mulieres, utpote foemoralibus decentius munitae, incedunt. Coeterùm, quamvis veterum, de *indole* menstruorum *vix non venenata* assertionem, cum aliis, nos ipsi impugnaverimus; est tamen, cur hanc virorum, de historia naturali vel maxime meritorum, assertionem, principium *medico-politicum* magis, quam *persuasionem propriam*, pro fundamento habuisse, suspicari quis posset; nec certe legislatorum, res populis adversas alio sub titulo vetantium, unicum hoc exemplum foret. Gentes aevi veteris non paucae, foeminas, menstruo sub fluxu constitutas, consueto consortio, scilicet ut *impuras*, privabant; ac *puerperarum purificatio*, sacris ac nec hodiedum abolitis legibus sancita fuit. *Genitalium tegumenta*, sub fluxu menstruorum adhiberi nunc solita, vix prius in usum

Am. a vestitu iniquo.

venisse videntur, quam ubi Europeae, his aviarum suarum vinculis tandem rejectis, quocunque sibi placuisset, tempore, etiam sanctiore, societatibus ipsisque choreis intervenire, atque hoc modo et curae salutis propriae, et sexûs decori renunciare sunt ausae. Quibus nimirum, tempore menstruo, copiosior ex uteris cruoris effluxus est: his, primis saltem hujus periodi diebus, quies ac supina magis, quam erecta corporis positio, atque incessus, conveniunt. Ne vero (naturalis istius eventûs haud ignaris) vivendi rationi liberiori impedimento is esset: fascias illae genitalibus, easque, ne sanguinem praeterfluere sinant, arcte sibi adplicant, nec istas, ludorum, chorearum, spectaculorumque amore per horas detentae, cum purioribus, pro necessitate, permutant. Interceptum hac ratione menstruorum fluxum, in vagina primùm, ac ipso demum in uteri cavo, remorari diutius, has partes implere, infarcire, extendere ac, aestivo praecipue sub ardore, non parum irritare, opportet. Foèminas dari, quae media menstruationis sub epocha, stimulos in rem veneream potentiores experiantur, observatum fuit; atque ex coitu, menstruorum sub cur-

su, admisso, atque ex isto confestim suppresso, *metritidem* violentam successisse novimus. Potiores autem ex retardato, per adstrictas nimis fascias, sanguinis, calore loci facile corrumpendi, defluxu, quam ex normali, nec interrupta cruoris, minus accumulati, evacuatione, stimulos excitari, certum est. Vel ipsam menstruorum secretionem, a fascia arcte magis constricta, posse cohiberi, ab allato jam virginis exemplo docèmur. Nec minores hujus consuetudinis, ex frequente fasciarum, ob urgentem urinarum ac alvi depositionem, remotione, noxae, hiemali praeprimis tempore, ac ubi ad loca secreta, genitalibus, antehac magis excalefactis, auram frigidiorem incaute admittunt, extimescendae sunt. In genere, ex frigoris, in menstruantis foeminae genitalia influxu, secretionis uterinae, tam cruentae, quam forsitan pituitosae, habitualis, suppressio frequentissime inducitur. Amasium, puella, quo sibi tempore menstrua copiosius fluebant, exspectans, ne haec illi obstaculo essent, frigidae nates aliquoties profundius immersit: ac tertia jam die, ex uteri inflammatione, mox a cohibito sanguinis fluxu, moribunda, *vindobonensi* nosodochio,

a. 1797, commiſſa fuit. Inſignis quondam *Helmſtadii* chirurgus, foeminae nobis exemplum reliquit, quae, poſtquam, menſtruorum ſub periodo, pedes aquae frigidae impoſuiſſet, hoc fluxu ſuppreſſo, in unius oculi *amauroſin* conjecta fuit; reſtituto tamen per artem hoc fluxu, viſûs ea facultatem hoc ex oculo felix recuperavit. Non minora aliis, hauſta ſub ipſo menſium fluxu et aeſtuante corpore, frigida, vel glacies, mala induxit.

Ingurgitationis ciborum aut nimiorum, aut difficulter ſubigendorum, in ſupprimendis menſibus obſervatos effectus, ex *ſpiſſitudine, tenacitate ſanguinis* derivarunt non ita pridem pathologi; qui vero ſiniſtros turbarum ventriculi effectus in ſingulas, tum corporis, tum animi functiones, praeprimis vero in *uteri* illas, intellexerit: illi, hunc ad influxum explicandum, gratuita et rationi oppoſita ſanguinis, ultra quam par eſt, *inſpiſſati* hypotheſi opus non erit. Sunt, quae roſeos genarum colores, ut nimis communes atque *plebejos* deſpiciant, urbium virgines, vel et mulieres: quam ob rationem *aceto*, ad libram et ultra, quotidie indulgeant ac, ut ſaepe obſervavimus, non modo

pallorem faciei, ut credunt, longe *nobiliorem*, — sed et chloroticarum habitum atque symptomata in multis ferocia tandem contrahant. „Menses etiam, momente celebri *graecorum* medico, aliquando vel *ob nimiam pinguedinem*, uti ob gracilitatem ſupprimi solent. Pingues enim, inquit, magis exsangues reliquis sunt, minimasque venulas habent, et sanguis qui in ipsis est paucissimus, fere in pinguedinem transit, atque hujus rei ex eo indicium est, quod tales minime omnium concipiunt."

Non faustiores in uteri secretiones periodicas effectus *inedia*, et nimia *virium* sub laboribus *jactura* habent; ac non sine ratione, „*annos penuriae frequenter chlorosin* producere," antiquus de mulierum adfectibus scriptor adnotavit. Senioris et *graeci*, de mulierum passionibus, auctoris assertionem: „illas, quae frequenter et valide *vocem* exercent, quod vocis exercitio menstruum sanguinem consumant, naturaliter non purgari," confirmatam fuisse haud novimus. „Et steriles, et praegnantes, et *cantatrices* item ac *saltatrices* naturaliter non purgari, quia quidquid in eis super-

fluum est, nimia exercitii vehementia consumatur," alter jam *graecus* edixerat.

Quae jam octo ante lustra, de *vitae coelibis* apud utrumque sexum effectibus, in primo de *politia medica* volumine, scripsimus, ea hic repetendi, nulla necessitas est. Quae autem de chlorosi, ejusque effectu, amenorrhoea, aliquando *hypersthenica* vel, ut alii vocarunt, febre chloroticarum *calida, alba ac densa, sanguinea, plethorica*, diximus (§. 865.), ea frequentius laute nutritas, succiplenas, magisque antehac vivaces, sensibiles virgines, jam satis viripotentes, viduasque juniores hujus indolis, omni cum altero sexu commercio privatas, prae aliis, concernunt.

Ex omnibus quae hucusque de *amenorrhoeae causis* dicta fuerunt, easdem, sicut ipsa uteri *profluvia cruenta*, ex culpa vel totius systematis, vel genitalium ipsorum, vel denique utrorumque, proficisci, resultat. Ob vivendi rationem foeminarum, quae vitam urbium *distinctam*, i. e. otiosam, luxuriosam, vivunt, et ob strenuos nimis labores, qui, sub victu parum nutriente ac malesano plebejas exhauriunt, major, sine dubio, amenorrhoearum numerus, ad mor-

bos *asthenicos* pertinet. Vix interim amenorrhoea, qualiscunque ea sit indolis, ubi nimis in longum, neglecta, vel male curata, protrahitur, tam *simplex* persistit; sed a variis causae principalis effectibus secundariis *complicata* tandem efficitur.

§. 874. Jam sola symptomatum causa- **Prognosis.**
rumque amenorrhoeae expositio (§§. 865-873.), ejusdem retentionis *prognosin* in se continet; atque huic pauca modo hic loci superaddimus. Cum amenorrhoea alterius saepe morbi *effectus* magis, quam aegritudo *idiopathica* sit (§. 865.); praedictionis momenta, illius potius, quam istius, ex indole eruantur oportet. Quousque consueta foeminae *molimina*, periodi menstruae defectum antecedunt (§§. 856. 865.), hos naturae conatus, adhucdum superstites, medicorum illis subsidio fore sperari licebit; si vero jam omne molimen cum ipsa secretione menstrua emanserit: ambigua magis sors aegrarum dicenda, et quo diutius menstrua redire cunctantur, maxime si vel ex mensium suppressione, vel ex morbo, qui hanc induxerat, *complicatio* gravior secuta est; eo major amenorrhoeae sanandae difficultas erit. Quare jam *Hippocrates*, „Mu-

lier, inquit, cui in *sextis* mensibus (menstrua) non descenderint, incurabilis est." Excipienda tamen amenorrhoea erit, quam *vitia*, quibus tollendis chirurgia par erit; *organica* produxerint. Quae vero istius manum recusant: ea nec internorum auctoritatem remediorum agnoscent. Quae serius seriusque accedunt menstrua: ea, ne supprimantur in totum, — sicut illa, quae frequenter anticipant, ne in profluvia chronica atque cruenta terminentur, metum incutiunt. Qui regionis hypogastricae in multis, quibus menstrua instant, difficilius fluunt, aut vero supprimuntur, tensionem, ventris, lumborum, coxarum crurumque dolores considerat: is, vasa non modo *uteri*, sed et illa *tubarum* ac *ovariorum*, utpote unius ejusdemque prosapiae, a sanguine turgere ac extendi, dubitare non potest. Menstruatae mulieris uterum conservavit, ac in observationibus anatomico-chirurgicis descripsit egregius quondam *Batavorum* anatomicus: in cujus uteri cavitate cruorem coagulatum, eidem leviter adhaerentem ostendit. Ejusdem autem indolis cruor, non modo hujus lateris *tubam* consperserat; verùm et *ovarii* superficiei co-

piosus ac firmiter adhaeserat: unde humores heterogeneos, in utero contentos, per tubas Faloppianas ad pelvim et abdominis cavitatem posse deduci, conclusit; atque hanc viri eximii opinionem, et *acta* Eruditorum Lipsiensium a. 1693 confirmarunt.

Si *chlorosis*, ut solet, cum amenorrhoea incedit, successu vero temporis menstrua comparent, ac justa periodo, et copia redeunt: recuperandae salutis spes magna adfulget. Ubi menstruorum vices agit alia secretio: hanc, prius, ac illa rediverint, supprimere, periculosae res aleae foret. *Chlorosis adynamicae* ac *simplicis* cura, sub morbi principio, debitoque tum animi, tum corporis regimine, plerumque haud ardua;— quae vero, diu neglecta, cum obstructione viscerum, ac febre lenta *complicata* est: ea in leucophlegmatiam atque hydropem, maxime ovariorum, haud raro terminatur. Ubi clandestinum, nec tamen adimplendum, veneris desiderium, hujus morbi aut causa, aut effectus est: ibi *nymphomania*, seu *furor uterinus*, cui facile phlogosis hujus visceris occulta pro fundamento est, aegras hinc inde invadit. Inveterata chlorosis, mulieres vel steriles reddit, vel, si forsitan

concoeperint; ad abortum disponit. Ob celatam, dissimulatam saepe, vel ob ignotam virginis, mulieris graviditatem, menstruorum provocationi absque profundiore indagine indulgere, periculosum simul ac impium est. Quibus mulieribus, fibra firmiore, aut nervis justo sensibilioribus instructis, menstrua cum dolore solvi solent: illae haud raro dirioribus quoque post partum doloribus subjectae sunt. Menstruorum suppressionem, congruam medendi per methodum, facilius, quam alterius speciem profluvii cruenti, revocari, quod vir quondam clarus praetendit, experti non sumus.

Cura Amenorrhoeae.

§. 875. Quibus menstrua, sub valetudine coeterùm perfecta, nunquam fluxerunt: illis, antequam symptomata exinde morbosa se prodant, nulla prorsus medicina facienda est; nec ideo, quod virgo, aut mulier, cruento hoc a tributo dispensata, *fertilitatis* simul beneficio destitui dicatur (vel si experientiâ magis fundatum esset hocce judicium), cum haud modo una, sed multiplex, *sterilitatis* sit ratio, *emenagoga* indicata sunt. Hypòthesis absurda, quod menstruationis in foemina humana, causa, in ejusdem *plethoram*, foetûs nutritioni de-

stinatam, collocanda sit, innumeros in medicae artis exercitium errores, — vix interim minores et altera aliorum opinio, quod omnis *amenorrhoea* pro sua origine *astheniam* agnoscat, induxit. Quod vix monuimus (§. 874.), exempla puellarum atque viduarum, ex illegitimo concubitu gravidarum, ac procurandi sibi abortûs desiderio impie flagrantium, numerosa, — nec fere pauciora uxorum, se utero ferre, sibi haud consciarum, omnemque laesae valetudinis culpam in solam menstruorum, qua laborent, suspensionem *imperiose* conjicientium, habentur: quae medicos, in dissimulatae graviditatis astutias, aut in signorum, quae primis impraegnationis sub mensibus, hanc ipsam a morbosa adfectione distinguant, incertitudinem haud satis attentos, quò, gratuito *amenorrhoeae* sub titulo, embryonum non minus, quam gravidarum in perniciem, atque in conscientiae ac famae propriae laesionem agerent, induxerint.

Sicut in cura morborum omnium, ita et in illa *amenorrhoeae*, primae dignitatis argumentum, in sollicito *causarum examine*, earumque moderatione aut abolitione consistit. Magni quoque interest, retentio-

nem menstruorum, quae *modo subitaneo*, aut magis *lento* inducta fuit, distingui. Prima scilicet ex istis, haud raro more *acutarum* adfectionum incedit, ac celeriore, quam altera, auxilio indiget. Frequenter nempe haec ultima, sub clandestino et oculos minus feriente incessu insidiatur genitalibus. Nec minus sub menstruorum in aetate matura emansione, num *secretionis* magis, quam *excretionis* a defectu ea pendeat, perscrutari oportet; et quaecunque verae amenorrhoeae sit indoles; eandem aliis simul morbosis adfectionibus, non suis, posse *complicari*, quò et hujus rei cura habeatur, retinendum est.

Praemissis his generalibus therapiae circa morbum, de quo hìc agitur, praeceptis, qua ratione menstruationis opus dirigendum, atque sic funesti, ex eodem neglecto exspectandi, effectus praecavendi sint, exponendum est.

Prophylactica. Quae *educationem physicam* utriusque sexûs ad majorem reipublicae, ex prolis sanae ac vegetae generatione, prosperitatem concernunt: ea in primis *de politia medica* libris sollicite exposuimus, nec opus est hic repeti; mirari interim licebit, quod,

interea ac nullius artis, aut scientiae in civitate bene ordinata exercitium, nisi easdem probe edoctis, conceditur; non modo *generandae*, sed, quod magis arduum est, *educandae prolis cura*, cuivis, in *officiis*, quae salutem publicam non minus quam propriam respiciunt, *parentum*, vel minime versato committatur. Atqui tamen, a quo silvatici primùm homines ad vitam *socialem* conducti, more ferarum promiscue coire cessarunt, *leges* tam sacrae, quam civiles, certas conjugiis civium conditiones, tam his ipsis, quam reipublicae salutares, imposuerunt. Sollicitudine interim majore circa educationem *adolescentum*, quam *virginum* occupatae hae leges, quamvis ab illarum conditione morali ac physica, futurorum illa civium vel maxime penderet, qua ratione patriae filiabus, ut destinatis posterorum genitricibus, mens sana in corpore sano conciliaretur, haud satis determinarunt. Hoc e fonte delicatula simul ac perversa virginum, in urbibus ad vitam otiosam, ineptiis saeculi addictam, ac rerum omnium, quae ad sexûs sequioris sanitatem ac futura magni momenti officia spectant, ignaram, directio procedit. Quam igitur ipsae, *ad-*

huc nubiles, edoctae haud fuerunt, doctrinam scilicet, ad cujus normam pubescentes filiae, futuram sibi secretionem menstruorum absque infantili terrore praevideant, praesentem sub debito regimine foveant, et quae ejusdem periodos pessumdare possent, sollicite fugiant: — eam, *jam nuptae,* prolibus suggerere haud queunt.

Donec igitur vel cura magistratûs, pro foemineae educationis, saluti publicae magis analogae institutione excitetur; vel opus, matrum hac super re instructioni opportunum suppleat; medicorum ordinis erit, fiduciam, qua bonos apud cives is fruitur, ad matres, prole foeminea instructas, in singulis, quae physicam istius educationem concernunt, solerter informandas, omnem impendere.

C. Am. tiruncularum.

Hujus instructionis maternae sub praesidio, prima *tiruncularum* menstruatio (§. 865.), bene consciae sese virgini absque animi perturbatione adnuntiabit, neque pudor male collocatus eandem prudentis a medici, quo indigeret, consilio, mature invocando, absterrebit. Non paucis puellis cruentus ex utero fluxus vel inopinantibus ac sine ulla functionum laesione orditur; qui

aliis, symptomata suo loco descripta, excitare ac, ubi saepius haec redeunt, certumque vehementiae gradum attingunt; easdem tandem in *chlorosin* atque *hysterismum* gravem conjicere solet. Quò hi effectus evitentur, quamprimùm pubescentem virginem, instantis, aut jam praesentis secretionis uterinae symptomata prehendunt: utroque in casu, quies animi et corporis, atque hinc, primos saltem per dies, supinus decubitus, facilioris alimenta subactionis, aqua haud gelida pro potu, spirituosorum, aromatum, ac atmosphaerae frigidae, aut calidae nimis fuga, quousque menstruantis conditio talia concedit, commendanda sunt. Atqui tali sub regimine, *fasciarum* circa genitalia stringendarum adplicationi, utpote habitudini, naturae intentioni prorsus oppositae, ac immoderato tantum *Europaearum*, hac etiam vitae periodica sub epocha, societatis frequentandae desiderio adscribendae, eo magis renuntiandum est: quod, ut cum antiquo *Kapadociae* medico loquamur, „neque plurimi sanguinis sit plerumque prima purgatio;" et quodsi, ut quibusdam tirunculis contingit, cruor uberius fluat; substrata genitalibus saepiusque renovata per

linteamina, suscipi hic facile queat. Fatebimur quidem, tam rigorosum regimen, sexui foeminco non parum esse incommodum atque ingratum; sed natura hocce tributum, his ipsis sub formis, sibi expetens, ita jussit; et quas ea poenas hujus legis transgressioni imponat, funesta nimis exempla loquuntur. Ob ista, nullus fere antiquitatis populus fuit, quin foeminam menstruantem, per sacras etiam leges, societate excluderet, ac vitam separatam, donec ea esset *purificata*, agere coëgerit. Si plebejas rusticasve mulieres, vitae magis laboriosae adstrictas, has sequi praescriptiones difficile esse fateamur; has simul foeminas, nisi nimis viribus fractas et miseras, menstruis plerumque parcioribus subjectas esse, non reticendum est.

Haud raro prima menstruationis, modo tardius consolidandae, symptomata apud *novellas*, in *solis moliminibus* consistunt, atque istorum influxu, non tam sanguis, quam humor subalbidus, serosus, aut mucosus, genitalia humectat (§. 865.); ne tamen haec excretio pro *fluore albo*, ut vocant, habeatur atque, ut talis, adstringente remedio tractetur, cavendum est. Hoc

primum, ad menstruum tributum, quasi tentamen, sequuntur, vel citius, vel tardius, alia, saepe quidem adhuc *minus* stricte *periodica*, sed tamen magis minusque cruenta. Pro varia autem, nec semper satis clara, puellarum dispositione, in his, fere quavis sine turba, — in illis, summo labore et sub singulis, quae jam indicavimus, abnormibus phoenomenis, aegre trahitur, interrumpitur, aut praepostere suspenditur, uterina secretio. Tali vero sub rerum conditione, quoad licet, *causarum* (§.873.), illis, quas *profluviis cruentis* adsignavimus, haud multum dissimilium, habenda est ratio: ut quas vel in universi systematis constitutione, nunc justo magis *energica*, nunc *adynamica* nimis, vel in genitalium ipsorum adfectione *locali*, quaerendas esse monuimus.

In casu igitur virginis bene nutritae, robustae, cum pulsu constanter pleno atque vibrante, si urgeant symptomata, praeter victum tenuiorem, potum grate acidiusculum, evitato simul irritante caloris atmosphaerici majoris gradu animique pathemate, ad *graecorum* medicorum axioma, „quae ob plenitudinem non purgantur, venae sec- Hypersthenicae.

tione curantur," sanguinem mittimus. Cavendum interim est, ne, sub incremento symptomatum, *plethorae* magis *universali*, utpote minus frequenti, quam vasorum uteri solorum repletioni, distensioni speciali, hunc morbum adscribendo, eundem, quasi *hypersthenicum* quemcunque alterum, sanguinis missione non illa, quam uteri inundatio *specificam* sibi exigit, subjugare contendamus. Foemina, ut vir celebris retulit, a subitanea mensium suppressione, in coecitatem inciderat: nec visus a frequente cruoris missione restitui potuit; redeuntibus vero post tres menses catameniis, vel sponte oculorum simul rediit acies. Turbas totius vasorum systematis vel maximas, et quibus componendis, sanguis, ad plures libras detractus, haud par est; paucae modo unciae cruoris quondam retenti, suppressi, ex utero stillantis, promtissime dissipant. Hinc medici, natura monstrante viam, *quo tempore antehac vel sola molimina, vel menstrua ipsa redire solebant, ut magis opportuno, hirudines,*— non adeo, ut massam sanguinis imminuerent, quam ut naturalem periodum imitarent, vulvae adplicari jusserunt. Est, qui

hocce subsidium, *cruribus* admotum, non minus laudaverit; potiore interim jure, eodem, quo natura, — quam prope licet, ex ſonte hauriri juvabit. Quodsi vero manifesta vasorum omnium repletio habitusque sthenicus, medelam sibi ipsi praeviam expetierit; locali hirudinum depletioni, sub tali rerum conditione haud sufficienti aut satis tutae, generalis ad brachium venae sectio praemittenda est. Cum vel in primo hujus operis libro, jam anno 1792 edito, ipsius adeo *typhi* sub principio, venae sectionis necessitatem aliquando subintrare monuerimus (§. 95.); nemo sane, eandem a nobis et in *chlorosi*, sub eadem positione, admitti, mirabitur; et jam sola *epistaxis* spontaneae, sub istorum morborum invasione cum enormi cephalaea, multoties observanda utilitas, haec ultro confirmat. Factâ sic vasorum depletione, si necessitas urgeat, *generali*, et porrecto simul, in frigida, elixirio acido *Halleri*, — si modo uteri plethora localis dominetur, *speciali*, — continuante vero hypogastricae regionis molesta tensione, facile simul spasmodica, ſomentatio istius emolliens, clyster hujus indolis, balneum tepidum, ex sedili adhibitum, va-

por calidus, aquosus, genitalibus admissus, sub debito regimine, rem omnem saepe absolvent.

Adynamicae.

Sicut vero haud frequentem, apud virgines pubescentes et mensium emansione aut difficultate laborantes, statum *hypersthenicum* occurrere monuimus: ita certe longe major illarum, quae constitutione, illi prorsus opposita incedunt, numerus est. Praecesserunt scilicet apud istas, aut haereditaria, aut congenita in morbos adynamicos dispositio, fibra corporis tenera, laxa, color pallidus, major aequo sensibilitas, et quae hanc, praesentem, longe augent, absentem creant, vita sedentaria, otiosa, atmosphaerae liberioris beneficio privata, vigiliae nocturnae, somnus ad meridiem usque protractus, ciborum, subactu difficilium, aut parum nutrientium, potulentorum vapidorum, maxime infusi *Theae*, abusus, fabularum romanensium vix interrupta lectio, curae diuturnae, amor infaustus, pathemata animi alia, deprimentia, morbi praegressi, evacuationes nimiae, refrigerium frequens, etc. Sub tali rerum statu, et hac imprimis amenorrhoeae in specie, ante omnia, num primis in viis, saepe diu neglec-

is, saburrae lateant, videndum et, qua via cendunt, blanda istarum evacuatio, horis urgente symptomate liberis, instituenda est. Sub ipsis scilicet ad menstrua moliminibus, qua periodo spasmi multiplices, ex utero maxime oriundi, ac summa totius systematis cum istis participatio, remediorum fixorum, onicorum, non minus, quam volatilium, vaide stimulantium, usum omnem excludunt; modo ea, quae tantos tumultus componant, cenia diapnoica, antispasmodica, infusum epidum chamomillae, melissae, aqua detillata castorei, valerianae sylvestris, cum paucis liquoris cornu cervi ac tincturae anodynae guttis exiguae camphorae, aut moschi, nisi hujus odorem aversentur, doses,— pediluvia satis profunda, vapores genitalibus admissi, haud nimis calidi, regionis hypogastricae, cum spongia, lacti tepido immissa et expressa, fomentatio, indicata sunt. psi clysteres, quibus opii dosis moderata uperadditur, uteri, recto intestino vicini, pasmis haud raro egregie medetur; quamis a manu incauta adjectum idem hoc remedium, et apoplexiam, et crurum paraysin excitasse sit visum. Quodsi ex cruore, ub spasmis, in vasis uterinis coërcito, ma-

jor symptomatum ferocia id exigat; *hirudi*-
nes (non quidem tollendae, quae haud sub
est, *generalis plethorae* gratia, sed, u
eidem systemati vasorum, ex quo, nun
nimis oppresso, sanguis, nutu naturae se
cerni arcetur, experientia duce sub venia
mus) labiis vulvae et hoc in casu adponimus
Ipsae interdum cucurbitulae siccae, cruri
bus admotae, huic scopo inserviunt.

Etsi vero *febris amatoriae* nomen,
vulgo chlorosi tributum, ut majori virginum
hoc a morbo correptarum, numero injurio-
sum, rejecerimus (§. 865.); sunt tamen
aliae, quae, vel innocentissimae, ad ute-
rum sensu acutiore instructae, vel ex influ-
xu in illum haud satis intellecto, stimulum,
a nulla, nisi *conjugii*, ope compescendum,
persentiant, atque hocce subsidio, ab ipsa
natura violenter dictato, carentes, aliae in
melancholiam, aliae in taedium vitae, aliae
in maniam aliaeque in ipsum furorem ute-
rinum incidant. Non sine ratione hinc divus
Hippocrates, „Virginibus, inquit, suadeo,
quibus tale quid accidit, ut citissime cum
viris conjungantur. Si enim conceperint, sa-
nae evadunt. Quod nisi fiat, una cum pu-
bertate, aut non ita multo post, his tenta-

untur, nisi viro jungantur." Hanc medico-um principis sententiam aevorum posterio-um observatio ultrò confirmavit: ita ut de-iderata diu in vanum catamenia, vel prima onjugii nocte aliquando proruperint, et ut allidissimae ac vix non cereae virgines, osteaquam concepissent, amoenum roseum-ue genarum, quo pridem floruerant colo-em, atque optatam salutem, absque alio au-ilio, denuo lucratae sint.

Atque haec medendi ratio, non solum *molimina* menstrua apud *tirunculas* diffi-iliora, sed et graves a *difficultate, retar-ατione, suppressione* menstruorum insul-us apud foeminas, huic secretioni jam diu lsuetas, pro indole eorum aut energica, ut adynamica, concernit. Alia vero sub his ccessionibus, facile periodicis, — alia, quo mpore istarum symptomata quidquam se-antur, ac locum subsidiis plusquam *pal-atiνis*, concedunt, aegras curandi est ra-o. Primum scilicet curae momentum hic, justo vitae regimine, ac in sollicita causa-um, quae morbo occasionem porrexerunt, ga est positum. Quibus puellis, aut foe-inis abunde nutritis atque hucusque robu-is, absque *graviditatis*, saepe haud in- C.A. stillat. circum-script. completae.

justa, suspicione, menstrua, aetate, qu
fluere deberent, vel emanent, vel cum dif
ficultate fluunt, aut suppressa sunt: illi
victus parcior, potus aquosus, acidulus
atmosphaera frigidiuscula, alvus libera, com
mendanda, — ea vero, quae systema vasorum
excitarent, viresque augerent, prohibend
sunt. Atque hae vel maxime aegrae, su
larva symptomatum, *chlorosi* adfinium, il
lis, qui istam soli modo *adynamiae* adscri
bunt, fucum haud raro fecerunt. Vix ete
nim his foeminis, debilitatis mentitae su
auctoritate, remedia, in *chlorosi* plerumqu
proficua, ex classe roborantium, ex cortic
chinae, ex martialibus, dosi licet discreta
propinantur: cum illico anxietas, inquietu
do, pectoris, stomachi oppressio, cordi
palpitatio, tremores, lumborum, hypoga
stricae regionis tensio, dolores, longe quan
antehac majores, easdem prehendunt atque
morbo non parum magis, quam communi
et haud neglectae in curatione solet, in lon
gum protracto, infaustae huic medendi me
thodo renuntiandi necessitatem imponunt
Quandocunque interim prima vel amenor
rhoeae, vel chlorosis symptomata, ab irri
tabilitatis excessu et energica nimis a cordis

et vasorum intolerantia provocata, sub exposita medendi ratione evanuerint; aut ubi mox a prima morborum dictorum invasione, verae principia adynamiae comparuerint; tunc, ad istius quoque curam, cibis aliquanto magis nutrientibus, atque remediis, excitabilitati aegrarum analogis, illa vero imminutâ, sensim augendis, suscipiendam, tempus est.

Ac primò quidem, ut omne abdomen, genitalia, et crura sexus foeminei, perflationibus aurae frigidae, pro amictûs Europaearum, saltem plurimarum, nec satis decentis, nec salubris, ratione, nimis exposita, *femoralium* ope muniantur, exhortari tam sanas, quam potissime aegras, haud satis valemus. Ut vero, redeunte forsitan sub menstrua periodo, ab omni *refrigerio*, ut frequentiore amenorrhoeae causa, sibi caveant, summi momenti est. Sic adfinis nobis sanguine, sanissima et formosa virgo, cum bachanali et frigido admodum tempore, etsi menstruans, choreis tamen intervenisset, primo diluculo easdem, sudoribus madens, deseruit et, quin currûs adventum exspectasset: via sat brevi, domum, — ut hac, post quatuor jam dies, ex *metritice cadaver* esset, redivit. Majoris adhuc

audaciae, ac tertia jam die letale, exemplum supra (§. 873.) adduximus, et plura, nisi haec jam sufficerent, maxime a potu gelido, vel glacie, medio menstruorum sub fluxu affatim ingestis, adducenda nobis superessent. Sub tanta vero sexûs sequioris, sub menstrua periodo versantis, *irritabilitate*, atque sub tanta in animi pathemata graviora dispositione, ex *iracundia* maxime et ex *terrore*, effectus non minus infausti, medentibus vix non quotidie se offerunt: unde, quam parum solis pharmaceuticae indolis, auxiliis menstruantes, a cruoris suppressione, vel aberratione possint defendi, satis elucet.

Ad haec vero artis subsidia quod spectat, ventriculi functio, a cujus integritate universi systematis illa pendet, prima ex illis adminicula sibi exigit. Infusum aquosum ex amaris, potissime ex rasura ligni quassiae, vel ex trifolio fibrino paratum, cui simul aqua naphae superadditur, prae aliis hic convenit. Hisce, per octiduum circiter porrectis, infusum corticis peruviani frigidum porrigimus, cui aquae cinnamomi simplicis portionem substituimus. Sunt tamen foeminae, quae, prae cortice chinae, vi-

dicta amara, aut alia, facilius perferant, atque haec, tali sub casu, pro illo supplebunt. Donec major ventriculi sensibilitas superata fuerit: forma medicaminum liquida, eundem longe minus adgravat. Ubi corticis infusum frigidum contulerit; ad ejusdem decoctum aquosum, cui, sub fine, cortex cinnamomi infusus fuit, pervenimus. Sunt, quarum ventriculo infusum istorum, cum vino rhenano paratum, magis arrideat. Ab his autem potissime ad varias ex marte tincturas, quas inter, illa *Bestucheffii* nobis frequentius in usu est, — ubi vero auctas sensim istarum doses ventriculus facile subegerit; ad limaturam martis alkoholisatam, cum elaeosaccharo cinnamomi, ascendimus. Haud raro, cum aliis, chalybem a paucis, sub initio, granis, ad scrupulum unum et ultra, bis terque nycthemeri spatio, cum effectu vix non specifico, *chloroticis* praescripsimus.

Alia vero atque diversa inter se remedia, partim *mitiora*, partim valide *stimulantia*, quae modo quasi *specifico* ad menses provocandos contribuere credebantur, *emmenagogorum*, *aristologicorum* sub titulo, celebrata, et longa nimis serie in libris de

materia medica exposita fuerunt. Eviluerunt interim ex primis quamplurima, et aliorum vestigia, vel ab inhumanis puellarum, viduarum praegnantium, *abortum* sibi provocandi, — vel ab incautis nimis medicorum, menstrua suppressa cum emmenagogis violentis revocandi, tentaminibus relicta, nos terrent.

Quae ad *mitiora*, invitandis menstruis destinata remedia spectant: ea, licet nullo modo specifica, indicationi, ad *adynamiam*, ut morbi causam frequentiorem, debellandam, saepe respondent. Primum inter ista locum sibi vindicant *gummi ferulacea* atque *mercurius*. Ob suppositum nempe *humorum lentorem*, qui, uteri vasa obstruendo, menstruorum secretionem impediret, specificam vix non ab illis remediis, hoc in fluxu normali promovendo, restituendo, virtutem, vi sua *resolvente* exseri credebant. Quamvis autem hanc istorum actionem ex falsa temporis elapsi hypothesi repetierint; non tamen in casu astheniae, praecipue inertis et semiparalytici vix non uteri sub statu, medicamina, in excitanda vasorum nervorumque actione vitali tam potentia, minus aestimabimus. Hûc spectat quoque *bo-*

rax, cujus interim salis in amenorrhoea effectus, nos ipsi satis experti haud sumus. Populare quarundam *germaniae* provinciarum remedium contra amenorrhoeam, *crocus* est; ac si quid isti hunc in morbum virtutis conceditur: hoc sane in excitante ejusdem principio volatili, cujus ope languentem nimis cordis et vasorum actionem id erigit, atque spasmodicis ex *adynamia* effectibus medetur, quaerendum est. Quanta vero, sub rerum conditione contraria, vel sub administratione hujus stimuli nimis incauta, in aegras damna scaturiant; tum haemorrhagiae, non uteri modo, sed et pulmonum, et aliae, tum viscerum incendia, hos abusus insecuta, satis commonstrant. Aequali fere ratione in amenorrhoea laudata remedia ex radicibus *aristolochiae*, rubiae tinctorum, diptamni albi, ex herbis *matricariae*, *melissae*, *marrubii albi*, *pulegii*, petita, stimulo, quo pollent, tam volatili, quam alio, pro diversa amenorrhoeae origine, effectus in istis salutares, in illis, nocivos producunt. Ad *aloen*, quod spectat, laudatam aeque ac vituperatam hujus remedii in fluxu haemorrhoidali atque uterino promovendo, efficaciam, non tam *spe-*

cificam esse, quam ab ejusdem et *generali* in omne systema, et *speciali* in canalem cibarium ac intestinum imprimis rectum, cujus vasa, cum illis uteri coëunt, stimulo, in amenorrhoea *hypersthenica* certe contrario, in *adynamica* vero, ubi prudenter is dirigitur, saepe proficuo, pendere arbitramur. Hoc igitur remedii genus, ubicunque mensium emansio, suppressio, a cordis et vasorum actione jam nimis energica pependerint; ubi nervorum sensibilitas mites modo et adaequatos sibi stimulos exegerit, et acuti admotionem calcaris recalcitraverit; ubi major in diarrhoeas propensio praecesserit; ac, demum, ubi vasa haemorrhoidalia jam nimis cruore oppleta, varicose turgentia, similem in illis uteri, ex adynamia congestionem, infarctus, supponi jusserint: majore cura evitabimus quidem; sed potiorum in artis exercitio virorum exemplis, ac propriae, diversos inter populos captae experientiae innixi, sub conditione amenorrhoeae, illi, de qua vix locuti sumus, oppositae, extractum *aloes* aquosum, justâ, ne diarrhoeam excitet, dosi praescriptum, atque gummiferulaceis, ammoniaco, galbano, asae foetidae, vel et ipsis

tandem martialibus commistum, nequaquam reformidabimus. *Tincturas aloeticas,* quas, ut acriores, foeminae, spirituosis apud nos haud assuetae, difficilius perferunt, raro praescribimus.

Potentiora ex sic dictis *emmenagogis* remedia, *sabinam, colocynthidem, radices hellebori nigri,* quamvis a viris praeclaris laudata, si extractum ultimarum excipias, tentare ausi non sumus; atque hinc debita, quò de istis plura dicamus, destituimur experientia.

Praeter haec *interna* subsidia, emolumenti quoque plurimum adferunt *externa*: pediluvia, vapores ad genitalia, semicupia aromatica, frictiones crurum cum pannis, fumo aromatico imbutis, equitatio; singula periodo menstruae aliquamdiu praemissa. Fuit, qui, admisso aliquoties genitalibus aquae calidae vapore, et moderate simul compressis, per horae intervallum, machinae tornatilis ope, femoralibus arteriis, menstrua revocata fuisse testatus sit, in actis medico *Edinburghicis*; a nemine interim alio emmenagogum hoc audax et principiis mechanices innixum, ne majus ipsa amenorrhoeâ malum, haemorrha-

giae uteri, pulmonum et aliae succederent, tentatum fuisse novimus. Ipsa etiam electricitas, foeminis, haud nimis sensibilibus, profuit.

Sub majore menstruorum difficultate, vel sub eorundem plena suppressione, haec ipsa, ab utero aversa, frequenter alia mox loca inundare, atque plus aut minus periodice, *secretionis vicariae* sub nomine, nunc vomitum cruentum, nunc fluxum haemorrhoidum, nunc epistaxin, nunc pneumonorrhagiam, nunc vero stillicidia ex partibus aliis cruenta generare, jam diximus. Sub tali menstruorum aberratione, scriptor de *emmenologia* conspicuus, paucis ante periodum menstruam diebus, venam pedis secandam esse docuit. Quemadmodum autem non omnis *vicaria* menstruorum, vel ex ipsis visceribus contingens, secretio tam periculosa est, quam illa, quae proprio istorum ex vitio descendit, aut omni sine damno supprimi potest: ita nec sine examine causae, quae secretionis uterinae aberrationem induxit, sed modo ubi morbosa virium exaltatio satis constans, nec modo ficta, id exigit, generalis venae sectio adprobanda, aut si

major symptomatum vehementia id exigat; *hirudinum,* instante periodo menstrua, genitalibus adplicatio, huic ipsi longe praeferenda est.

De amenorrhoea organica loquentes (§§. 864. 869.), modo illi, *retentiones menstruorum* nomen convenire diximus: quae, postquam menses jam locum habuissent, ex *adquisito* magis, quam *congenito* pudendorum internorum e vitio *organico* processerit. Qua vero ratione morbi praegressi aut illatae laesiones, normalem antehac uteri fabricam vitiaverint atque secretionem ejus cruentam suppresserint: hoc, sicut determinari perarduum, ita et effectibus tantae dignitatis mederi, nemini saepe concessum est. Qui interim morbi praegressi causas, naturam, decursum ac finem, mente attenta revolverit; qui laesionis externae modum, directionem, extensionem atque symptomata rite perpenderit; ac tandem, qui *explorationis obstetriciae* in arte satis versatus fuerit: is amenorrhoeae organicae indolem, et quid in ea sperandum, quid forsitan tentandum sit, aliquando perspiciet. Ad medendi rationem quod pertinet, ea partim *chirurgica*, partim autem *medi-* C. Amen. organicae.

ca est. Sic, ubi cruor plures forſitan per menses in utero periodice secretus, magnamque ad molem hoc in viscere, plurimum extenso, collectus, per istius orificium, vel ab excrescentia nunc propria, nunc sibi vicina, vel a contagio varioloso, syphilitico, a partu laborioso, artificiali, a laesione quacunque externa, inflammatum, abinde pseudomembrana obtectum, exulceratum, inter se, vel cum vagina, simul inflammata, concretum, obliteratum (§.870.), effluere nequit: nunc ligatura, nunc escharoticis, nunc vero sectione, ad loca tam angusta tamque sensibilia, cautae manûs ope administrandis, opus est. In abscessus, ulcera, indurationes, cicatrices, quae internam uteri superficiem infestant, ac secretioni menstruae non minus, quam conceptioni ineptam reddunt, vix ulla chirurgiae, ob negatum accessum, — aut arti medicae, nisi per fomenta et balnea, conceditur auctoritas. Quae syphilidem pro causa agnoscere creduntur, uteri ulcera interna: ea specificam medendi methodum sibi expetunt.

Am. C. interceptae. Vitia organica, quae sanguinem menstruum jam secretum, vel ad labia vulvae

coalita, vel in vaginae canali, vel ejusdem ad ostium, culpa hymenis, *intercipiunt* et excerni impediunt (§. 870.), chirurgica solum, nec alia sibi auxilia, quorum tamen expositio haud nostri est officii, requirunt. Ubi ex *congenita* uteri vel absentia, vel abnormi habitu, vel ex constitutione foeminae peculiari, in aetate matura, menstrua nunquam secreta fuerunt, ut quorum vitiorum vix dictum effectum *retentionibus* cruentis adnumerari haud posse, jam diximus, vel ipsa chirurgiae subsidia, excepto, quod labiorum vulvae sub symphysi, vel sub vaginae obstaculis, et ad urinae liberiorem defluxum, et ad coitum viam inutilem pandant, ad minimum superflua sunt.

Qui tributi cruenti, soli foeminae humanae impositi, rationes a nobis ignorari, fassi jam sumus (§. 873.): hoc ipso simul *plethoram*, causâ *generali* malorum, quae multis *senescentibus*, hoc tandem jugo dejecto, insidiantur, absolvimus, atque sic frequentem venae sectionis, hac sub vitae muliebris periodo, abusum damnavimus. Sunt omnino mulieres laute nutritae ac vegetae, imprimis urbanae atque otio- **C. Am. senescentium.**

sae, quae, ad morbos inflammatorios dispositae, interrupto per aliquot menses, aut plane cessante fluxu menstruo, pristina vivendi ratione vel minime deposita, graves in morbos hypersthenicos incidant, ac iisdem, vel eorum effectibus haud raro succumbant: atque hac sub rerum positione, medendi methodus debilitans, habito virium respectu, indicabitur. Quotiescunque vero complexionis infirmae, delicatulae ac flaccidae foemina, aetate, qua aliae solent, menstruo fluxu destituta, descripta §. 873. hujus revolutionis symptomata experitur: venae sectio, quidquid aut durior quidquam, aut vibrans sub istis, nec igitur unquam satis constans, arteriarum pulsatio de plenitudine testetur, evitanda et, istius in locum, tam animi, quam corporis quies, adaequata huic statui vivendi ratio, colatoriorum libertas, potus tepidiusculus, semicupia, elixir acidum *Halleri*, vel, ubi spasmi hysterici urgent, leviora, eisdem sopiendis apta remedia imperanda sunt. Absolutis demum menstruae periodi turbis, maxime dum inimica viribus *metrorrhagia* cum plurium amenorrhoea mensium alternaverit: habita irritabilitatis, sensibilitatis

morbosae, saepe hoc sub statu diutius reliquae, ratione, restaurantia, gradatim adaucta, infusum aquosum ligni Quassiae, cum aquae naphae portione, infusum frigidum corticis chinae, ejusdem decoctum, ac lenia tandem martialia, rusticano in aëre adhibenda, indicabuntur.

ORDO IV. GEN. II.

RETENTIO LOCHIORUM.

Transitio. §. 876. De lochiorum decursu et indol jam plura retulimus (§§. 641. 642.); ac d *metrorrhagia* agentes (§. 647.), varia, qua simul oppositum huic morbum concernun necessariò tetigimus. Tanta vero quotann ab isto, optimarum patriae civium fune cadunt: ut infami letalitatis suae macula distinctum is, prae multis humani gener flagellis, hoc in opere locum sibi vindice

Varia lochiorum natura. §. 877. Si lochia, *coloris*, *consiste tiae*, et *continuationis* ratione dividamu *prima* illorum varietas, laeto magis et co cineo aspectu, cruoris e vulnere stillant fluiditate, ac fluxu breviore, duas tres plerumque ad horas limitato, dotata est;- *altera*, obscuriore partimque atro color densitate sanguinis coacti, atque duratio fere tripla insignitur; — *tertia*, sero pl

ninus sanguineo, liquidiore, cursuque tres, quatuor ad dies (apud quasdam, ad totidem hebdomadas) extenso, distinguitur; — *quarta*, puriformi, albescente, magis turbido atque densiore aspectu et, a quò sanguis in illa disparuit, per tres fere septimanas durante, instructa; — *quinta*, mucoso-lymphatico magisque opaco habitu, apud nutrices, triginta circiter dierum, apud alias puerperas, sex adeo et ultra hebdomadum spatio, conspicua est. Nihil interim in istis constans semperque sibi simile est; atque vel eadem mulier, quin igitur aegrotet, et quin causa semper pateat, diversos post partus, lochia nunc pauciora, nunc plura, nunc diutius sanguinea, nunc citius serosa, mucoso-lymphatica, experitur. Utplurimum foeminae, quibus copiose fluere solebant menstrua, copiosum quoque lochiorum fluxum patiuntur, et contra, parcum, quibus menstrua pauca fuerunt. Sic etiam, si illis, quae, ipso partûs sub opere, sanguinem aut multum amiserunt, vasis scilicet uteri haud parum jam depletis, contractis, parciora lochia fluant (etsi contrarium quoque accessisse viderimus); non est, ut miretur. Haud parum ratio vivendi puerpera-

rum, exercitii corporis ratio, et ipsa *ciborum*, quibus eae nutriuntur, qualitas et quantitas hùc influunt. Lochia, ex paucioris modo sanguinis, sero et lympha commistione, *flavescere*, haud rarum est; sed et *croci* sub cibis, solito in quibusdam *Germaniae* provinciis, ab usu, lochia hujus condimenti colorem semper contraxisse, *Ephemerides N. C.* docuerunt. Sub *ictero*, non modo *lac* nutricis, sed et *medorrhoeae*, qua laborabat, materiam, colorem flavum, biliosum, induisse, observavimus; nec si tale quid puerperae ictericae, cum lochiis contigeret, hoc mirum esse diceremus. Exemplum puerperae, et ante et post partum sanissimae, iisdem in *Ephemeridibus* exstat, „quae, post foetum non minus sanum et facile exclusum, nec guttulam sanguinis, sed loco istius, aquam *viridem*, limpidam, dulcem, omnis acrimoniae expertem, facile ad *libras viginti* excrevit. Duravit hic fluxus per integrum mensem, satis copiosus, absque ullo sanguinis vestigio. Neque puerpera male habebat, sed uti feliciter enixa erat, ita reliquo puerperii tempore, absque multis torminibus aliisque incommodis, optima fruebatur sanitate."

Nec alia, quae hic omittimus, lochiorum, modo aquosorum, exempla desunt. Casum foeminae juvenis, plurium jam prolium matris, quae nec menstrua, nec lochia unquam experta erat, ita ut singulos post partus, cruoris uterini vix unciam dimidiam excernere solebat, ex actis instituti clinici *ticinensis* jam adduximus, et plura, nisi jam hoc sufficeret, puerperarum, absque fluxu lochiorum perfecta salute fruentium, exempla referre possemus. Lochia mox a partu absoluto excreta, plerumque satis copiosa, sicut cruoris sani in foemina sana *colorem*,— ita quoque *odorem* haud diversum atque nec minime foetidum agnoscunt; serius autem exstillans liquidum, specificum utique ac subacidum foetorem exhalat. Haud raro lochia, medio sub cursu et sine morboso symptomate, per horam unam alteramve mere cessant, postea vero vel eodem, vel mutato sub aspectu, redeunt: ac talis suspensio vel ex corporis puerperae positione, vel ex ipsius uteri inflexione obliqua, vel ex grumo sanguinis, in hujus orificio stagnante, vel ex foecum, in recto intestino accumulatarum, in vaginam compressione venire videtur.

Si *menstrui fluxus* causae nos lateant (§§. 641. 698.); haud multo magis *lochiorum* illas perspicimus, atque tum in his, tum in aliis bene multis oeconomiae corporis humani explicandis functionibus, physiologia nos deserit. Fons quidem, qui uteri cavum a partu inundat, maxime ad sedem illius, a qua placenta vix secessit, scaturit; sed cum vasorum placentae, cum vasis uteri, per injectiones anatomicas in illa, haud confirmetur communicatio; et cum nec *arteriarum* uteri, qua cruorem in placentae parenchymata deponant, *prolongatio*, nec *venarum*, quae cruorem reliquum ex his caveis ad uterum reducant, *officia* satis illustrata sint; eo magis de hac lochiorum scaturigine dubia movere licebit: quod et in foeminis animalium brutorum, placentae, uteris non minus adhaereant; nec tamen ideo illarum ab istis separatio, lochiorum fluxum, ut in foemina humana, inducat; quod et ista, ubi, menstruis licet semper destituta, nihilominus conceperit; placentam utero, absque lochiorum majore, quam animalium domesticorum foeminae solent, successione, ut in nostro exemplo, expellat; ac demum, quod haud pauca puerpe-

rarum, sine lochiis ullo modo cruentis, specimina existant. Quodsi tamen, sub tanta rerum obscuritate, hypothesi, donec lux nobis major adfulgeat, uti liceret, quamvis nec plausibilioribus ex istis multum faveamus; sequentem, prae aliis, adoptaremus. Quae nempe tunica hirsuta, *deciduae* sub nomine, ovum humanum exterius investit et cum superficie uteri interna conglutinat: ea *pseudomembranam* potius, ex lympha coacta formatam, atque vasculis ab utero et ab amnio dotatam, quam membranam originalem, seu ovulo coetaneam, sistit. Vel ovulum ipsum, vel sola germinis foeminei materia, vix fecundata, ex ovario ad tubam cum impetu in uterum feratur; cum vel ipsa *conceptionis* functio, ex observatione magni quondam *Bataviae* anatomici, *phlogosis* speciem in genitalibus foeminae excitet; et cum hoc ovulum, aut germen, parietibus uteri, ante conceptionem sibi semper contiguis, commissum, eosdem, ut corpus peregrinum, exstimulet: ex hac superficiei uteri internae irritatione, ut ex quavis alia, secretio lymphae mutata, et ex ista mox pseudomembrana, seu *decidua*, nascetur. Haec igitur exterior ac tertia ovi humani

membrana, ab utero, sub partûs laboribus, tam praeviis, quam subsequis, vehementer ac saepius convulso, suis cum vasculis avellitur, ac sanguis ex sauciis undique istorum ostiolis, potissime vero ex vasis majoris diametri, quae placentam ipsam utero intimius conjunxerant, diruptis, donec iste in se ipsum contractus, impervia haec reddiderit, prorumpit. Quae vero mox a conceptione locum habuerat, levior *phlogosis*: ea, *depurationis* sub opere, incenditur magis, ac *febrem ephemeram uterinam*, *quasi vulnerariam*, quam scholae, sororiantes sympathetice ob mammas, *lacteam* dixerunt, constituit (§.523.). Quo citior et quo perfectior uteri, a foetu et secundinis expulsis, contractio, — eo minor quoque lochiorum et quantitas et duratio erunt. Quodsi hic et promtior et perfectior esset uterorum apud foeminas animalium brutorum, quam humanas apud mulieres, post partum contractio; problema, cur illi, mox ab exclusione foetuum, modo parum cruoris, — hi vero sat multum profunderent, solutum foret.

Divisio ret. Lochiorum. §. 878. Varia *retentionis lochiorum* indoles est: nunc enim ea *incompleta*, nunc *perfecta*, atque tunc aliquando a similis na-

turae profluvio *vicario* compensata,— nunc hìc modo *localis*; illinc, nunc *hypersthenica*, nunc *adynamica* est.

Nulla quidem lochiorum mensura satis certa habetur, ac una eademque mulier, hoc a partu sat copiosa, ab altero, pauca, quin igitur aegrotet, experitur. Hinc, nisi causa huic profluvio adversa praecesserit, ac morbosa simul adfectio lochiorum parcitatem comitetur insolitam; haec sola certe morbum haud constituet. Sic neque perfectum lochiorum defectum, alibi tam ominosum, si forsitan mulier, prima vice puerpera, nulla hucusque menstrua,— vel, ubi partus praecedentes, nec lochia ulla, nec tamen morbosa symptomata fuerint secuta, facile timebimus. Etsi autem *vicariae*, lochiorum in locum, secretionis cruentae, vel alterius exempla haud desint, atque eandem nunc per nares, nunc ex ulcere mammae, nunc per alvum secutam fuisse legamus; rarius tamen longe hoc phoenomenon, quam a menstruis suppressis, occurrere, dicendum est: cum nobis ipsis, in quinquaginta et quatuor annorum artis medicae exercitio constitutis, hujus naturae nihil obvenerit. Nulli hinc fundamento nobis assertio, „flu-

xum lochiorum solo tempore et quantitate a mensibus differre," innixa videtur; et quam parum, ratione scaturiginis, *lochia* cum *menstruis* conspirent, vel ex eo jam, quod ista, *secretionis uterinae opus* sint; ubi lochia modo *separationis cruentae secundinarum ab utero effectum* sistunt, elucet. Et quantum non secretio menstruorum *vicaria*, frequenter observata, et saepe non minus, quam ipsi menses, *periodica*, ab *unico* profluvio, quod, sicut aliis a causis, ita et a morbis, qui lochia suppresserunt, vel rarissime exoritur, distat! Ex oris uterini potissime, aut nimis sensibilis, aut partûs difficilis, artificialis, sub opere laesi, inflammati, et mox a foetûs et secundinarum expulsione clausi, *vitio locali*, cruor in utero colligitur ac, in grumos coactus, sibi ipsi viam praecludit. Vel ipsis a cingulis mox a partu puerperae adplicitis, iisque nimis adstrictis, ab enemate vinoso, intestinis injecto, subitanea primorum lochiorum retentio exorta est. Frequentius interim hujus fluxus apud puerperas suppressio, alterius mali, et quidem nunc *hypersthenici*, nunc *asthenici*, prout jam sub *peritonitidis puerperalis*, ac sub *me-*

tritidis consideratione docuimus (§§. 216. 225.), *symptoma* est.

Symptomata.

§. 879. Qui foeminis non tam paucis, quamvis fluxu menstruorum, extra menstruationis tempus, rite instructis, *lochia* tamen, citra sanitatis laesionem, *nulla* fuisse, mente tenuerit (§. 856.); qui puerperis, quae multum cruoris ipso sub partu perdiderunt, lochia plerumque pauciora fluere, secum reputaverit (§. 856.); qui ipsum hunc fluxum frequenter solo morborum aliorum *effectu* supprimi intellexerit (§. 857.): ille symptomata, huic retentioni, nisi illi, quam *vitio locali* adscribimus, propria, vel specifica hic loci a nobis describi vix exspectabit. Hoc ultimo certe in casu, hypogastrii intumescentia, tensio, dolor, ad lumbos, inguina extensus, faciei rubor, spirandi difficultas, oculorum perturbatio, rigores, febres, animi deliquia, interdum convulsiones, suppressionem lochiorum comitantur. Ubi morborum aliorum effectus est haec suppressio: praeter istam, morbi principalis potissime urgent symptomata. Atque hoc sensu *Hyppocratis* descriptio, digna, quae hic adducatur, sumenda videtur: „Si non processerit purgatio, continget ipsam

(puerperam) febrire, et horrorem habere, et ventrem magnum esse: et si ipsam attigeris; totum corpus dolere, maxime si quis ventrem attingat: et alias atque alias stomachi dolore vexatur, et lumbos dolet; et cibi ſastidium, et vigiliae, et punctura adest. Postea quinto aut septimo die quandoque venter turbatur, et secedunt nigra, et valde graveolentia alias atque alias, et urina velut asinina. Et si secesserint, videtur sibi melius habere, et curata, brevi sana ſit; sin minus, periclitabitur profluvio ventris forti ipsi illapso. Et puerperii purgamenta ipsi occultabuntur. Si vero venter ipsi non turbatur, neque purgatio prodeat sua sponte, neque ea quae commoda sunt brevi exhibeantur, tempus autem progrediatur, multo magis ex praedictis affligetur. Et insuper periclitabitur, ne livida fiat velut plumbum, et aquam intercutem incidat, et umbilicus extabit ipsi ab uteris, et circumcirca nigrior erit. Et ubi haec facta fuerint, fieri non potest ut mulier superstes maneat. Pereunt autem aliae alio tempore, pro corporis et affectionis ratione. Verum unam et vicesimam diem non excedunt, id quod plerumque sic contingit. Si vero purgatio ipsi

eruperit, sive a pharmacis, sive sua sponte (fit enim et hoc si uteri os laxarint, a sanguine acervatim derepente delato coacti: et si eruperit, graveolentia purulenta depurgantur: quandoque etiam nigra) et melius habebit, et curata sanescit." — „Si vero purgatio puerperii primis tribus aut quatuor diebus processerit, verum postea derepente evanescit, easdem adfectiones consimiles priori patitur, sed minus: et si transmutetur morbus, in idem transmutabitur: diuturnus autem et debilior priore erit. Si vero curetur mulier, superstes erit, si cito curetur: et de hoc morbo sic se habet." — „Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumescit et splen, et crura: et febris habet, et rigor corripit, et dolores prosiliunt ad lumbos, aliquando etiam ad viscera. Et perfrigeratur, et febris habet: pulsus debiles sunt, et aliquando acuti, et alias extolluntur, alias deficiunt. Haec patitur incipiente morbo, et sic se habet. Temporis autem progressu, cavae faciei partes rubescunt." — „Si vero paulo pauciora, quam oportet prodierint mulieri puerperii purgamenta, velut uteris angusto ore praeditis ac distortis, aut aliqua pudendi pars val-

de fuerit conclusa ab inflammatione, mulier acute febrit, stomachi dolore vexatur, et dolet totum corpus, et moleste fert: ac ad articulos manuum et crurum et lumborum dolor procedit; et locum circa collum, et spinam et inguina dolebit: et quaedam corporis partes impotentes fient. Postea calor quietus erit, et horror valde manifestus. Vomunt autem et pituitosa, amara, acria. Et de hac sic habet, et continget, ut si curetur, sana fiat: sin minus, clauda et quarundam partium corporis impotens erit. Non autem valde sterilis est hic morbus."— „Si vero uteri angusti oris ipsi fuerint et puerperii purgationem non emiserint, inflammantur: et si non curetur brevi, omnia magis ipsam affligent. Et odor malus erit, et exitus intumescit. Et si non inflammati fuerint uteri, sua sponte exit malum, grave olens, et lividum, aut nigrum grumosum, et mulieri puerperii purgamenta purgantur. Quandoque vero non exit, sed mulieri mortem portendit, nisi quis brevi venam secet, aut ventrem emolliat."

Hippocratem, hac in symptomatum, a lochiorum suppressione in genere observandorum, enarratione, nullam exanthematum, im-

primis *miliarium*, si haec, ejusdem, ut nostro, aevo, exstitissent, mentionem injecisse, mirabimur. Post lochiorum suppressionem, totius corporis efflorescentiam tuberculosam supervenisse, in *actis Hafnienſibus* legimus. Etsi vero doctrina, *lochia suppressa*, pilae adinstar, *alia in loca conjici*, atque in istis diversas, pro ratione structurae, noxas, peritonitidem puerperalem, peripneumoniam, apoplexias, paralyses, ac haemorrhagias excitare, (cum illa plerumque causarum, quae morbos inducunt, *effectu* dispareant) ad obsoletas veterum hypotheses pertineat; est tamen, cur magni quondam apud *Batavos* anatomici, lochia, per vaginam excerni impedita, per *tubas Faloppii* in cavum abdominis destillasse, non injusta videatur fuisse suspicio.

§. 880. Retentionis lochiorum *causas* plures jam indicavimus. Ad potissimas pertinent: violenta animi puerperae, medio sub fluxu, ab ira, terrore, zelotypia, metu, tristitia, vel et subitaneo ac immoderato a gaudio, commotio, concussio; spasmi hysterici aut alii, per odores ingratos rosarum, liliorum, cubiculi calce viva recenter obducti, etc. medicamenta dulcia, adversa, **Ret. lochior. causae.**

irritantia, excitati; oris uterini, sub istis, contractio, haemorrhagiae uteri *internae*, ex fundi et corporis ejusdem inertia, paresi inductae, vel *externae*, per injectiones adstringentes cohibitae, conjuncta; aura frigida, mox ab exclusione foetûs, ad sinum uteri admissa; potus gelidus, mammarum ac pedum, vel et corporis totius, per indusia, linteamina, refrigeratio. Sic, dum ex timore corruptionis atmosphaericae sub lectis nosocomii universalis, a. 1784 *Vindobonae* erecti, *ventilatores* aliquot in cubiculis aegrorum atque parturientium sat amplis, et ipsis sub lectulis exstruxissent: puerperae, a suppressis, mox a perflatione aurae frigidae, lochiis, ex morbis inflammatoriis plures perierunt; occlusis autem, et aliis cubiculorum in locis adpertis, his ostiis: mortalitatis haec inter puerperas ratio illico cessavit. Hùc porro spectant: portio placentae, aut grumus sanguinis, ori uterino inhaerens; cingula nimis adstricta; uteri, vaginae, a vicino tumore, ab hernia, compressio, prolapsus, usus ciborum nimiorum, subactu difficilium, potus spirituosus; oris uterini, maxime sub corporis puerperae positione hac vel illa, imprimis horizontali,

aversio; morbus quivis gravior, foeminam, vel adhuc gravidam, vel puerperam, a partu difficili, artificiali exhaustam, aut ore uteri laesam, inflammatam, vel alia, saepe incognita, ratione, corripiens, ac purgamenta uteri vario modo intercipiens: ut quibus a causis, lochiorum defectus, paucitas, suppressio descendunt, quae, ut diximus, nunc morbum *primarium* sistunt, nunc modo *secundarium*, varia variaque medendi ratione pertractandum; exhibent.

Prognosis.

§. 881. Sequitur ex dictis (§§. 856-859.), *prognosin* retentionis lochiorum *non unam* esse, atque eandem nunc atro, nunc laeto nimis colore notatam fuisse. Ac *primò* quidem, ut insignis quondam *Bataviae* medicus jam docuit, „non dicendus lochiorum fluxus suppressus, vel nullus, quando durante partu copiosus effluxit sanguis, ac ideo post partum paucissimus, vel nullus: quoniam qui secundum naturam effluere debuerat *post partum* tantum, praeter naturam effluxit *durante partu* sanguis." Quodsi igitur sub partu, vasa uteri jam satis depleta fuerint, atque, placentâ in integrum expulsa, proliferum hoc viscus, super osse pubis attactu exploratum, pro hoc tempo-

re, jam satis se ipsum contraxisse observetur; potissime autem, si nec parcitatis, nec suppressionis causa manifesta alia praecesserit, nec ullum morbi symptoma in conspectum venerit: non est, cur alia, quam fausta formetur prognosis. Similis praedictio erit, ubi, sub duabus his conditionibus, puerpera nulla unquam experta catamenia, vel ubi jam aliis in puerperiis, illaesa salute, parciora, aut nulla lochia excreverit, vel demum, ubi vicaria secretio aut per nares, per vasa haemorrhoidalia, aut per alvi fluxum moderatum et absque mulieris incommodo suppleverit.

Quamvis autem, *secundò*, summi quondam physiologi assertio, „*millenas* foeminas ex lochiis suppressis perire, si *una* ex haemorrhagia nimia ex partu legitimo perit," nec tunc quidem a nobis confirmari queat, si et illa puerperarum funera, quae ex suppressione lochiorum *symptomatica* ceciderunt, numeremus; tam ambigua tamen esse solet puerperarum, maxime delicatularum, conditio: ut, ubicunque solitam natura viam apud illas deseruerit; vel sub morbosorum silentio symptomatum, cautam nihilominus institui oporteat prognosin; ac

ut, cum antiquo *de muliebrium morborum medicina* scriptore, dicamus: „quod licet gravis *menstruorum* suppressio oppidò offendat; non tamen perinde, ac si partu naturali, vel difficili, vel etiam abortu supprimantur *lochia.*"

§. 882. Paucitas igitur, aut suppressio lochiorum, quae morbum *idiopathicum* constituunt, modo paucis, — retentio vero hujus uterini profluvii, quae aliorum morborum *symptoma* est, pluribus atque diversis, nec hìc exponendis, artis praeceptis innititur. Celebris ille *Bataviae* scriptor, cujus perspicacem de lochiorum suppressione sententiam citavimus (§. 860.), *generalem* ac non indignam, quae hìc conservetur, regulam posuit. „Inquirendum est, inquit, a medico, an molestiam aliquam patiatur puerpera? quae, si nulla sit; non est, quod temere conetur mutare qualemcunque lochiorum fluxum: sin aliqua occurrat, dispiciendum est, an copiosiori parciorique lochiorum fluxui adscribi possit, debeatque. Frustra enim fatigabitur puerpera mutando lochiorum effluxu in qualicunque, a quo nil patitur detrimenti." Therapia.

Quodsi ergo puerperam, sub fluxu lo-

chiorum aut aequo pauciore, aut promtius suspenso, aut nullo, morbosa symptomata prehenderint: mox omnis medicorum attentio in quaestionem, num fluxûs illius aberratio, suspensio, alterius morbi *effectum*, num vero ea ipsa istius *causam* constituat, convertenda; ac primo in casu, non alia, quam morbi *principalis*, cujus sub imperio genitalia arescunt, ratio habenda et cura gerenda est. Hanc ad quaestionem rite solvendam, sollicitum, tam *causarum*, quae morbum provocare potuerunt, quam verae istius *naturae* examen conducet. Sic, ubi a partu difficili, aut artificiali, vel a placentae solutione violenta, *metritis* exorta est, atque istius sub dominio, lochiorum fluxus suspenditur: non haecce suspensio, metritidis *causa*, sed *effectus* est; nec igitur iste, sed illa, medendi rationem nunc hanc, nunc illam sibi expetit. Sic, ubi puerpera, jam ante partum a gravi morbo (a febre acuta, ab haemorrhagia, diarrhoea, diuturna inedia) exhausta, post illum, fluxu lochiorum destituitur: non sane uterini profluvii defectus, sed morbus, a quo hic inductus fuit, curandus est. etc. Quodsi vero placenta, grumus sanguinis, orificium

uteri obturaverint: istius, per secundinarum extractionem, per injectiones tepidas ac emollientes, liberatio, retentionis lochiorum remedium constituet. Sic, ubi obliqua uteri positio, vel compressio istius et vaginae, ab hernia, prolapsu, tumore vicino, a faecibus duris, excluso foetu, ad intestinum rectum delapsis, per cingulum aut fascias nimis adstrictas, effluxum lochiorum impediant; his modo *localibus* vitiis (solam per explorationem pudendorum determinandis) secundum artis praecepta correctis, lochiorum descensui panditur via. *Venae sectiones* proinde ab aliis, ad lochia suppressa laudatas, ab aliis autem atro carbone notatas fuisse, nequaquam mirabimur, ac sortem haud magis faustam medendi ratio quaevis alia, hac sub retentione indistinctim adhibita, experietur. Sic certe *opium*, sub uteri incendio, vel alio, sub morbo quovis puerperarum hypersthenico, veneni adinstar fugiendum; quotiescunque vero terror, moestitia, vel adfectiònum hystericarum causae quaevis aliae, lochiorum effluxum, sub oris uterini contractione spasmodica, cohibuerint: si quid sit subsidii; vel solo, vel aetheri et alcali volatili commisto ab opio,

illud exspectandum est. Sic ubi virium languor vitalium uterique inertia, lochiorum excretionem retardant, vel supprimunt: *frictiones crurum, vesicantis* emplastri ad partem istorum internam usus, si modo, facilis hoc sub opere, refrigerii evitetur occasio, utilitatem habebunt; contrarios vero ex istis conaminibus effectus, sub nimia jam vasorum uteri repletione, aut visceris istius incendio, verebimur. Sub cruoris ad uterum, cum calore, tensione regionis hypogastricae, lumborum, congestione apud puerperas bene nutritas, vegetas, nec tamen utero purgatas atque, sub tali positione, in metritidem pronas, *hirudinum* ad internam labiorum vulvae majorum faciem adplicatio, vel crurum *scarificatio*, conducent; sub casu vero, quo foemina, a partu satis exhausta, nulla ex repletione vasorum uteri signa manifestat: artificiale hoc lochiorum, quibus debilior foemina vix indiget, supplementum, beneficii loco, nocebit. Ubi frigus atmosphaericum, sinui muliebri admissum, aut, ob metum haemorrhagiae, vel gelida, vel glacies imposita, vel adstringentia utero injecta, lochiorum effluxum cohibuerunt: fomenta emollientia genitalibus

ac ventri, unguentis similibus prius illinitis, admota, ac vapor tepidus ad vulvam directus, nec minus enema ex seminibus lini paratum, sopito vasorum erethismo, haec ipsa, quò, relaxata, cruorem coërcitum dimittant, invitabunt; quotiescunque vero regionis hypogastricae, lumborum tensio, genitalium internorum ardor, repletionis ingratae sensus, ac dolor, de vasorum uterinorum turgore jam nimio testantur; toties vaporum et injectionum, haec ad loca, jam nimis irritata, usus, instantis jam pericula metritidis augebit. Coeterùm, qualis sub diversa retentionum, de quibus hìc agimus, indole curanda indicatio est: talem quoque *diaetae* rationem requiri, vel sponte cuique patebit.

ORD. IV. GEN. III.

ISCHAEMIA NASALIS.

Transitio. §. 883. Praeter tributum cruentum, tam *menstruum*, quam *puerperale*, foeminae humanae a natura impositum (§§. 861-882.) nullum sanguinis profluvium homini *normale*, — hinc et nulla ejusdem *retentio*, stricte loquendo, *morbosa* est. Cum interim tot inter profluvia cruenta, homini haud raro insidiosa (Epitom. Lib. V. P. II.), nullum sit, quod, licet jure possessionis certos ac vitae annos instructum, hac tamen a sede praedilecta, non tam aetatis provectioris quam artis aut aliis ab armis, ejectum, tot strages humanis visceribus, quam *Epistaxis*, ac *haemorrhois*, inferat (§§. 593. 629.) earundem, jamjam *habitualium*, praematura suspensio, ut fertilis morborum origo *retentionum cruentarum* ordini, *Ischae*-

miae nasalis, mutuato a claro nosologo sub nomine, non immeritò subjugabitur.

§. 884. Est vero *Ischaemia nasalis*, cruoris e naribus, aut lege crisis, aut habitudinis imperio, excernendi, retentio. Definitio.

§. 885. Quae de indole, symptomatis, causis, et prognosi *Epistaxis* docuimus (§§. 588. 590. — 593.), ea, in mentem lectoris revocata, quod praecipua retentionis hujus profluvii argumenta contineant, praesentis brevitatem tractatûs explicabunt. Pauca tamen ex illis hic illustrare, quò clarior profluvii et ischaemiae nasalis connexio reddatur, necessitas nos inducit. Ischaemiae natura.

Quo propior suae origini homó, — eo major capitis ad coeteras corporis partes proportio est; nec tamen ideo *epistaxis*, primae infantiae, sed aetati puerili frequentius accidit (§. 590.): ut cujus phoenomeni, nulli coeterorum animalium pullo communis, ratio, non minus, quam illa alterius, nempe quod *sexus sequior*, ad profluvia cruenta damnatus, in puerili tamen aetate rarius longe, quam virilis, *epistaxi* subjaceat, ad problemata necdum soluta pertinet. *Adolescentiam*, loco epistaxis, *pneumonorrhagia*, — *aetatem virilem*, *haemorrhois*,

haematemesis, — sed *senectutem*, quasi secundam pueritiam, iterum *epistaxis*, et quidem apoplexiae saepe praenuntia, infestat. Atqui nec huic sanguinis fluxui atque refluxui explicando, humana ratio hucusque satisfecit. Sub hac vero physiologiae, lacuna, necessariò quoque tam pathologicam, quam therapeuticam de haemorrhagiis, ac de ischaemia doctrinam simul titubare oportet. Est frequens ab *erubescentia*, sub *hysterismo*, cruoris, et caloris urentis ad caput, praecipue ad faciem, suffusio, et quasi *raptus*, sub quibus sanguis haud raro de naribus se praecipitat. Est quoque, sub improviso et vehemente terrore, timore, istius liquidi et caloris animalis citissima a genis desertio; atque haec quidem fugacis naturae phoenomena, imperium nervorum in vasa et in cruoris circulum, haud male explicat; alterius autem et obscurae magis legis auctoritate epistaxis aut *critica*, in febre hypersthenica, aut *vicaria* pro menstruis, lochiis, suppressis, aut *periodica* in scenam prodit; nec semper et ubique symptomata, quae epistaxin praecedere, comitari docuimus (§. 591.), vel ex solo cruoris ad caput impulsu majore, sed, va-

riis in casibus, *secretionis pathologicae*, haud satis perspectae, ab opere, pendent (§§. 584. 592.). Haud minor vero, apud multos, *ischaemiae nasalis* theoriam premit difficultas: ut cujus morbi discrimina, non adeo ex *copia cruoris retenti*, quam ex *temporis et modi*, ad istius evacuationem *praescripti observatione neglecta*, proficiscuntur. Quod jam de *epistaxi* animadvertimus (§. 593.), hoc et in *amenorrhoea* locum invenit: ut vel una alterave uncia cruoris, sub ipsa periodo menstrua ab utero secreta, hoc viscus, licet abundantiori illius excretioni jam adsuetum, longe magis, quam octo unciarum sanguis, tempore non periodico e vena emissus, tranquillet, et haud multae hirudines, labiis vulvae, menstruorum emanentium sub epocha adplicitae, nisi haec ipsa adliciant; saltem prae detractione cruoris, aliis e locis triplo uberiore, turbas uteri componant (§. 875.). Plerasque virgines chloroticas menstruoque fluxu privatas, *conjugium*, potentius, quam emmenagogum quodvis aliud, hocce profluvio ac amisso genarum colore roseo instruit (§§. 875. 882.); genitalia vaccarum, verno tempore ex stimulo venereo

turgentia et sanguine madida, post solum cum tauro commercium, mox subsident atque cruorem plorare desinunt; quae singula, retentiones cruentas, non tam communibus, quam specificis dominii periodici legibus, modo parum hucusque intellectis, obedire ostendunt.

I. Symptomata.

§. 886. *Symptomata*, quae ischaemiam nasalem *comitantur*, cum illis, quae epistaxin praecedunt (§. 591.), conveniunt; quae vero illam tandem *sequuntur*, ea saepe longe magis funesta sunt, et in capitis imprimis morbis, in vertigine, etiam caduca, in cephalaea, susurru, tinnitu aurium, in amaurosi, sopore, apoplexia, pneumonorrhagia, vel sanguinis profluvio interno, in convulsionibus, etiam epilepticis, maxime consistunt. Historia *dysphagiae*, quam §. 593 levi modo calamo tetigimus, hic plenius exponi meretur. Viro scilicet optime nutrito atque robusto, triginta et aliquot annorum, urbis vicinae medicus, ob ventriculi oppressionem ac nauseas, emeticum praescripsit. Ab isto, vomitus frequens, ac tandem *dysphogia* successerunt. Cum haec ultima per tres jam dies continuasset: perterritus medicus, aegrum, ut *Ticinum* peteret nosque

ibidem consuleret, hortatus est. Ob nostram vero absentiam, experti medici alterius auxilium imploratum fuit: a quo demum nos ipsi, post octiduum ad urbem reduces, ad aegrum accersiti, intelleximus: eundem, ob deletum penitus oesophagi officium, quamvis et sitis, et fames valdopere urgerent, nec potum nec cibos unquam potuisse ingerere; sed eosdem, vix huic ad ventriculum viae commissos, constanter et cum impetu ore mox rejectos fuisse; quam ob rem, solorum enematum nutrientium, quovis bihorio injectorum, subsidio, vitam aegri hucusque sustentari licuerit. Sub tanta vero tamque diuturna inedia, mirabamur non parum, et faciem aegri adhuc floridam, et vires minime fractas, et pulsus neque collapsos ac debiles, sed satis adhuc plenos, nec ullo modo febriles. Nullus, ab ingestis, faucium vel oesophagi dolor; nec vomitus, sed modo promta et satis violenta eorundem ex suprema hujus canalis parte rejectio; nec ulla ad caput symptomata, quae, post assumtum emeticum, oesophagi *paralysin* subintrasse declararent, praecesserant. Ob laevitatem tam olei recentis, quam vitelli ovorum, ut aeger et ista, coram no-

bis, oesophago detrudenda committeret, consuluimus; sed non minus unum, quam alterum ex istis cum impetu citissime rejectum fuit. Quare, ut, ob urentem atmosphaerae aestum, glacies condita irritato nimis oesophago offerretur, proposuimus. Sequente interim die, neque glaciem ab oesophago admissam, sed illico eodem expulsam fuisse, percepimus. Interrogatus nunc aeger: num aliò unquam, et quali, morbo laboraverit? num sanguinem aliquando aut naribus, aut ano reddiderit? respondet: se, quibusdam ab annis *epilepsiae* insultibus hinc inde, frequentius autem uberiori *epistaxi* subjectum, coeterùm vero semper robustum ac herculeum fuisse; sed a sex fere mensibus, contra consuetudinem contractam, nullum e naribus sanguinem sibi manasse. Etsi autem per *undecim* jam *dies* aeger, nec quidquam ore hausisset, ac solis enematibus, ex jure carnium et ovorum vitellis paratis, vitam sustentare coactus fuisset; eidem nihilominus mox unam utrique narium ostio hirudinem adponi et, cauda istius, si opus foret, resecta, sanguinis portionem, illi, quam epistaxis, quondam habitualis, fundere solebat, circiter aequa-

eem, detrahi jussimus. Hoc modo, cruoris fere libra naribus effluxit; ac tantus artificialis epistaxis effectus fuit: ut paucis ab illa moris elapsis, plena oesophago libertas restituta videretur, nobisque adstantibus, tam potulenta, quam esculenta liquida, sub cautione, post inediam tam longam, debita, concessa, ventriculo sine mora transmiserit. Laetitiae vero, tam prosperum rerum ob eventum, non injustae, jam die sequente non parum detractum esse doluimus. Dysphagia scilicet, primâ haud mitior, a somno rediverat. Cum vero nulla in aegro aut rium jactura, aut pulsuum debilitas nos osterruerit; ad pristinum ex duabus hirunnibus, iisdem narium ostiis adplicitis, ubsidium recurrimus, ac octo circiter uncias sanguinis iterum detraximus; atque hus effectu auxilii, constantem dysphagiae m ominosae tamque rebellis, medelam btinuimus.

Post adfectiones *encephalicas* ex ischaeia oriundas, nulla communior, quam illa *ulmonum*, pneumonorrhagia scilicet, esse nsuevit. Frequentius hoc morbi genus, ex ppressa epistaxi, in *sexus virilis* juvenis, quam in *virginibus* ad menstruam pe-

riodum jam satis maturis, ut quas haec ipsa subintrans sibi vindicat, occurrit; quamvis et existius profluvii normalis obstaculis saepe nimis pulmonum parenchyma cruentetur (§. 608.).

Causae. §. 887. Cum pars magna *causarum epistaxis*, maxime *criticae* atque *periodicae*, nos lateat (§. 584.); non sane perfectior nostra, *originum ischaemiae* singulatim scientia esse potest. Huic interim, quousque per humanae mentis confinia licet adpropinquabit ille, qui *ischaemiam* iisden fere causis, unde profluvia et retentiones in genere repetenda esse diximus (§§. 466 584. 592. 608.), adscribet. Sic pars causarum epistaxis *externarum*, ut sunt poly pus, tunicae Schneiderianae excoriatio, ci catrix, herbae nicotianae tabaci pulvis, rebu suspectis commistus, fumi, vapores acriores sicut narium profluvium cruentum (§. 592.) — ita et ischaemiam nasalem inducen facultate instructa est. De causis *internis* lo quendo, prout virium vitalium energia, a quo nunc major, nunc minor, — vel pro sanguinis, per causas locales, externas, in ternas distributio, hac in parte, quam alia, aut justo impetuosior, dissolutior, a

mis languida, restricta, inaequalis, secre-
ones vasorum morbosas et cruentas indu-
t: ita quoque easdem, jam forsitan *ha-
tuales* ac, vel ob longam consuetudinem,
l in alterius secretionis normalis, cohibi-
e supplementum necessarias, haud raro
aegri detrimentum *supprimit.* Quam fa-
ei *puerilis*, ope *calidae* instituta lavatio,
istaxin, tandem habitualem, induxisset:
nc, in *adolescentia*, faciem eandem *fri-
dâ* lavandi, mutata consuetudò, facile re-
ngueret. Quo tempore, ab hodierno pa-
m remoto, Europae juventus utriusque
xûs potior, crispandis, ope ferri, vix non
udentis, capillis, per horas matutinas oc-
pata, cruorem sibi ad caput, hoc modo
calefactum, adlexit; si frequenter tunc
nguis per vasa narium aufugerit, haud sa-
mirabimur; quo vero tempore eadem
ventus, obsoleto hoc more, ad alium,
iori oppositum, subito transivit, crines
i vix non omnes, monachali forfice, ab-
dit, et caput fere nudum atmosphaerae
issitudinibus exponere ausa est: eo, non
mus, habitualem epistaxin apud multos,
propriam perniciem cohibitam fuisse, mi-
imur. Adolescentem succiplenum, cursu,

equitatione ac armorum tractatione per annos academicos strenue occupatum, vel ob acceleratum sanguinis torrentem, vel ob illatam repetitò naribus violentiam, cruorem ex istis frequenter, ac tandem periodice amittere, — eundem vero juvenem, aetate nunć magis provectum, ac vitae socialis negotiis et curis intentum, sic, ut consueto corporis exercitio derepente destitutum, habituali illo sanguinis ex naribus profluvio privari, — ex isto vero aliquoties suppresso, in plenam discrimine pneumonorrhagiam incidere, haud sane obstupescemus.

Prognosis. §. 888. Haud paucos dari morbos, qui corporis humani, aut partis ejusdem, dominio aliquamdiu potiti, quò functiones ex illis reliquas utcunque absolvi concedant, donec vel suo ipsi imperio renunciaverint, vel aliam isti provinciam submiserint, absque vitae discrimine majore, *nec a longe quidem tangi* queant, tristis ac nimis confirmata, nec tamen in artis exercitio cuivis satis perspecta, veritas est. Hùc vero *Ischaemia, habitualis* jam reddita, vel maxime pertinet (§. 886.). Haec scilicet, non modo vasorum *nasalium**, sed simul, ex quibus ista oriuntur, *cerebralium*, *facialium*, a

etento cruore repletionem pedissequam ha-
et; ac *primò* quidèm, ratione hujus pro-
apiae, phoenomena, ab illis, quae amau-
osin, encephalitidem, vertiginem caducam
osamque apoplexiam praecedunt, haud
nultum aliena producit (§§. 593. 885. 886.):
nde non pauca ischaemiae, in hos ipsos
erebri, a seroso, cruento humore inundati,
ompressi, irritati, adfectus, vel et in mor-
um herculeum atque in paralysin conversae,
empla prostant. Sed quae, *secundò*, ip-
orum *pulmonum* profluvia cruenta ex
chaemia haud infrequenter oriri jam dixi-
us: ea nec vasorum adfinitas, nec pletho-
a semper explicat; sed ex incognita hae-
orrhagiarum, quae vel puerili, vel juve-
li, vel virili, vel demum senili aetati ma-
s insidiantur, lege (§. 582.), vel ex ad-
nisita, aut haereditaria ad phthises prae-
ispositione, maxime vero ex strumoso pul-
onum habitu, descendunt. *Tertiò*, vel
sa, quae *habitualis* necdum, — sed po-
us *critica*, aut et *vicaria* dicenda est, epi-
axis, praepostere ac inconsultò coërcita,
l inchoatam morbi acuti solutionem prae-
indit, ejusque violentiam simul ac pericula
auget; vel non tam secretionem, cujus

vices, innocua, assumserat, quam haemorrhagias internas, ac ominosa viscerum incendia provocat.

Cura. §. 889. *Ischaemiae nasali medendi rationes* potiſsimas, sub fine §. 594, ubi de *cura epistaxis* egimus, jam ita, ne multa hic iisdem addenda supersint, exposuimus. Haec vero, praeter illa, in eo vel maxime consistunt: ut ischaemiae effectus iniquos, respectu causarum et constitutionis aegrorum non parum inter se diversos, ad principia ex his ipsis repetenda, vel perfecte tollamus; vel, nisi praestari haec liceat; pro viribus saltem moderemur. Hoc igitur narium profluvio, jam habituali, quousque aetas eidem opportuna faveret, ob neglecta corporis exercitia pridem consueta, praepostere suppresso, ad ista, nisi morbus, qui talia vetaret, jam subintraverit, gradatim et caute, donec, juvenili ardore ac mobilitate sedatis, aetas virilis et strictiora vitae socialis vincula superabundantem sanguinis aestum temperaverint, redeundum est. Cum vero, sicut secretiones morbosae aliae, vel ex totius systematis, vel ex organi secernentis vitio, ac vi vitali aut in illo, aut in isto, aut in utroque, nunc justo

intensiore, nunc vero nimis dejecta oriuntur (§. 466.): ita quoque profluvia cruenta non minus, quam eorum, jam *habitualium*, retentio, ex fonte non alio scaturiant (§§. 566. 887.); sequitur, et ipsam *ischaemiam*, ut ejusdem familiae iniquae sobolem, similibus, ac mala adfinia, armis, ex consideratione causarum petitis, esse impugnandam. Quodsi igitur nares, ob morbum praegressum, ob humorum, alias per vias, jacturam, ob nimios labores, aut ob sublatam diu inediam, ob venti frigidioris in faciem, vel atmosphaerae gelidae in calvariam, suis praepostere crinibus forte spoliatam, actionem, ob animi pathemata deprimentia, cruorem consuetis periodis plorare destiterint, atque ischaemiae symptomata (§. 887.) subintraverint; restaurandarum virium, prae omnibus, ratio habenda est, hisque gradatim restitutis, secretionis habitualis jura interceptae vel sponte praevalebunt. His autem, e contrario, a nimia vasorum oppletione, tensione, irritatione suppressis, medendi methodus opposita locum inveniet ac, exemplo proprio, supra (§. 886.) allato, cruoris e naribus detractio instituenda est. Ubi vitia ad nares internas localia, corpora peregrina

iisdem introducta, polypus, vel excrescentiae aliae, cicatrices, concretiones per ulcera variolosa, siphylitica, per ipsam polyporum exstirpationem, membranae pituitosae inductae, coryza chronica, aut herbae nicotianae tabaci pulvis, rebus adstringentibus remistus, similis naturae vapores, secretioni habituali cruentae obicem posuerint; hoc ipso, pro viribus arti concessis, remoto, habituali cruoris profluvio via consueta pandenda, vel morboso torrenti, ab ista in canales nobiliores aberraturo, hirudinum ope adperienda est.

Ord. IV. Gen. IV.

ISCHAEMIA HAEMORRHOIDALIS.

§. 890. Praemisso de *haemorrhoide* tractatu (Epit. Lib. V. Part II. Ord. III. Gen. V. §§. 617-625.), ejusdem nunc profluvii, jam habitualis, retenti, seu *Ischaemiae haemorrhoidalis*, mentio brevis facienda est. Hoc vero sub labore, quorundam, hoc de morbo jam illinc expositorum, repetitio, sicut evitari haud potest: ita nec sua, pro illis, quibus potissime hoc opus dedicavimus, utilitate carebit. **Instituti ratio.**

§. 891. Morbosum quidem, ut ipsa *epistaxis*, hoc sanguinis, aut et muci, e recti intestini vasis profluvium; ac sub vita sociali, imprimis sub coelo gelidiore, ac sub vivendi ratione, huic ipsi, vel militiae equestri, vel certis artificibus propria, quovis alio profluvio cruento, utrumque apud **Haemorrhoidum frequentia.**

sexum, longe frequentius est: ut qui hostis, hac *trunci*, apud hominem erecti, declivi provincia potitus, absque incendio ac devastatione istius, nisi generali, ex eadem vix unquam ejicitur. Jam alio in loco, physiologorum quorundam opinionem, *incessum corporis erectum*, non parum ad foeminae humanae solius periodos cruentas contribuère, nec nos quidem rejecimus (§. 641.). Quodsi nunc et ipsos adeo *viros*, haemorrhoïdibus subjectos, ab iisdem saepe haud minus, quam foeminas a menstruis, *periodice* vexari, nec ullum aliud cruoris profluvium, sicut haec duo ex pelvi profluvia, periodicum dari, consideremus; suspicari saltem licebit, menstrua, etsi *lege sanitatis*, — haemorrhoides autem, *morbi imperio*, fluant; *incessui* tamen foeminae humanae *erecto*, vel ipsum tributum cruentum, quousque uteri, satis maturi, vitalitas eidem solvendo par est, esse impositum.

Ischaemia haemorrh. symptomata. §. 892. *Columnae vertebralis dignitatem in morbis*, quousque in brevi oratione academica, anno 1791, Ticini a nobis recitata, id fieri licuit, exposuimus; atque doctrina, quae tam nobilem ipsius cerebri sobolem, aut (quod alii praetenderunt) ma-

trem, concernit, respectu tam physiologico, quam pathologico, hucusque haud parum exculta fuit. Atqui haec ipsa, de medulla spinali, de ejusdem vasis, involucris membranaceis non minus, quam cartilagineis, osseis, doctrina, sicut ab illa morborum, qui thoracem, abdomen ac extremitates, detinent: ita potissime malorum, quae retentionem menstruorum, lochiorum atque haemorrhoidum comitantur, sequuntur, separari nullatenus potest. Jam sola hos fluxus *molimina* — multo magis autem eorum *retentionem* pertinaciorem, oppressio, tensio, calor, dolores lumborum, abdominis, coxarum, comitantur, ac vasorum intestini recti, sub haemorrhoide, turgor, splendor, aestus ac dolor atrox, quid in vasis specûs vertebralis, maxime lumbalis, consanguineis, contingat, et quantum haec ipsa, quamvis oculis subtracta, turgeant, stimulentur, ad phlogosin, secretiones morbosas, abscessus, vel ad varices ac earum rupturas invitentur, satis ostendunt. Non paucae abhinc vertebrarum, imprimis lumbalium, erosiones; ex nervorum, receptaculo lotii dicatorum, irritatione, compressione, dysuriae, ischuriae, vesicae crurum-

que paralyses; vel, si vertebrale systema vasorum huic impulsui resistat; encephali, pulmonum, aut ventriculi illud subigitur, atque vertigines, aurium susurrus, tinnitus, amauroses, cerebri phlogoses, hydrops acutus, apoplexia, faucium inflammationes, dyspnoea, pneumonorrhagia, peripneumoniae, haematemesis, morbus niger *Hippocratis*, et alia (§§. 621. 624.) sequuntur. Alia vero, dum magis abdominis ac pelvis in viscera haemorrhois furit, ad hepar, lienem, intestina, maxime ad rectum, ad vesicam, uterum, vaginam, ipsos ad testes, symptomata, jam satis §. 621. enarrata, nascuntur.

Causae. §. 893. Ischaemiae quidem haemorrhoidalis *causae*, cum illis retentionum in genere (§§. 648. 698.), et in specie, ut mucosarum (§§. 530. 839.), cruentarum (§§. 859. 873. 880.), vel maxime conspirant; sicut interim *habitudinis* in secretiones tam sanas, quam morbosas, agendi ratio nos latet: ita quoque causarum plurimarum, quae *habitualem* haemorrhoidem, nunc in aliud profluvium, facile *vicarium*, permutent, nunc eandem imminuant, suspendant, nunc penitus supprimant, cognitio haud raro nos

fugit. Sat evidens interim saepe *frigidorum, adstringentium,* in cohibendo hocce profluvio effectus est, et quamvis haemorrhagiae, his e locis, maxime amplioribus eorum e saccis diruptis, saepe reluctentur pertinaciter (§. 623.); haud raro tamen haec ipsa artis conamina, *intestini recti incendium,* vel procreant, vel, jam praesens, adaugent, membranae hujus canalis mucosae interstitia cellulosa humore puriformi infarciunt, callosam vix non in illa duritiem, imminuta longe recti intestini diametro, inducunt, ac ipsa demum ejusdem vasa obliterant. Quemadmodum vero ad uterum, vaginam, urethram, — ita etiam ad ipsum intestinum rectum, ex causis diversis, erosiones, ulcera, et, ab istis exsiccatis, aut ad sanationem perductis, cicatrices nascuntur, quarum effectu, vasorum ostia haemorrhoidalium concrescunt, ac habituali sanguinis effluxui resistunt. Sed ipsa *saccorum haemorrhoidalium* sollicita nimis et absque omni exceptione instituta destructio, *excisio,* habituali huic profluvio (quidquid in contrarium dixerint aliqui) obicem ponit.

§. 894. Quae ischaemiae haemorrhoidalis *prognosin* respiciunt, ea partim ex ipsa **Prognosis.**

expositione symptomatum (§. 892.), partim vero ex illis, quae de habitualis suppressione haemorrhoidis, jam §. 624, praediximus, satis elucent.

Cura. §. 895. Sic etiam quae ad *curam* inveteratae jam haemorrhoidis suppressae spectant, ea, sub istius profluvii therapia (§.625.), jam satis exposuimus. Omnis autem attentio tam in *causas* suppressi profluvii, quam in *effectus* illarum convertenda, et proinde, si stimulas aequo major, vel minor, habitualem hanc secretionem turbaverit, et effectus illius in morbo vel sthenico, vel adynamico constiterit: evitatâ hac ischaemiae origine, medendi ratio vel debilitans, vel excitans, et organo, quod ab ista magis adficitur, conveniens, secundum artis praecepta jam alibi exposita, administranda est. Hinc, e. gr., ubi, suppressa haemorrhoide, sub signis plenitudinis et congestionis ad caput, illius vices *epistaxis* subiverit: haec ipsa, nisi superabundans, nullo modo coërcenda est. Ubi, sub eadem rerum conditione, sanguis intestini recti a vasis, ad illa pulmonum iniquo cum impetu conversus, *pneumonorrhagiam* provocaverit; ob majora hujus profluvii, imprimis repetiti, discri-

mina, venae sectio, hirudines ad anum, clysteres emollientes, indicabuntur. Ubi, sub virium languore vitalium, habitualis cruoris per anum secretio, ultra periodum consuetam cessaverit, atque illius a retentione, salutis laesae symptomata subintraverint; ratio medendi potius erigens, atque remedia tam interna, quam externa (haud neglecto interim sensibilitatis morbosae respectu) hunc in finem eligenda sunt. Hinc illa, quae intestina, imprimis rectum, leniter irritent, alvumque moderate exonerent, aloes soccotrina, rheum, amaris, sub forma pilularum, conjucta, sal glauberi, borax veneta, paucas ad doses, ore porrigenda; exterius vero, clyster cum saponis moderata portione, vapores ad anum, semicupia, frictiones crurum, cucurbitulae siccae, tam istis, quam ossi sacro impositae, equitatio, imprimis commendari merentur, etc.

Ord. V.

RETENTIONES ADIPOSAE.

Agendorum ratio. §. 896. Quasi vel *carnosum*, vel *pinguem* dici, unum idemque exprimeret, jam *Graeci*, humani corporis habitum, non modo *torosum*, sed et *obesum*, carnem superfluam, seu *polysarciam*, inepte sane, vocarunt. Nec etenim fibras carnosas numerosiores homini toroso, quam macilento, sed modo magis succulentas, sana ratio concedit. Alimentorum, ex regno animali, vegetabili quotidie haustorum, principia, non pauca, *oleosa*, tam oris, quam ventriculi intestinorumque in cavis varios in sensus commista, plus minus subacta, sub specie *chyli*, seu emulsionis animalis, in alveum cruoris delata, a vesiculis rotundis ac membranaceis, in tela partium certarum cellulosa contentis, ac reti vasculoso subtili in-

structis, *secerni*, ac istis in marsupiis, vel *adipis*, vel *sebi* sub consistentia commorari, non modo haud morbosum, sed naturae humanae, exceptis foetûs uterini primordiis, conforme est. Quae interim de pinguedinis in animalibus generatione, differentia et officiis, *physiologi*, — et quae de hujus principii compositione ac indole, *chemici* adnotarunt, ea, ut ab aliis jam satis exposita, quousque ad morborum ex adipe retento cognitionem et curam pertinent, levi modo calamo hic tangimus.

§. 897. Inter ista, potissimam attentionem merentur *aetas* humana, collectioni adipis, prae aliis, favens, ac retentionis adiposae, tam sanae, quam morbosae, natura fere *periodica*. Ante quintum scilicet a foetûs origine mensem, pinguedinis, ejusdem in corpusculo, nullum vestigium detegitur. Post partum, ac primis infantiae annis, hoc ipsum, apud plurimos, adiposo in panniculo, cuti substrato, pinguedine turgere, et plicas cutaneas efformare, commune est. Ab aetate puerili, mediam vitae ad epocham, adeps, exceptis haud multis, ad istum vel maxime dispositis, imminui suevit; tunc vero, apud praedispositos, per

De pinguedine nonnulla.

Aetatis influxus.

quatuor fere lustra, saginationis incommoda quotidie crescunt. „Pinguia (interim) corpora citius senescere," historiae naturalis apud *Romanos* princeps jam edixit; et qui pingues, senectutem provectam attingunt: ii, molesto hoc onere sensim liberati, aut in hydropem, aut in tabem lethalem incidunt. Nec minoris momenti observatio, certas corporis partes (magno contra adipis, per arteriarum parietes percolationem argumento), ab omni depositione adipis immunes vivere, docet. Ita nec in calvaria, aut in cerebro, nec oculorum in bulbis, nec in larynge, trachea, nec in tela cellulosa palpebrarum, aurium, scroti, praeputii, nec in pulmonibus, hepate, liene, nec in renibus, utero, adipi locus conceditur. Nullam interim corporis partem dari, quae, sub certo causarum, hucusque ignotarum, imperio, in *materiam adipoceream* converti, aut *steatoma* concipere haud queat, ex observationibus, nobis quoque propriis, conjicimus. Frequentior superabundantis pinguedinis sedes est ad orbitas, ad genas, ad mentum, ad mammas, potissime muliebres, ad Ilia, foeminarum plurimarum (*Africae* interioris prae aliis),

Partes ab adipe immunes.

Partes adipi subjectae.

ad nates et crura, ad ventrem, omentum, veluti adipis emporium et centrum, ad mesenterium, ad renum ambitum. Ossium longiorum in cavis adeps majore copia ac densior, quam eorundem in cellulis, colligitur. Nunc autem partes, recipiendae pinguedini faventes, *singulae*, — nunc modo *una* ex istis, e. gr., cor summum, mediastinum, — dum coeterae nonnisi modice turgeant, clandestine inundantur ac suffocantur ab adipe. *Pinguedinis*, in hominibus, coeterùm sanis, collectio plerumque *lenta*, — post morbos autem varios, sub dispositione ac vivendi ratione quorundam diversis, *celerior* est. Qui *saginandis* in animalibus domesticis satis versati sunt, oeconomi: ii, praeter tractationis beluarum, et pabuli, iisdem hunc ad finem magis opportuni rationem, et illa in *temporis*, quo vel mediam, vel summam animalis, hujus, illius, pinguedinem lucrentur, adcurate definiunt. „Pinguescere (sues) *sexaginta diebus*, sed magis tridui saginatione orsa," naturalis historiae parens jam ipse animadvertit. Primam certe intumescentiae, a pinguedine nimia, partem, in utroque sexu, *venter*, — alteram, in foeminis, *ubera* sibi sumunt.

Pinguedinis incessus.

Nec ordine alio, hoc in sexu, macies morbosa, tabes imminens, a mammis orditur; quod jam sola *butyri*, sub lactis vehiculo in istis secreti, cum *adipe* adfinitas exspectari juberet. Quas interim vias adeps (partium corporis divisioni, intervallis implendis, fulcro, custodiae, fotui, flexilitati, formae, elegantiae, — forsitan et bilis, et ceruminis aurium, et smegmatis cutanei compositioni, destinatus; ideoque ad resarcienda nutritionis detractae principia resorbendus) sub corporis, a morbo graviore correpti, fuga, saepe praecipiti, moliatur, haud satis ubique adpertum est. Vel sanum apud hominem, per folliculos *cutis* sebaceos, adipem continuò, sat copiose excerni, sordes illius, ac tunicae linteae, per paucos modo dies pelli humanae contiguae, spurcities, haud absque saponis officio tollenda, et strigilis ipse, a balneo, commonstrant. His ipsis in sebaceis cutis folliculis interdum, alio sine morbo, concretiones calculosas, et quidem copiosas, simul reperiri, observatio docuit. „Adeps humanus, ut jam summus *Helvetiae* physiologus docuit, multis modis induratur. Vidi, absque vitio, quod certe innotuerit, sebaceas, lentifor-

mes particulas durissimas et pene calculi similes, nisi ad ignem liquari se passae essent, sub cute partis internae tibiae humanae dispersas. — In Hernioso adeps sebi similis in transactionibus philosophicis n. 326 describitur; idque vitium in omento elapso frequens est, ut cum periculo intestina comprimat." Duos vir, quondam celebris, casus retulit, „in quorum primo, mulier gracilis, sine febre, et sine emaciatione corporis, excrevit singulis diebus, quatuordecim amplius per menses, plurimum flavescentis adipis, incumbentis stercori instar butyri liquefacti, sed ea plerumque copia: ut potuisset replere aliqua vascula. Carbonibus injectus, edebat flammam satis lucidam, et remanens aliquamdiu in excretis refrigeratis, concrescebat instar durioris adipis. Sanitas mansit illaesa. In secundo casu, tum ex ano, tum ex vesica, similis adeps excretus fuit sine febre aut fluxu colliquativo, tandem vero mortua est haec vetula, 70 annos nata." Plura *urinae*, per multos annos *oleaginosae*, — sudoris pinguis, — pinguedinis merae, per alvum exclusae, exempla in fastis medicis exstant. Major interim urinarum pinguium, telam,

sua in superficie, quasi araneam, iridisque multiplici colore splendentem, referentium, in morbis tam acutis, quam chronicis, maxime *colliquativis*, ut vocant, numerus, sub prognosi saepe nimis funesta, occurrit. Quamvis *combustionis spontaneae* rationem solo in adipe quaerendam esse, vel ideo haud credendum sit: quod macilenti non minus, quam pingues, — quod foeminae plures, quam viri, — quod senes magis, quam juvenes, mirandum ac flebile hocce phoenomenon obtulerint, — quod tantummodo homo vita instructus, nec unquam, quod sciamus, *cadaver* illius, sponte deflagraverit; non injusta tamen nobis videtur suspicio: *oleosum* illud, quod nullibi carnium ac ossium deest, *principium*, vitalitatis illi, qualecunque hoc sit, rariore quidem, nec hucusque cognita, non soli interim spirituosorum abusui propria, igneae evolutioni materiae ac, sub atmosphaerae contactu, incendio illi spontaneo alimentum porrexisse.

Symptomata §. 898. Magnam satis, diversam tamen in subjectis, aetate, sexu, proceritate et constitutione corporis diversis, ad molem adeps, quin laesio functionum conspicua

sequatur, universim ascendere potest; quoties interim pinguedo, ad cordis, vasorum majorum, aut nervi principalis vicinias, nobiliorem et circumscriptam sibi sedem elegerit: toties ea, (et quidem longe obscuriore, vel aliquando prorsus inextricabili sub diagnosi,) partium istarum atque adfinium functiones promtius atque longe ferocius opprimet. In eusarchis (carnosis) non saginatis subjectis, celebris *Galliae* quondam nosolochus, pondus adipis dimidiam totius corporis partem constituisse, retulit; vix interim hominis mediae corpulentiae atque staturae, corpus, partem súi vigesimam pinguedinis offeret. Sed quousque pinguedinis massam, quibusdam in hominibus, ascendisse, experientia non docuit! Nos ipsi, *ticinensis* notarii, ob urinae retentionem defuncti, 400 librarum cadaver sectioni submisimus, ac regionem ejus hypogastricam, cutem inter ac lineam albam, adipem, quatuor cum dimidio pollices altum obtulisse, observavimus. Mulieris triginta sex annos natae, ac libras 480 pendentis, — viri, 600, — alterius, 650 librarum, et 15 pedum anglicorum circumferentiae, exempla, apud scriptores alios reperimus.

Generalia, Oportet vero alia aliaque pinguedinis, vel copiâ modica, vel insignem ad molem, — vel sensim sensimque, vel rapida magis secretione — vel hanc, vel illam in telam cellulosam depositae, symptomata esse. Principalia, inter ista, vasorum, nervorum, musculorum ipsorumque viscerum compressio, distractio, distorsio, sunt. In adiposis, arterias, venas ac viscera non esse majora, quam in macilentis ejusdem staturae hominibus; adeoque hepar, lienem, pulmones, in pinguibus, respectu ponderis totius, esse dimidio minores, quam in macilentis, laudatus jam nosologus animadvertit. Sed neque mala haec vasorum, ratione voluminis corporei, proportio sola hìc obest; sed ipsa cordis, canalium sanguiferorum lymphaticorumque diameter, incumbentis pinguedinis a pondere imminuitur, deletur; cruor, his a locis aversus, ad alia, illis, ob adipis absentiam, liberiora, cogitur, istorum in vasis, jam nimis oppletis, irritatis, ad secretiones morbosas, incendia, nisi ipsam ad fugam, ac vicini parenchymatis ad inundationem, subversionem, in partis, aut in totius perniciem, incitatur, abripitur. Mirabimur sane vasorum

lacteorum, sub jugo mesenterii, omenti apud pinguiores tyrannico, in solvendo quotidie tributo chyloso, et vires, et patientiam; sed est, ubi et vasa lymphatica, post laboriosum, vel a pedibus ad abdomen, pinguedine refertum, — vel ex isto, per ductum thoracicum, a vicino steatomate forsitan compressum, ad venam subclaviam iter, colla huic tandem jugo subtrahant et, nimis jam fessa, quae vehenda sibi assumserant, liquida, haec superiora versus portare, pertinaciter recusent, et hoc modo tam pedum oedema, quam asciten et hydrothoracem invitent. Non minor ab *adipe* nimio, nervorum oppressio est. Hos quidem ille, pauciore sub copia, amice amplectitur, lubricat, a frictione, stimulis externis, defendit, et ab ingrata frigoris impressione custodit; vix autem, sub hisce blanditiis, improvide nimis admissus, et loco insidiose potitus est, cum hospiti incauto jam nodos et vincula tendit, ac ista tandem, quotidie auctus, ad strangulationem usque adstringit. Hoc igitur pinguedinis superabundantis sub onere, languet nervorum ac tandem prorsus obtunditur sensibilitas. Jam antiquus de re rustica scriptor,

„suem, quae prae pinguedine carnis, non modo surgere non posset, sed etiam, ut in ejus corpore sorex, exesa carne, nidum fecisset," commemorat. *Dionysium*, *Heracleae* tyrannum, adeo obesum fuisse referunt veteres: ut a somno continuo, longis, in corpus defixis acubus fuerit excitandus. Vel ipsas animi dotes, etsi pingues sat multi ingenio polleant, continuata in longum saginatio tandem pessumdat. Non igitur, et Graecos, maxime *Lacedaemones*, et *Romanos*, pinguedinem civium nimiam, quasi mollitiei foemineae ac luxuriae filiam, sub legis vincula conjecisse, mirabimur. Ab illa nimirum, et densitas, et agilitas, et irritabilitas, et robur, et directio fibrarum muscularium infranguntur, mutantur; et junctis, huic musculorum inertiae, vasorum, in suscipiendo, propellendo cruore, a superincumbente pinguedine, obstaculis: cur sub acclivium adscensu, sub exercitio corporis alio, vel protracto, vel quidquam strenuo, et anima vix non deficiat, et cor, prae angustia, palpitet, et sudor profusus cutem inundet, intelligitur. Nec alia viscerum thoracis, abdominis, pelvis, a majore pinguedinis mole oppressorum, distorsorum,

ut infra docebimus, sors est. De copiosae pinguedinis, sub magnis atmosphaerae caloribus, sub febribus acutis, violentis et diuturnis sub corporis exercitiis, frequente corruptione, plura quondam somniarunt, quam fida experientia et analysi chemica ducibus, detexerunt pathologi. Longae quidem stagnationis, et atmosphaerae tepidae influxu, axungiam tandem rancescere tetrumque odorem spirare, — in aetate infantili, adipem album, insipidum, — in adulta, solidiorem, subflavum, — in senili, coloris magis obscuri, ac saporis fortioris esse, — pinguedinem, destillationi submissam, de acido sebacco testari, — obesorum sudores magis foetere, — pinguedinem, utpote vivo in homine haud solidam, etsi cruoris in torrente oleosi nec quidquam compareat, continuò nihilominus resorberi, ac mox varie mutatam, combinatam (animalium, a somno hiberno macilentiorum, testimonio) nutritionis ad opus converti, — sub morbis acutis, sub violentis exercitiis, hanc resorptionem adipis celeri passu saepe absolvi, atque hunc, ita resorptum, haud lentius disperdi, observatio docuit; ast vero, „dum vivit animal, adeps omnino ad fluida perti-

net," ac ista, chemiae legibus recalcitrant, ac solo vitalitatis munita praesidio, indolem illarum saltem influxu immunem conservant. Si de adipis consistentia, colore, odore, sapore, sub aetate ac sub vitae genere diversis sermo fuerit; hasce differentias prorsus normales, et cuivis subjecto specificas esse, dubitari nequit. Etsi vero adeps, a butyro, ratione tam originis, quam indolis, haud multum differat; sebaceum nihilominus acidum, destillationis ope in pinguedine repertum, istius modo encheiresis effectum sistere, haud absque ratione videtur. Cutaneae foetorem secretionis, de humorum corruptione testimonium haud edere, sudorum, purissimos quamvis ad pedes, ad axillas multorum, quidquod animae ipsius aliorum, perfecta sub salute, ingratissimus naribus odor evincit. A celeriore pinguedinis plurimae resorptione ac transitu ad sanguinem, quin ulli illius evacuationi locus sat promte concedatur, morbos posse accendi, negare haud contendimus; sed num vasorum abhinc inducta plenitudo hos magis, quam adipis rancor aut qualitas morbosa inducat? hoc nos, ut alia bene multa, ignorare fatemur.

Quodsi tanta *universo corpori* incommoda pinguedinis adcumulatio pariat; non minor sane malorum, ex plurimi adipis aut sebi,. *circa partes* illius, collectione, series est. Potissima ex istis modo hìc tangimus. Sic, *exophthalmiae*, a tumoribus folliculosis, a *steatomate* productae, ac nervi optici, ab hìs, cum visûs obnubilatione, jactura, compressi, in longum distracti, exempla habemus. Monente egregio quondam anatomico, ac *de obesis et voracibus eorumque vitae incommodis ac morbis*, scriptore „pinguedo facile sub lato arytaenoidaeae utriusque vinculo et tegmine, deinde super thyreo-arytaenoidaeo musculo, ventriculoque *Galeni*, atque porro circum arytaenoidaeam glandulam uberius colligitur, ipsumque superiorem hiatum arytaenoidaearum cartilaginum magis, quam inferiorem veramque glottidem urgere ac adficere solet. Cujus modicum magis in aliis, deinde vero plurimum in eunuchis, et illis, qui muliebri ex otio majorem olei facileque figendi copiam sibi adquirunt, videtur, his locis residere: cum saltem clariorem vocem, et inde magis acutam ex strictiore glottide reddunt." Non male hinc ora- Specialia.

tor *romanus*, „Doctores expressis verbis, ut suis quaeque literae sonis enuntientur, loqui jubet: quorundam enim, inquit, vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus." Certe, si mentum illud obesorum tripartitum, ad sterni confinia extensum, — si collum, a pinguedine, anteriora et lateralia juguli versùs collecta, in breviorem quasi *Herculis* columnam conversam spectemus; et asperam arteriam cum ipso larynge et vicino oesophago, et vasa jugularia, et musculos, et nervos hujus partis, immensa hac adipis a mole comprimi, ac suis in functionibus arceri, praecipue vero cruoris ab enkephalo descensui, sub apoplexiae ac suffocationis discrimine, obicem poni, non est, cur miremur. Tantam adipis copiam circa tracheam et oesophagum collectam fuisse legimus: ut, praeter dyspnoeam, cibos, paucis ante mortem diebus, deglutire aeger non potuerit. Haud infrequens in ipso oesophago steatoma est. A jugulo, ad mediastinum et pectoris ad cava, haud difficilis pinguedini via panditur (§. 825.) ac, praeter exemplum, hoc ipso in paragrapho notatum, alia plura id nimis evincunt. Ad cordis basin sat frequens morbosa pinguedi-

nis collectio, et ipsum hujus visceris ad apicem haec locum habuit. Apud virum asthmaticum, in diaphragmate steatoma comparuit. Nec minus, diversas ad ventriculi plagas hoc idem se vitium obtulit. Systema biliosum in obesis haud raro adficitur, et concretionum calculosarum in hepate, sicut in renibus, apud illos repertarum, non exiguus est numerus. Intestinorum canalis ipsumque mesenterium, frequentem steatomatum sedem constituunt. Virum, optimo cibo potuique ac deliciis unice inservientem, ita pinguem evasisse, summus *Bataviae* quondam medicus vidit: ut abdomen proprium fasciis ad scapulas suspendere, mensae, ad semicirculum exsectae, adsidere debuerit, et omentum 30 libras penderet. Similia haud raro voracium cadavera ostendunt. Omentum, ad saccum herniosum susceptum, atque hinc inde concretum, sebaceam magis indolem aliquando assumit. Praegrandia peritonaeum steatomata concepisse est visum. Quemadmodum vero jam *graecus* historiae naturalis fundator, a nimio sebo, circa renes collecto, oves perire monuit: ita quoque urinifera haec viscera, pinguiore in homine, haud modo medio in

sebo sepulta comprimuntur et languent; sed illorum quoque substantia omnis aliquando in adipem conversa fuit. Cum vero adeps, sub statu sanitatis, modo certis telae cellulosae in spatiis ac propriis a vesiculis secernatur; sub partium corporis etiam illarum, quae, exemplo cerebri, arteriarum, uteri, tubarum, hisce marsupiis carent, adfectione morbosa (quod jam §. 897 insinuavimus) tumores adiposae indolis, seu *steatomata*, haud raro nascuntur.

Ex tam diversa pinguedinis superabundantis sede non minus, quam ex viscerum, per illam, suis e locis expulsione, distortione, compressione, symptomata nunc haec, nunc alia, hic loci haud eruenda, ab illa debere produci, vel sponte intelligitur. Succincte admodum ac vere, hujus vitii effectus, antiquus de morbis chronicis scriptor *africanus* exposuit: „Indecens, inquit, difficultas patientes afficit: nam sequitur nimia ac superflua multitudo carnis, quae in pinguem prominentiam erigitur, cum tardo motu, atque gravatione, vel debilitate, et ex parvo gressu anhelatione, ac sudore, ut suo se corpore praefocari sentiant aegrotantes; quo neque levia ferre valeant vestimenta."

§. 899. Pinguedinis nimiae, vel universalis, vel modo localis *origines*, multae quidem, sed certe haud omnes, cognitae sunt. Conducunt ad illas: temperamentum, ut vocant, phlegmaticum, — corporis, maxime juvenilis, foeminei, in atmosphaera temperata, humida, ciborum, potulentorumque magis nutrientium abundante sub usu, ac solius fere ventriculi tenore minus infracto, commoratio; laxitas, infirmitas per morbos, per venae sectiones copiosas, per haemorrhagias, lactationem diuturnam, per somnum protractum, per otium corporis, maxime post vitam antehac laboriosam, per imperturbatam animi quietem, per balnea tepida, per castrationem, per membri conspicui amputationem, per emphysema, inducta. Egregie haec antiquus *de medicina* scriptor *romanus* exposuit, dicens: „Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, et si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hieme, somnus et plenus et non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia, cibus et frequentior et quantus plenissimus potest concoqui." Sub utero Causae.

gravido, vel a cessatione menstruorum, pinguedo nimia corpore interdum potitur. Quae, ad illustrandos hujus indolis effectus, a physiologis jam satis abunde exposita fuerunt: ea hic loci haud repetimus; nemo est interim, qui homines plurimos, fere singulis licet his causis expositos, macilentos nihilominus incedere, — alios vero, sub victu omnino tenui, atque sub exercitatione corporis non minus, quam animi quotidiana, ab infausta pinguedinis mole haud posse defendi, ignoret. *Dispositionis*, haud intellectae, jure, haec, inter se contraria, eveniunt. Animalia domestica, neque senilia nimis, neque morbosa, obesitatis rationibus, vix non allatis, et (quas crudelitas hominum detexit) aliis, submissa, sine exceptione, ac paucorum mensium, quidquod breviore quoque, spatio, collecto ab adipe vix non suffocari, docet experientia. Quamvis autem, eximii quondam scriptoris *galli*, de pinguedine, assertioni, „ob animi pathemata multò vehementiora, hominem non posse saginari," inhumana quorumdam anthropophagorum, captivos, praeter alia, vel per ipsam castrationem, saginandi consuetudo, contradicat; vix tamen, ubique

terrarum, humani generis ad pinguescendum dispositio, pecudum illi aequiparanda esse videtur. *Lanios* atque *pistores*, ex atmosphaera, in qua degunt, vaporibus ad nutritionem idoneis gravida, magis, quam solis ab esculentis pinguefieri, cum utrumque genus hominum, lucroso vel annonae, vel carnium commercio, ac victu tam lauto, quam nutriente gaudere soleat, vix auderemus defendere. Qui dapes numerosas, quas provida natura, e regno tam animali, quam vegetabili petitas, vel ipso ex oleo, vel saltem ex principiis adiposis, muco ac lymphae commistis constantes, esurientibus offert, consideraverit; — qui haecce alimenta ab istis in chymum et in chylum, emulsionis animalis sub specie, conversa, vix ad sanguinem delata, et partim jam ab uberibus maternis in filiorum nutritionem secreta, sub forma lactis, butyrum, ab adipe modo parum diversum, secum vehere perpenderit; — qui ad organa certa, pro secernendo in textu cellûloso, ac ipsis in ossibus longis, oleo animali constituta oculos conjecerit; — qui adiposae hujus materiae utilitatem, necessitatem ad orbitas, ad mammas, ad manuum volas, ad pedum plan-

tas, ad omentum, in memoriam revocaverit; — qui sanissimos infantes plerumque pinguescere, senes vero exhaustos, antehac obesos, adipem deponere viderit; — qui demum hominum pinguescentium vigentem ciborum adpetitum, nulla, sub istorum subactione, incommoda, et perfectam in omnibus salutem observaverit; — ille, nisi omnia nos fallant, generationem adipis a defectu plenae et perfectae nutritionis, cum viro claro derivare nullatenus poterit. An adeps, certum ad gradum, ob quotidiani dispendii defectum, auctus, tam ex *nervorum cutaneorum*, hac pinguedinosa in palude vix non suffocatorum, omnique fere sensu destitutorum, quam ex *systematis lymphatici,* tandem ab illo oppressi, retardato magis magisque officio, ultrò resorberi impeditus, morbosa pinguedinis symptomata producit? Ipse saltem hydrops, hoc modo haud raro nascitur (§. 748.); atque telae cellulosae nimius ab adipe infarctus, non multum hac retentionis serosae a specie distat. Quod non modo somnum inducit, sed et nervos obtundit, *lolium temulentum*, annonae commistum, hoc saginationem animalium, quod nec antiquitatem

ſugit, promovet. Materiae, sub futura mistione, praeparatione, nutrientis, horreum, panniculus adiposus est: e quo, sub longa chyli novi penuria, ut hiberno certorum animalium somno, substantiae jacturam natura resarcit. Incitentur, per corporis aut animi commotiones violentas, per febrim acutam, mercurialium sub usu incauto, vasa lymphatica nervique sub adipe sepulti! et, renovata istorum actione, adeps vix non omnis e cutis granario resorbebitur, et, cum summo vitae discrimine, cruoris ad massam impetum faciet.

Quodsi nostrae, de *universali* pinguedinis per corpus diffusione, cognitio adeo vacillet: ut haec omnis, *circa excessum assumtorum, et excernendorum defectum* et, quod pejus est, specioso *dispositionis* sub titulo, circa qualitatem occultam, versetur; longe magis in obesitatis *particularis,* qualis nempe certis in regionibus, foeminae humanae ad mammas, ad nates, — domestica inter animalia, ovium ad caudas, endemica conspicitur, explicatione egeni sumus. Nec rationes, cur, corpore necdum praepingui, adeps nihilominus hinc inde ad basin cordis, aut in mediastino, aut alibi,

quin vitii istius suspicio esse queat, glomeratim colligatur ac hominem trucidet, intelligimus. Nec steatomatum genesis hucusque clara res est. Ad *ossium medullam* quod pertinet, et istius functiones non minus, quam morbi, magna ex parte nos latent. Quae saeculi ultimò elapsi physiologi huic medullae officia, ossa nutriendi, longiorum ex istis extrema, cartilagine obtecta, ut ad synoviae compositionem conferrent, penetrandi, ac demum haec magis flexilia reddendi, assignaverant: haec, recentiorum observatio, quod ossa tam foetûs, quam avium multarum longiora, sine medulla subsistant, et quod istius morbi ac illi synoviae, inter se differant, rejecit. Haec igitur medulla, adipe subcutaneo subtilior magisque pellucida, in contextu ossium spongioso, ab interno periostio secreta, et a telae cellulosae vesiculis, in usus ignotos, detenta, excepto foetu, animali pinguiori copiosior, in cervis, sub venatione per canes protracta exhaustis, rarior, augeri non minus, quam resorberi solet. Quae vero membrana, subtili vasorum rete ornata, hanc medullam, in medio ossium longorum crassiorem, includit: ea, externo periostio, quamvis te-

nerior, in omnibus tamen similis, nervis quidem ipsa nullis instructa est; sed utrique certe periostio, ut sub laesione ac sub morbis diversis stimulari, incendi queat, irritabile ac sensile vasculorum, a quibus percurritur, principium abunde jam sufficit. Spongiosum medullae contextum, in ossis longi cavo expansum, posse cum ipso hoc osse, varios in sensus extendi, atque a materia coloris sanguinei, lymphatici, plus minus repleri, rachiticorum spina ventosa nos docet; eundem vero et contrahi posse, ita ut medullam in se retineat, ejusdem ossis amputatio ostendit. Est vero, ubi, hac absoluta, sub rerum eventu facile sinistro, medullaris haec membrana, fungosa, quod et nos experti sumus, ossis e cavo luxuriet. Vasa medullae sanguinea, in rachiticorum ossibus, majoris fuisse diametri, pluries vidit illustris *Galliae* anatomicus. Non mirabimur proinde, in periostio *interno* non minus, ac in externo, sub contusione fortiore, fractura ossium, sub rachitide, syphilide, sub adfectione strumosa (scrophulosa), sub scorbuto, sub elephanthiasi, a congestione, confluxu cruoris ad haec vasa stimuloque majore, aut specifico, vel ipsis

in ossium penetralibus, tam hydropem acutum et chronicum (*hydrosteon* vocavit atque descripsit egregius *Bataviae* medicus), quam inflammationes, suppurationes, indurationes, erosiones, caries, ipsamque necrosin, quae singula tamen adcuratiore adhuc examine indigent, saepe produci.

Prognosis. §. 900. Potissima *prognosis* momenta, quae retentiones adiposas concernunt, in ipsa descriptione symptomatum, ex nimia pinguedine observari solitorum, jam §. 898. adduximus. *Hippocrates* quidem „illos, qui a nativitate valde sunt obesi, celerius mori, quam graciles," monuit; quamplurimos interim infantes, ad ubera pinguedine turgentes, — hac ipsa, in puerili aetate deposita, sanos vixisse conspeximus. Infantes obesos, ut alii praetendunt, facile strumosos (scrophulosos) fieri: nec hoc quidem tam saepe observare potuimus; majora interim illos, sub dentitione difficili, discrimina exspectant. „Obesos plerumque acutis morbis et difficultate spirandi strangulari, subitoque saepe mori, quod in corpore tenuiore vix eveniat," jam princeps *Romanorum* medicus edixit. Eodem scriptore monente, „si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior

factus est, suspecta habere bona sua debet." Frequenter nimis pinguedinem, telae cellulosae exulem, aquis copiosis haec loca cessisse, jam diximus; sed in multis hydropicis, steatomata immutata subsistunt. *Hippocrate* dicente, „si praeter naturam mulier fuerit crassefacta, in ventre non concipit; nam omentum crassum ac multum incumbens, os uterorum deprimit et genituram non suscipiunt." His addit vir divus: „Si mulier a pinguedine uteros sibi laesos esse putet ad conceptionem; attenuato ipsam quam maxime et ad reliqua gracilem facito!" Quamvis autem foeminarum pinguium, quae uteris conceperint, exempla, et aliis et nobis non desint; ac licet fertilitatis, ab obesitate nimia, apud multas deletae, ratio, ab omenti pondere in utero desumta, omnino claudicet; in genere nihilominus verissima ubique gentium reperitur historiae naturalis, inter *graecos*, parentis incomparabilis, sententia:" animalia, scilicet, utriusque sexûs singula, jam nimis obesa, *minus* esse fertilia. „Ac certe, inter plures fertilitatis majoris apud mulieres rusticanas, et pauperes, vitae laboriosae indulgentes, quam urbanas apud foeminas, luxuriae ac otio de-

ditas, rationes, haec una ex potissimis est. Quasi secretio seminis simul ac adipis copiosior mutuò sese subverterent: tam homo, quam animalia coetera, pinguedine oppleta, generandi facultatem sibi indies imminui percipiunt. Subsistente coeterum, uxorem inter et conjugem, pinguedine nimia et vix non montano abdomine, haud pauca foecundi coitûs obstacula occurrunt: quae ratio, praeter illam, quod plurimus adeps nervos genitalium non minus, ac alios, obtundat, ac rarius ad venerem excitet, obesorum matrimonia fertiliora esse impedit. Pueros a pinguedine nimia facilius, quam adultos, liberari, hoc exercitii, ab illis constanter suscepti, ac tranquillitatis, hilaritatis animi potius, quam artis medicae, auxilio, contingere credimus. Haud raro pinguedinem nimiam, telae collulosae exulem, aquis haec loca cedere, jam diximus; quidquod in ipso hoc hydrope succedaneo, adeps, illis in locis, non semper omnis disparuerit. In multis hydropicorum cadàveribus, steatomata intacta subsistunt. Quid medullae in ossibus superabundantiam, paucitatem, defectum, aberrationem a normali subesse significet, quidque malorum exinde resultet?

haec, etsi momenti non exigui esse supponamus, hucusque nos fugiunt.

§. 901. Frequentior medicis, *maciei*, quam *pinguedinis* nimiae impugnandae, offertur occasio. Atqui, dum agricolae, animalium domesticorum saginationem, sub spe certi eventûs suscipiunt, ac alimentorum, experientia diu comprobatorum, adminiculo, breviore tempore absolvunt, — vel etiam, nisi propria utilitas vetaret, perfectum jam opus, opposita sub methodo, facile destruerent; doctior longe medicorum coetus, nec maciei, nec obesitati hominum, tutò, citò atque jucunde tollendis, ex allata jam ratione (§. 899.), aeque parem venditare se potest. „Pingues, qui graciles fieri volunt, inquit *Hippocrates*, omnes labores jejuni facere debent, et cibos assumere anhelantes adhuc ex fatigatione, et non refrigerari, praepoto vino diluto, et non valde frigido, et obsonia praeparata assumere ex sesamis, aut condimentis hortensibus, et aliis hujuscemodi. Sint autem obsonia pinguia quae offeruntur. Sic enim a quampaucissimis impleri poterint. Sed et semel in die cibum sumere, et illotum manere, et stratum durum habere, et nudum deambu- Therapia.

lare oportet, quantum ejus maxime fieri potest." Potissimus *Romanorum* de medicina scriptor, haecce vestigia et alia sequitur, dicens: „Extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendit, magisque si salsa est; in jejuno balneum, inurens sol, et omnis calor, cura, vigiliae, somnus nimium vel brevis vel longus; lectus per aestatem, terra; hyeme, durum cubile: cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel die assumptae, et vini non perfrigidi potio jejuno in consuetudinem adducta." Quodsi igitur veteres, istis, et foeminarum speciosarum blandientiumque in viros imperium, ut tyrannorum sui temporis in populos furiendi modum, atque triremes, superaddidissent; nihil omnino, quod adipem nimium ipsamque ossium medullam tam avertere, quam omnem consumere potest, omisissent. Curae praecepta, *hippocraticis* fere similia, jam laudatus de morbis acutis et chronicis scriptor *africanus*, et quidem in speciali de polysarcia capitulo, tradidit, hisque artis subsidiis, gestationem plurimam, equitationem, navigationem, natationem in aqua maris, lectionem alta voce

susceptam, cursum, frictiones siccas, aspersionem cutis, a balneo, cum sale, volutationem in palaestra varia, luctationem etc. superaddidit; phlebotomiam vero, ab aliis propositam, ut mentis delirae commentum, rejecit. Sed et crudeliora, nisi tentata, saltem proposita fuerunt. Medicos, *Apronii* filium, adipe exciso pondere levasse, refert *romanus* historiae naturalis scriptor. Adipem e mammis exscindendi methodum, vir *graecus* docuit. *Arabistae*, non modo adipem nimium mammarum auferendum, sed ad ponderosa nimis, ac umbilicum versùs pendentia ubera relevanda, operationem quoque chirurgicam consuluerunt. *Lacedaemonum* filios pinguescentes aut jam obesos, praeter alia subsidia, et virgis caedi, ephori jusserunt. Virginum sacrarum coenobia subsistunt, in quibus sodales novitiae, ubera nimis conspicua, thoracibus angustis et rigidis, ad jugulum usque extensis, inclusa, arcte tenebantur comprimere. Sic et foeminae *romanae* quondam, ubera, ne volumen ingratum adquirerent, machinae concavae levioris ope, coërcere sueverunt.

Haec antiquitatis, ad praecavendam aut auferendam pinguedinem, conamina, re-

centior aetas divitiis haud adeo multis locupletavit; et non injusta viri quondam celebris *Lipsiensis*, hanc usque in diem, querela est: quod pingues quidem homines aliqui, sub victu *pythagorico*, aliisque austerioris diaetae sub regulis, superfluum adipem tandem deposuerint; sed, quod vix ab isto, sub magna virium jactura, liberati, dum victui modo quidquam lautiori, pro necessitate, indulsissent; post breve tempus, in majorem pristinâ pinguedinem, aut, nisi haec repullulasset; in leucophlegmatiam misere inciderint. Quare non omnis devictae, hanc vel illam per methodum, pinguedinis historia, nisi et illa, intactae ac satis constantis, a cura adhibita, valetudinis accedat, magni est ponderis. Sic archítectus, ut legimus, a multa pinguedine oppressus, cum *acetum vini*, aliorum consilio, largiter ac diu hausisset, in cardialgiam, ac rebellem in vomitum, tandem letalem, incidit; post obitum vero, scirrhosam ventriculi duritiem anatomico obtulit. Sic juvenem atque speciosam *Insubriae* matronam novimus, quae, dum se indies corpulentiorem fieri, ac formae elegantiam hoc modo imminui animadvertisset, alimentis consuetis pro

magna parte renunciavit, corporis exercitia omnis generis instituit, simulque, dum sola esset, acetum copiosum quotidie hausit. Post annum, hoc sub regimine transactum, formae quidem elegantia, sub adplausibus amicis, redire, ac pinguedo non parum imminui visa est; ast vero tunc pallidiorem se reddi, a paucissimis licet esculentis mox stomacho gravari, cibos, quos antehac adpetierat, adversari, tristitiae insolitae ac hysterismi, sibi hucusque incogniti, symptomata experta est. Aegra tunc proprii culpam erroris, ut homines solent, in coelum conjiciens, a tenero conjuge *Neapolim* conducta fuit, et hac in metropoli, noctes vigilando, dies vero, loca regiae urbi vicina percurrendo, eodem victûs sub regimine, transegit. Paucis hoc modo mensibus absolutis, de pristina corporis gracilitate gratulabatur sibi infelix; vix autem in patriam redux, celeriter ea emacrescere, tussi sicca laborare, febricitare, ac tandem, sub sinistri thoracis ardore, dolore punctorio, respiratione difficili, anhelosa, multum e pulmonibus sanguinem rejicere cepit. Varia tunc artis subsidia in usum ducta fuerunt; sed morbus, febris lentae, ac phthisis pulmo-

nalis sub ſorma incedens, aegram per ſeptem jam menses, sub sputis, aspectu purulentis, copiosis, cruore saepius tinctis, sub sudoribus nocturnis, ut vocant, colliquativis, sub exacerbatione, quovis nycthemero, duplici, ac tanta simul sub macie tenuerat: ut medicus celebris et in arte solutari exercitatus, vitae miserae finem, paucos post dies instare, adfines adverterit. Tali sub rerum positione, cum pulchram vix *Italiam* salutassemus, consilia quoque nostra efflagitata fuerunt. Principalis quidem hujus morbi occasio, tunc medicum ordinarium, — hinc nos quoque, latuit; etsi vero enarrata illius phoenomena, primo sub intuitu, de phthisis pulmonalis ulcerosae summo jam gradu testari viderentur; longitudo tamen morbi, in aetate, qua tabes pulmonalis decursu longe celeriore absolvi solet, corporis structura, huic morbo haud multum favens, ac certa, nec facile describenda, aegrae physiognomia, a communi phthisicorum illa diversa, fecerunt, ut, pro nostro judicio hoc de morbo exponendo, aegram ulterius, et quidem quatuor aut quinque per dies, ac horis diversis observandi occassionem nobis expeteremus. Haec no-

stra circa tanti morbi diagnosin haesitatio, effectum, quem praevidere haud potuimus, scilicet ut medicus aegrae illustris ordinarius, eandem illico desereret, ac nobis, de morte illius instante dubitantibus, curandam relinqueret, produxit. Animo, tam hac a scena, quam ab infelici matronae positione, non parum commoti, si quid esset consilii, id in fida eorum, quae morbum praecesserant, relatione quaerendum esse, intelleximus. Hanc ipsam, cùm aegra jam nimis exhausta esset, tenerae ejusdem amicae obtulimus, atque hoc sincero e fonte historia morbi, hucusque exposita, fluxit. Seposito igitur adparatu pharmaceutico, spem, si quae superesset, omnem, in adaequatam ac blandam corporis aridi et exsucci nutritionem collocandam esse, putavimus. Nutricis sanae in ubera, nisi dyspnoea, illorum suctionem, — ventriculi vero imbecillitas, lactis usûm exclusissent, fiduciam hìc omnem posuissemus; atque hinc, illius loco, ad juscula e carnibus gallinae maturae, testudinis, paucorumque cancrorum fluviatilium parata, commisto simul ovi recentis vitello, dimidium ad vasculum quovis bihorio sorbenda, nec non ad enemata hujus indolis,

quater in die, aliquas ad uncias, ano injiciendaa, confugimus. Mense necdum elapso, aegram sub tali medendi ratione, et mitius febricitare, et sudores nocturnos magis moderatos experiri, et sputa pauciora facilius rejicere observavimus. Post sex hebdomadas, sudores nocturni cessarunt, febris modo semel in die, satis mitem in modum, exasperari, dyspnoea evanescere, ac sputa melioris notae prodire ceperunt. Quare nunc, praeter jusculum, bis in die, infusum corticis chinae aquosum et frigidum, tres circiter ad uncias hauriri consuluimus. Progressu temporis, dum aegra, corticis, ita praescripti, usum absque ulla respirationis laesione pertulisset; ad ejusdem decoctum, — ac isto per alterum mensem porrecto, omnique febre cum tussi et sputis suspectis fugata, cum ciborum adpetitus, ingestorum subactio, ac ipsa tandem menstrua, multis jam a mensibus suppressa, redivissent; martialium mitiorum, atmosphaerae liberioris, ac debiti exercitii corporis ad usum, cum tanto quidem fructu ascendimus: ut aegra, anno curationis medicae vix elapso, huic ipsi renunciare, ac ad confirmationem illius, iter per *Galliam*, *An-*

gliam, atque *Germaniam*, laeta suscipere ac exequi potuerit. Huic tandem matronae, in *Italiam*, post annum, reduci, pinguedo quidem aliqua, sed, sub regimine vitae, ejusdem collectioni opposito, moderata, et habitus corporis firmus rediverunt.

Plura aceti, foemineo imprimis a sexu, ad subigendam pinguedinem, infelici cum exitu adhibiti exempla, a nobis observata, consulte hìc praeterimus; ut igitur, si „instar omnium medicamentorum, adversus obesitatem, *acetum* esse *squilliticum*," conspicuus *Galliae* quondam archiater asseruerit; has laudes, concessa licet aceto, copiose ac longum per tempus propinato, in dissipanda pinguedine efficacia, ob perniciosos tandem hujus remedii, imprimis a squillae marinae superaddito illi principio, in organa, corporis reproductioni praefixa effectus, nequeamus dividere. Ex istis interim, et ex eo, quod illa, quae plenam et perfectam nutritionem *destruunt*, pinguedinis collectioni contraria sint: non tam a defectu, quam a superabundantia succi nutricii laudabilis; ac ab ejusdem a tela cellulosa ingurgitatione ultra vires peracta, nervorum et systematis lymphatici libertati ni-

mis contraria, voraces et otiosos, vel et inclinantes, prae aliis, in saginationem homines facile pinguescere, docemur (§. 899.).

Materiam, consumendi adipis, nullam *pure* magis capacem esse, eximius quondam *Galliae*, de pinguedine scriptor, defendit; hunc interim effectum, a nemine negandum, *febri* magis, praecipue lentae, quam *puri*, istius sub imperio genito, adscribere, a validis rationibus inducimur.

Saponem purum, maxime *hispanicum*, quod nempe ille oleosa, pinguia, resinosa, quam optime penetret sibique commisceat, chemico prorsus et nato ad alembicum ratiocinio, ad solvendam quoque in hominis vivi adiposo panniculo pinguedinem, tam utilem fore, ut, uncia ejusdem dimidia, per aliquot annos quotidie ore assumta, corporis obesi pondus, ad quartam sui ponderis partem imminuere valeat, dixerunt. Saponis interim qualitas, donec longinquas ille adipis sedes attigerit, varie subacta, mutata, sicut solvendis renum aut vesicae calculis impar hucusque fuit: ita quoque obesis haud aliter, quam ciborum adpetitum prosternendo, corporis pondus imminuere, et copioso atque diuturno sub usu,

sanitati eorum non parum ominosa fieri potest.

Etsi vero „ corporibus humida carne praeditis, docente *Hippocrate*, famem, quae corpora exsiccat, inducere conveniat;" et quamvis „ abstinentia ciborum, obesos cito et secure curatos, multosque ad triremes, vel hostilem in carcerem detrusos, hoc tenui victu graciles et emaciatos evasisse," compererit vir quondam clarus; nec his tamen conaminibus, nec exercitationibus corporeis atque laboribus, nisi caute, ac sensim sensimque initis, pericula, illis a pinguedine saepe majora, ubique desunt. Nec minor difficultas premit illa, quae potentius vomitum (haud sine apoplexiae discrimine), aut alvum evacuando, non modo pinguedini nihil detrahunt; sed vires, jam nimis languentes, magis dejiciunt, ac, nisi et ventriculus hanc atoniam dividat; eundem, ut rejecta, non sine usura resarciat, invitant.

Ex dictis, quam parum ars medica in curanda *obesitate provecta*, hucusque profecerit, elucet; et nisi ipsorum incuria *pinguescentium*, et quotidiana amicorum de prospero istorum aspectu congratulatio,

eosdem, ne infido vitae generi renuncient, medicamque opem, quo tempore hanc ferri liceret, implorent, inducerent, et quivis ex illis *Horatianum* illud, „*Introrsum turpem, speciosum pelle decora*" esse, praeferrent; rarioris medicorum, sicut in hydrope inveterato sanando, ita in corpulentia saginosa tollenda, felicitatis, non deforet justa exprobratio. Interim nisi inexplicabilis multorum, sub victu parco ac vita laboriosa, in pinguedinem nisus obstet; ea, quae Veteres, ad praecavendam non minus, quam ad dissipandam, quae necdum omnem telae cellulosae corporis elasticitatem delevit, obesitatem, subsidia, etiam mitiora, commendarunt, sufficiunt.

ORDO VI.

RETENTIONES HETEROGENEAE.

§. 902. Divisioni, a nobis §. 696 promulgatae, fideles, retentiones *aereas, serosas, mucoso-lymphaticas, cruentas,* atque *adiposas* hucusque consideravimus; superest igitur, ut suum et *heterogeneis* locum hic adsignemus. Talis autem hujus ordinis epischesium indoles est: ut partem illius vel maximam, *Chirurgia* sibi vindicet, et ut reliqua partim cum foro medico dividat. De primis igitur, nostri non est agere, qualia sunt: corpora peregrina, partibus ab extus admota, illapsa, impacta, infixa, insecta, larvae, vermes, in naribus, sinibus frontalibus, auribus, nidulantes, gordius medinensis, pulex penetrans, concretiones ad articulos, tophaceae, calcareae etc. Ad retentiones heterogeneas, curae medicorum com- Transitio.

mittendas, praeprimis illae *vermium*, *bilis*, *faecum intestinalium*, et *concretionum calculosarum* pertinent; quamvis iterum hac ultimae, saepe nimis et expertarum operam manuum sibi expetant. Cum vero medicae artis praecepta potissima, quae *vermes* et *calculos* respiciunt, tradenda hic nobis assumimus; ante omnia, lectores praevenimus: nos, lege brevitatis, nostro huic operi praescriptae, utrumque hunc laborem, utpote nostris temporibus, vel ab *historiae naturalis*, vel a *chemiae* cultoribus, tam glorioso successu peractum, ne manus, etsi haud prorsus illotas, in messem alienam committamus, non ultra *machaonicae* artis confinia esse extensuros. Celare interim (et absque utriusque scientiae divinae injuria haec dicta sint!), quod gigantei omnino, tam *naturalis historiae*, quam *chemiae* progressus, arti salutari, testudineo semper (nec enim aliter licet) passu incedenti, beneficia, tantis laboribus correspondentîa, hucusque, eheu! non subministraverint.

ORD. VI. GEN. I.

RETENTIONES HELMINTHICAE.

§. 903. *Italiae*, quod prima fuerit, quae, sicut scientiarum omnium, ita et *helminthologiae* facem in Europa accenderit, — *Germaniae*, quod, prae aliis regionibus, hujus ultimae doctrinae lucem mirifice adauxerit, honor et gloria! Omni quidem aevo, animalcula viva in corporibus animalium vivorum observandi, cuivis se obtulerat occasio; sed magna *insectorum*, *larvarum*, *rerum* adeo *inanimarum*, hìc fortuitò, illinc dolose rejectarum, vel hac, vel illa in corporis parte repertarum, ac *vermium* inter se confusio, millenis ab annis regnaverat, et firma nimis, partim in animo hominum circa illa, quae visum ipsa fugiebant, indifferenti, partim in microscopiorum defectu, partim vero in fraude multorum inexhausta, Helminthologiae pristinae confusio.

fundamenta posuerat. Tam densas caligines historia naturalis, pro sua dignitate exculta, dissipavit, et vobis, hac luce jam dotatis, eorum, quae ista satis illustravit, ultra confinia medica prosequendorum necessitate nos dispensat. Ad potissimorum nostri aevi helminthologorum, *Rudolphii*, *Bremseri*, opera, ne plura, quam oporteat, quae celebres hi viri nostrique amici jam abunde docuerunt, repetendo, hujus moles libri ultro, quam par est, augeatur, hìc provocamus.

Generalia de vermibus. §. 904. Praesuppositis igitur in illis, qui medicinae se studiis voverunt, divinae illius scientiae principiis, modo eorum, quae vermes, in corporis humani aut *visceribus*, aut *partibus aliis* repertos, in longum descriptos ac delineatos concernunt, memoriam hìc loci injicimus. Hos nempe hospites solos, ut *sibi inquilinos*, nec aliorum animalium illos, ab istis diversos, pro suis hominem admittere, multae rationes docuerant. Quodsi autem virorum celebrium observatio recentior, animalia, post triduum ab esu vermium, nequaquam suorum, mactata, eosdem adhuc vivos in suis intestinis obtulisse, hanc assertionem infirmare videa-

tur; altera observatio, quod scilicet et alia, quam vermes, animalcula, in hominis vivi tubo intestinali *per breve tempus, nec tamen longiorem per moram,* ut inquilina homini, vegetaverint, virorum clarorum doctrinam necdum adeo subversam esse docet: ut, licet populi ichthyophagi non ubique magis ac alii, vermibus abundent; humanorum tamen originem vermium ex esu peregrinorum, cum veteribus denuo admittere cogamur. Orbis terrarum nempe dominus, *homo,* dum suam in animalia vix non omnia tyrannidem superbus exercet: aliis is ipse, et quidem abjectissimis, *insectis* scilicet ac *vermibus,* ut servus et pabulum, constituitur. Cum vero insecta innumera, corpus humanum, quasi praedam nobiliorem parumque munitam, non minore astutia, quam ferocia insequuntur, circumstrepunt, lacessunt, prehendunt, atque armorum, ab ipsa natura concessorum, ope, rodunt, pungunt et sauciant, quidquod, futurae progeniei sollicita, hanc ipsam, tam vulnusculis inflictis, ulceribus, quam antris ac sinibus, naturalibus, morbosis, *larvarum, nympharum, ovulorum* sub specie, ad plenam maturitatem evolvendam, exclu-

dendam, insinuant atque committunt; sî tamen pediculum, tam communem, quam pubis, nec non acorum exulcerantem et scabiei excipias; insecta reliqua, Europaeis peregrina sunt, ac modo escam quaesitura, habitaculum constans apud ipsos ſigunt. Sic, in narium anfractibus, speciatim in sinu frontali, oestrus ovinus, — sic larva muscae cibariae, per ventriculum, per anum excreta referuntur; sic exigua insecta, per aërem volitantia, saepe ad pulmones inspiramus; sic, cum aquis impuris aliquando (etsi fraudes hominum, fucum facile in his faciant) foetus ranarum, hirudines, lacertulas, et nymphas muscae pendulae, aut etiam scolopendras, carabum et alia insecta insolita protulisse narrantur. Sic acorum equinum nos ipsi, ex aure pueri summopere dolente, vivum, *Ticini,* coram nostris auditoribus, extraximus; quae tamen singula, ab extus et per accidens corpori admota, ingesta, quin se ipsa in eodem *propagaverint*, vel sponte, vel per artem, rejecta fuerunt.

Impostorum quidem his in rebus fraudes, quibus viris, etiamsi doctis, non absque gravi famae eorum jactura, imposuerint, satis jam notae sunt; juventutis interim

medicae interest, illarum, contra nos ipsos tentatarum, exemplo, quò magis sibi caveant, edoceri. Mox a nostro ad academiam *ticinensem* adventu, vir juvenis, prò minoris ordinis chirurgo se exhibens, cum ampulla, alcohole et verme, ut asserebat, incognitae indolis, a muliere per alvum deposito, repleta, nos accessit, et istum, pro sex aureorum pretio, rarae generositatis sub specie, nobis obtulit. Subridentibus nobis, vir iste, hunc vermem, vix a sui rejectione, adhuc vixisse, et, coram se ipso, per aegrae cubile reptasse, sancte asseruit. Cum nullum de peregrini hujus hominis fraude nobis dubium supermansisset; his nos mercibus haud indigere, impostori breviter respondimus. Hic nunc ad alterum, et quidem celebrem, ac de historia naturali optime meritum, sed fraudis humanae, ac helminthologiae minus expertum virum conversus, eundem facilius decepit. Instituto posthinc examine, corpus in alcohole suspensum, emtor incautus non modo pro *verme* agnovit, sed *Physis intestinalis* nomine insignivit, delineari illud et aëri incidi, tabellamque pulchre incisam, dicto sub nomine, operibus committi curavit, eamque

venerato inter Europaeos viro *anglo* dedicavit. Hic scriptorem, juste celebrem, sed nimis credulum, exspectavit alterius, aemuli, malignitas: qui *Physin intestinalem* viri sibi odiosi, *nihil aliud, quam pulli gallinacei oesophagum esse*, fraudis, proprio forsitan jussu susceptae, haud ignarus, tam publice quam inimice docuit.

Quemadmodum vero nec vegetabilia, nec animalia coetera, ubique terrarum prosperant: ita seu vermes hominis, quamvis, ut ipsum hoc animalium genus, quovis sub coelo proveniant; *specierum* tamen suarum respectu, hac in regione, *quasi endemice* abundant; in altera, rarescunt; in tertia, demùm, vix unquam apud *indigenos*, occurrunt et, qua hucusque destituimur, non exigui ponderis foret, perfectior *topographia helminthica.* Sunt adeo, et quidem haud pauci, qui mediis in provinciis, ab omnis fere generis vermibus obsessis, istorum nunquam imperio subjaceant, interea ac integrae familiae, eodem vitae sub regimine, ab illis, jure *quasi haereditario* instructis, satis defendi haud queunt. *Taeniam*, in una certaque familia, domu hac, quasi endemicam, non raro observavit egre-

gius *Germaniae* helminthologus. *Goettingae*, ut celebris historiae naturalis scriptor refert, atque nos ipsi observavimus, *ascarides lumbricoides* communissimi sunt; *tricocephali dispares* haud raro comparent; *oxyuri vermiculares* minus frequentes sunt; *taeniae* vero, nisi in peregrinis, hac in urbe commorantibus, rarius occurrunt. Talia exceptionum exempla, hominum *aetates* et *sexus* haud raro offerunt: ita ut, qui, adhuc puer, copiosis a vermibus obsidebatur; in aetate virili, aut senili, saepe eisdem omnino careat. Sexum sequiorem, vermes, in juventute, praediligunt; sed et ipsae vermium species diversae, tam aetatis, quam sexus distinctionem observant: ita ut *taeniae*, adultos, — *ascarides*, infantes ac pueros, magis occupent. Nulla tamen, et in istis, regula sine exceptione est: ut et ipse uterus, foetum, a quacunque vermium specie, non semper satis custodiat. Haud aliter vermes, quam insecta haec vel illa, et plantae parasiticae, certis in annis potissime, non pro voto fertilibus, magis, ac in aliis, multiplicantur, laetius crescunt, et *quasi epidemice* humanis corporibus, infinito propemodò numero, potiuntur. Quaecun-

ut vidimus, gestationis ac dulcis cantilenae) intolerantia; frontis, genarum, oris calor major. Si fari puer potest, de capitis, abdominis dolore querelae; minor plerumque, non tamen in omnibus, ciborum appetentia; hinc inde, imprimis succusso corpore, vomitus; gressuum, si quos jam facere infans didicerat, vacillatio, suspensio; decubitus supini, in unum saepe latus, desiderium; languor, debilitas universalis; alvi major segnities; urinarum insolita parcitas; impetiginum, forsitan praegressarum, exsiccatio; animus morosus, in fletus pronus, inquietus; solitudinis amor; suspiria, anxietas, somnus sub pavoribus interruptus, aut fere nullus. — Atqui tamen haec fere singula, si futurum ventriculorum cerebri hydropem; — non minus alium quemcumque morbum, imprimis dentionem difficilem, indicare queunt, symptomata. Attentionem tamen inter haec majorem utique, tum organorum visus, auditus major sensibilitas, tum motus quidquam rudioris aversio, et in vomitu, anxietate, vel et tussi provocandis pôtentia, tum calor dolorque capitis magis continuus, excitare merentur. Tacitum quasi *delirium*, vel antequam febris accessisset, infans felicissimi

ingenii, octodecim ante menses nata, cujus soror ex acuto hydrocephalo jam pridem, quod et ipsi contigit, perierat, in eo nobis prodidisse est visa: quod languida et moesta per cubilia duci cupiens, in quovis horum angulo sollicite et anxie, quasi rem dilectam vix amissam, quaerere, ac nomine incognito, neque unquam antehac pronunciato, indicare conaretur.

Quemadmodum vero prodroma symptomata vel prorsus deficiunt; vel, si compareant, parum lucis hic accendunt; ita et illa, quae *primum* hujus morbi *stadium* constituere dicuntur, diagnosis certitudinem haud multum adaugent. Plurima tamen sub morbi principio, de *sensibilitatis incremento* magis, quam de facta aquarum collectione, seu de compressione, testimonium edunt. Lucis nempe, sub pupillarum contractione, et cujusvis rumoris impatientia, calor, dolor capitis in humeros reclinati, difficulter erigendi, quasi ponderosi, fixus, maxime frontis, vel ab uno latere temporum in aliud directus, clamores acutos saepe excitans, nunc augentur; commiscitur his, minus tamen in adultis, febricula, sine certo typo remittens, cum pulsu arteriarum celeri et parvo, cum Stadii I.

Filaria. Ad primum hujus ordinis genus, *Filaria*, „corpore tereti, elastico, subaequali, ore orbiculari, genitali masculo, spiculo simplici donata," pertinet.

Hujus generis species, in homine hucusque detectae, nec dubiae, sunt:

F. Medinensis. 1°. *Filaria medinensis*, „longissima, cylindrata, elastica, fere aequaliter crassa, capite attenuato, ore minimo, circulari, cauda maris, medium sui finis ad locum, genitali spirali, prominente, subulata, inflexa, foeminae semitereti, acutiuscula, incurva praedita, in hominis tela cellulosa subcutanea, praesertim pedum, in regionibus tropicis figi solita." *Brems.* Tab. IV. Fig. 1.

Tricocephalus. 2°. *Tricocephalus;* „corpus teres, elasticum, parte antica capillari subito in crassiorem transeunte. Os orbiculare, genitale masculum simplex vaginatum."

T. dispar. *Tricocephalus dispar* R., „parte capillari longissima, capite acuto, corpore magis spiraliter involuto, foeminae subrecto, vagina penis obovata." *Brems.* Tab. I. Fig. 1 — 3. Plerumque in *coeco* intestino hominis hic vermis, vulgatissimus, habitat. In parte inferiore quoque *ilei*, cadaver

puerperae, eundem viro eximio obtulit; atque tam summus quondam *Italiae* anatomicus, qui primus hunc vermem detexit, quam celebris historiae Entozoorum naturalis scriptor, hunc tricocephalum in tenuium intestinorum cavo repererunt; nec tanta certe valvulae ad colon resistentia est, quin vermis ille tenuis, eidem sese insinuare, et hanc sibi portam adperire bene queat. Plerumque istius helminthi proboscidem osculo glandulae cujusdam Peyerianae, aut folliculi mucosi immersam observavit vir celebris. Effectu magis, quam causâ, hic vermis, in epidemia, *gallos* inter milites, *Goettingae* quondam regnante, abundantissimus fuit.

3°. *Oxyuris;* „corpus teres, elasticum, parte postica (foeminae) subulata. Os orbiculare. Penis vaginatus." *Brems.* Tab. I. Fig. 6 — 12. **Oxyuris.**

Oxyurus vermicularis Brems., „capitis obtusi, membrana laterali utrinque vesiculari, cauda maris spirali, obtusa, foeminae subulata, recta." In *recto intestino*, imprimis sub tenera aetate, sed, ut probe novimus, etiam in adulta, plerumque residet. *Gregales* vel maxime sunt hi vermicu- **O. vermicularis.**

li, ac eorum subinde *conglobata* in unum *multitudo*, — nec minus insignis, et primo vere, ut videtur, major, quam autumno, *fertilitas*, *petulantia* est. Quibusdam in regionibus rariorem esse hunc vermem, dicitur; sed certe eundem et in *Germania*, et in *Italia*, et in *Rossia*, nos ipsi frequenter reperimus. Non tam constans oxyuri vermicularis in ultimo intestino sedes est, quin eandem aliquando cum alia commutet. In teneris puellis, propinqua hic vermis saltatorius interdum *genitalia externa*, et urethram adgreditur, exstimulat, albi speciem fluoris exinde provocat, atque haud raro ad onaniam tandem invitat. Hac e sede tamen subinde per urinam abluitur. Ex nostris auditoribus unus, ad foeminae vaginam oxyuros vermiculares reperiit; nec aliorum, ipsiusque jam *Hippocratis*, hac de re exempla desunt. Post gravissimum typhum, a vindobonensi puella nobilissima, septem annorum, feliciter superatum, sub urinae examine, triginta circiter istorum vermiculorum, ad vitri fundum, adhuc vivos, deteximus, et per chartam emporeticam a lotio separari curavimus. Negotiis distracti, hos oxyuros, pyxidi commissos, tertia modo

die accuratiori examini submisimus. Mortem quidem pars plurima eorum jamjam subiverat; tres interim ex istis, sine quovis alimento, in loco tam sicco supervixisse, non sine admiratione conspeximus. Ad ipsam *vesicam urinalem* ascendisse hos vermiculos, diaria medica loquuntur. Inmensa horum vermiculorum copia in intestinis infantis, vix utero exclusi, et cui funiculi umbilicalis portio necdum deciderat, detecta fuit. Vermium similium catervam e ventriculo per vomitum rejectam fuisse, *Angliae* societas medica nos docuit. Simile et nobis, *Vindobonae*, anno 1802, in puero exemplum oblatum est. In alio puero, a crudeli cardialgia enecto, ventriculum ab hisce vermiculis, eidem adhuc adhaerentibus, obsessum conspeximus atque *viennensi* museo pathologico commisimus. Haud interim celandum est, saepenumero et larvas muscarum, et articulos taeniae, et alia, hisce pro vermiculis, venditatos fuisse. Oxyuros copiosissimos, sub antiquo *ascaridum vermicularium* nomine, inter ventriculi oesophagique membranas, cystide inclusos, observatos fuisse refertur.

4°. *Ascaris;* corpus teres, elasticum, **Ascaris.**

utrinque attenuatum. Caput trivalve. Genitale masculum: spiculum duplex."

A. lumbricoides.

Ascaris lumbricoides, „capite nudo; corpore utrinque sulcato, cauda obtusiuscula." *Brems.* Tab. I. Fig. 15—17. Vulgatissimus atque oviparus hominum hic vermis, *nec tamen, nisi a morte, elasticus*, primam abdominis contignationem sibi quidem vindicat; sed aliam is nullam excludit. Longa interdum itinera, ad superiora non minus, utpote ad ductum pancreaticum, choledochum, vesiculam felleam, ad ventriculum, oesophagum, quam ad inferiora, non renitente coli valvula, usque ad ani confinia, rependo instituit. A duodeno, usque ad rectum intestinum, omnem hujus tubi alimentarii tractum his vermibus et stercore plenissimum in viro vidimus, qui ticinensi nosocomio illatus, altera mox die, sub clamoribus altis et continuis dirisque convulsionibus periit. Octoginta hujus indolis vermes, unum in glomerem convolutos, sub febre acuta per alvum expulsos, observavimus. A morte, ut jam innuimus, totus rigescit hic vermis.

Strongylus.

5°. *Strongylus*; „corpus teres, elasticum, utrinque attenuatum. Os orbiculare

vel angulatum, Apex caudae masculae terminatus bursa penem emittente."

Strongylus gigas; „capitis obtusi, ore papillis sex, planiusculis, cincto, bursa maris integra truncata, cauda foeminae rotundata." *Brems.* Tab. IV. Fig. 3 — 5. Non modo animalium diversorum, sed et humanis in renibus, vesica, hi vermes reperti fuerunt. Exempla illorum aliqua in egregia *Entozoorum, seu vermium intestinalium historia naturali*, et in ejusdem helminthologi *Entozoorum synopsi*, reperimus. Strongylum gigantem, suo jam tempore, in rene canis detexit, ac delineari curavit, summus *Italiae* simulque eloquentissimus medicus. Filius, natu minor, *Franciscus*, praematura, eheu! morte nobis ereptus, duos eorundem, *Ticini*, in canis vesica urinaria, vivos reperiit nobisque anatomice perlustrandos commisit. In emaciato sene, ut legimus, vermes duo, ulnae ad minimum longitudinem habentes, rubicundioris coloris, aquoso liquore scatentes, similes omnino illis, quos, ex cane desumtos, dissecuimus, detecti fuerunt. Interim non omnis vermis, ex vesica, maxime foeminea, forsitan expulsus, hocce pro *strongylo* habendus est. In- Str. gigas.

testini colon, vesicae urinalis virilis, fundo exeso, concreti, bina exempla propria descripsimus, et cum et flatus, et excrementa, his in casibus, cum urina, per urethram fuerint expulsi: siqui ascarides lumbricoides, quidquam majores, simul per illam rejecti fuissent; facile hi, ab inexpertis, minore coeterum therapiae, quam diagnosis errore, pro *strongylo gigante* declarari potuissent.

Hamularia? De helminthis, quorum sedes est in *tuberculis aneurysmaticis* ad canum oesophagos et arterias magnas, sicut ad equorum, asinorum, et suis *Tujasu* aortas, arterias meseraicas superiores, rarius ad arterias coeliacas, et quos vermes pro *strongylis armatis minoribus*, vel pro *strongylis triconocephalis* agnoscit *Rudolphi*,— vel qui suum domicilium helminthi bronchiales ad glandulas figunt,— de his omnibus (eoquod primi ex dictis, in *homine* necdum reperti fuerint,— quod secundi, humano in corpore modo semel *Treutlero* occurrerint, — maxime vero, quod utrorumque symptomata non minus, quam cura, hucusque nos latcant) plura hic non referimus. Ut specimen nematoideorum *du-*

bium, addenda his est *hamularia*; „corpus teres, elasticum, subaequale, tentacula oris duo, filiformia." Hamularia.

Hamularia subcompressa Rud. „antice attenuata, corpus lineare, teretiusculum, circiter pollicem longum, ad latera quidquam compressum, caput obtusum, infra duobus hamulis prominentibus instructum." *Brems.* Tab. IV. Fig. 2. Hi vermes, a solo *Treutlero* ad vasa lymphatica et glandulas bronchiales conglobatas (ad tubercula bronchialia, monente *Rud.*) cum valvularum in illis destructione, in juvene phthisico reperti, describuntur. H. subcompresa.

Cum vermes hucusque nullos *acanthocephalorum familia*, humano in corpore, helminthologis manifestaverit; ad illam *Trematodarum Rud.* scilicet ad vermes, corpore molli, depresso, vel teretiusculo, poro solitario instructos, transimus. Helm. Trematodei.

Huc, primò, spectat *Distoma hepaticum*; „obovatum, planum, collo subconico, brevissimo, poris orbicularibus, ventrali majore." *Brems.* Tab. IV. Fig. 11—14. Vermis, in ove tam vulgaris, ut et in *agni*, adhuc sugentis, cujus mater eodem helmintho laboravit, vesicula fellea conspectus Distoma hepaticum.

fuerit; in aliis animalibus, ut in bove tauro et domestico, equo, asino, sue etc., ad hepar et, exinde, in intestinis saepe repertus, in hominis quoque vesicula fellea aliquando detectus fuit. Jam anno 1578, in *Patavino* nosodochio publice dissectus fuit infans, sub variolis defunctus, in cujus hepate, vermes plurimi, tum adhuc viventes, tum inanimes, in ramis venae portae ac hepaticis reperti fuerunt. Coloris rubri, rotundi, quidquam longi, tactuque molles hi erant, hinc a *distomate hepatico* (Ligula hepatica) quidem diversi; sed vera distomata magnus *Angliae* anatomicus in systemate hepatico, et quidem in venae portarum ramis ac ductibus hepaticis pueri, sub morbillis mortui, — alia, vir clarus alter, adhuc viventes, detexerunt, quin partem hujus phoenomeni majorem coaevi sumsissent. Accessit et alter naturae scrutator, *Germaniae* decus, qui, *Rossiam* tunc inhabitans, *distoma*, seu *fasciolam*, in foeminae ramo ductûs hepatici conspexit. Tandem vero (a. 1790) *Weimariensis* medicus eximius, cadaver viri, ex typho mortui, explorans, magnam in vesica fellea distomatum copiam reperiit. *Antonia Aragnoli*,

annorum octo puella, nosocomium *mediolanense* petiit 27. Novembris a. 1782. Ad summum illa emaciata erat; pulsus fuerant debilissimi ac celeres; facies cadaverica, meteorismus abdominis. Sex menses fuerant, a quibus aegra fluxu ventris continuo vexata fuerat, nec minus *dolore in regione hepatis*. Aliquando hic dolor adeo, ut contorqueretur puellula, ac inquietudinem magnam ostenderet, exacerbabatur. Nunquam, in morbo tam longo, *icterus* a longe comparuit. Vixit adhuc paucos per dies haec puellula, hoc misero in statu; mox vero sub diris convulsionibus mortua est. Secto hujus prolis cadavere, *ductus hepaticus*, diametri mediocris calami scriptorii, observabatur. Ad sui principium, in cavum ampliabatur, ac hujus in medio bursae, haerebant quinque vermes convoluti, coloris ex viridi flavi, adhuc viventes, paleâ straminis lati, crassitie, longitudine bombycis praediti. Non ubique tamen hepar hic helminthus devastasse visus est; sed, cum quinquaginta majora, totidemque juniora distomata hepar occupassent; non tamen hoc viscus erosum, aut animalis illius sanitas, ad adspectum, ullo modo perturbata fuit.

N 2

Ob non magnam hujus vermis extensionem, hunc ipsum, bile aut muco tenaci obvolutum, aut excrementis intermistum, in hominum cadaveribus rarius observari, verisimile nobis est. In consilio medico, *Vindobonae*, mense Augusti a. 1809, pro viro nobili habito, cum plurimas hic aeger portiones quasi pseudomembranae, diversimode formatae, a quatuor jam mensibus, sub dolore insigni ad regiones intestini coeci et colon adscendentis, per anum evacuasset, atque dum illas medicus alter, et, post decem annos, celebris *de vermibus, vivente in homine viventibus* scriptor, cum nobis examinasset: easdem expertus hic helminthologus, non tam pseudomembranas, saltem solas, quam vermis illius, quem *fasciolam intestinalem* vocarunt, portiones esse, quin tamen quidquam illae organici, nudis saltem oculis, obtulerint, aut, quod sciamus, postea manifestaverint, existimavit. Tam arduum saepe, his in rebus certi quid definiri, dicendum est!

Polystoma. Ordinis tremadotarum alterum genus, *Polystoma* est, cujus caracteres, „corpus teretiusculum, vel depressum, pori sex

antici, ventralis et posticus solitarii," efformant.

Hujus generis species, quam *Polystoma pinguicolam*, „P. nempe depressum, oblongum, antice truncatum, postice acuminatum, poris sex anticis, lunatim positis," *Brems.* Tab. IV. Fig. 15—17., huc pertinet. Quo loco uteri, vix partum difficilem experti, ligamentum latum exoritur, in *adipe* ovarii sinistri, tumor durus, nucis avellanae molis, tela cellulosa laxiore devinctus mobilisque, a viro, aliquot inventis helminthologicis claro (*Treutler*), repertus, nec ab aliis hucusque conspectus fuit. In fundo cavi ovalis, in medio hujus tumoris, tenuissima, levi, humidaque membrana obducti, vermiculus hic vivus, cujus descriptionem, ab aliis jam traditam, hic non inserimus, degebat. **P. pinguicola.**

Quarta helminthorum familia, illa nempe *cestoideorum*, agnoscit „corpus elongatum, depressum, molle, continuum, vel articulatum; caput paucissimorum simpliciter labiatum, reliquorum bothriis vel osculis suctoriis duobus, aut quatuor instructum; omnia individua androgyna." Ad ordinem istum, *Bothriocephalus* Rud. spectat: **Helm. cestoidei.** **Bothriocephalus.**

cujus caracteres genericos, „corpus elongatum, depressum, articulatum, caput subtetragonum, bothriis duobus, vel quatuor oppositis," sistunt.

Bothr. latus. Hujus generis speciem, *Bothriocephalus latus* Brems., „capite foveisque marginalibus oblongis, collo subnullo, articulis anterioribus rugaeformibus, insequentibus plurimis brevibus, subquadratis, latioribus, ultimis longiusculis," efformat. *Brems.* Tab. II. Fig. 1 — 12. Haec vermium species, quod et nostris observationibus, tam in *Germania*, quam in *Italia*, atque in *Polonia* et *Rossia*, ultra dimidium saeculum factis, respondet, certorum modo populorum, *Helvetorum*, *Rossorum*, partim *Gallorum*, rarissime vero aliorum, intestinis potitur; quin tamen ideo, coelo, sub quo ipsi hoc licuit, forsitan mutato, ista facilius deserat. Duos quidem nos ipsi *Bothriocephalos latos*, in *Austriae* metropoli, annis 1803 et 1819, abegimus; sed priorem, novem longitudine ulnarum *vindobonensium*, foemina illustris et princeps, viginti et quatuor annorum, *Petropoli* nata, — alterum, duplo longiorem, praefectus militum, *Podoliensis*, — utrumque ta-

men capite destitutum, evacuaverunt. Quod vero, exceptis *Helvetia*, *Polonia* et *Rossia*, non invisum, sed modo *rarissimum bothriocephalum latum* esse dixerimus: observatio a nobis ipsis instituta, in causa est. Jam tres scilicet per annos, museo *Goezii* helminthico, ex Imperatis *Josephi II.* munificentia *Ticini* erecto, frui, idque juventutis medicae in usus convertere licuerat: cum, mense maji, anni 1789, vermem, ab aegro *ticinensis* nosodochii, certe *italo*, expulsum, examinandi occasio nobis oblata fuit. Hunc autem, e glauco candicantem, articulis brevissimis, medio nodosis, uniosculatis, instructum esse, observavimus ac, licet caput vermis deesset; usitato tunc temporis nomine, *taniae latae*, illis, quae in dicto museo, sub numeris 1. 2. 16. 17. 18., conservabantur, in omnibus similis, nomine insignivimus, illisque musei exemplaribus adjunximus. Ex latioribus hujus vermis androgyni articulis unus, in medio, prope ovarium, observatam etiam ab aliis, prominentiam exiguam, unciformem, oblique inflexam, genitalis forsitan masculi officio destinatam, nobis obtulit.

Alterum *cestoideorum* genus, *Taenia*, Taenia.

„corpore elongato, depresso, articulato, osculis capitis quatuor suctoriis," offert.

T. solium. Hujus generis speciem, *Taenia solium*, „*T.* capite subhemisphaerico, discreto, rostello obtuso, collo antrorsum increscente, articulisque anticis brevissimis, insequentibus subquadratis, reliquis oblongis, omnibus obtusiusculis, foraminibus marginalibus vage alternis," *Brems.* Tab. III. Fig. 1—14. Quamdiu vivit haec taenia, motu gaudet undoso, vermiculari, quo se mutat, incurvat, incrassat, nunc latam, nunc angustam, atque nunc brevem, nunc longam se reddit. Vel in ipsis articulis, a taeniae corpore separatis, vis haec motrix per horas satis conservatur, ut eosdem, pedum duorum altitudine super muro, prope quem aeger alvum deposuerat, ascendisse, compertum habeamus. Nec motus miri hujus, ac in tantam saepe longitudinem extensi, animalculi, per *nodos*, quibus, saepe pluribus, se implicat, interrumpitur. In *glomerem* aliquando et hicce vermis contrahitur, ponderosior tunc et, homine ex uno corporis latere in oppositum celeriter conjecto, ex illo in istud procidens, sensibilior et gravior. Sed etiam per plures inte-

stinorum regiones sese hic vermis expandere, ac integra ditione gaudere delectatur. Est, ubi haec taenia, forsitan ob incommodam corporis, ab ea obsessi, positionem, ob compressionem, ob ferculi, sibi oblati, vel medicamenti epoti actionem ingratam, violentam, ob morbum sibi proprium, vel paulò ante obitum, recellat, subsiliat, et quasi convellatur. In gelida, lentescit, supprimitur, aboletur taeniae motus, in tepida renovatur et sat longam per moram conservatur. Aliorum (sui adeo haud generis) vermium societatem hac a taenia minime recusari, tum ex aliorum, tum ex propria observatione novimus, ut qui eandem cum ascaride lumbricoide, ac simul cum oxyuro vermiculari, una eademque in foemina, amice vixisse experti sumus. Ab una eademque puella, quindecim hujus generis vermes excretos fuisse, summus quondam helminthologus observavit. *Helvetia*, *Polonia* et *Rossia* exceptis, ab hacce taenia, omnes inter Europae populos, bothriocephalum latum vix non excludi, jam diximus. Quatuor modo per annos in *Rossiae* imperio medicinam exercuimus; et in isto quoque non tam infrequentem *taeniam solium* esse obser-

vavimus. Tantum vero istius numerum, ac in *Helvetia* bothriocephalus est, ubi decimus quisque ab hoc verme detineri dicitur, nec *ad Rhenum*, nec ad *Leidam*, nec ad *Ticinum*, nec ad *Danubium*, nec demum ad *Viliam* reperimus. Vernali atque autumnali tempore maxime, articulos hujus taeniae, quam, formae istorum gratia, et *vermem cucurbitinum* dixerunt, secedere, vir gravis asseruit; sed absque ulla distinctione temporis hoc fieri, apud plurimos observavimus. Taeniae solii *longitudo* saepe praemagna est, atque nos ipsi ejusdem exemplar *quadraginta et septem cubitus* longum observavimus, et museo pathologico *ticinensi* commisimus. Jam quinquaginta abhinc annis, *Rastadii*, noctis tempore, septennem ad puerum, „quod intestina huic omnia ex ano prolapsa, et cruri circumflexa" dicerentur, accersiti fuimus; et, loco intestinorum, taeniam solium, sponte excretam atque, ob magnam longitudinem, huic membro pluries circumvolutam, deteximus. Nulli hic vermis aetati parcit, ac non minus *uterino in foetu*, tam ab ipso *Hippocrate*, — quam ab alio scriptore, *in sene octogenario* observatus fuit, foemi-

neo in sexu longe frequentior. Pro puero *smyrnensi*, jam *sexto* aetatis suae anno a taenia correpto, consilium a nobis petitum fuit; juniores, qui hoc verme laboraverint, nos ipsi non tractavimus.

Vermium, ex *Cysticorum* familia homini communium, consideratio nobis superest. „Corpus eorum depressum, vel teretiusculum, apice posteriore in vesiculam abiens helminthis singulis solitariam, vel pluribus communem. Caput bothriis (2 vel 4) aut osculis (4), uncinulorum corona, vel proboscidibus quatuor uncinatis instructum. Organa sexûs in nullis hactenus conspicua." Duo hic ordo genera, homini familiaria, *Cysticerci*, ac *Echinococci* illa, suppeditat. **Helm. cystici.**

Cysticerci genus. „Huic, vesica externa simplex, continens helminthum solitarium, cujus corpus teretiusculum, vel depressum abiens in vesicam caudalem. Caput (taeniae armatae) osculis suctoriis quatuor rostelloque uncinato instructum." **Cysticercus.**

Quae ad hominem spectet, hujus generis species, *Cysticercus cellulosae* est: nempe „C. capite tetragono, collo brevissimo, antrorsum increscente, corpore cylindrico longiore, vesica caudali ellyptica trans- **C. cellulosae.**

versa." *Brems.* Tab. IV. Fig. 18 — 26. Idem hic vermis, sub nomine *finnae*, suem quoque domesticum aeque ac ferum, et primi ex istis, cerebrum omnesque partes musculares, vulgatissimus, occupat; nec simias ille quasdam, nec adeo mures dedignatur. In homine, cystercus iste majores musculos praeſert. Nonus vertebatur annus, quo celebris helminthologus, *Berolini*, singulis annis circa ducenta quinquaginta cadavera adperuerat; istorum autem quaterna aut quina quot annis *cysticercum cellulosae* plus minus copiose sibi obtulisse, conspexit. Utplurimum, cadavera leucophlegmaticorum, neque tamen ascite, vel anasarca laborantium, huic vermi obnoxia is vidit. Licet rarius, aliquando tamen in meningibus, in cerebro, inter gyros ejusdem, in plexu choroideo, in substantia medullari, corpore striato, inque medulla oblongata iidem a pluribus detecti fuerunt. In hominis, carcinomate defuncti, partibus vix non omnibus cysticercum cellulosae, eximius *Goettingensium* proſessor detexit.

Sub hac *cysticerci cellulosae* et in homine frequentia, nostris tandem temporibus manifestata, suspicio nostra, *certa tuber-*

cula subcutanea, jam in *Ephemeridibus naturae curiosorum* (cent. V. A. VI.) a viro claro descripta, et a nobis quoque conspecta, a parasita simili exstructa esse, nemini injusta videbitur. *Strumosae* quidem, seu scrophulosae naturae ejusmodi tubercula dici, brevius atque commodius multis videbitur; ast vero, cum inter millenos, quos strumis (scrophulis) laborantes observavimus, modo vigesies circiter subcutanea haecce tubercula, absque ullo morbi, ut vocant scrophulosi indicio comite, viderimus, cumque nullam, haec ipsa in mortuis examinandi occasionem hucusque nacti simus; rei tantae dignitatis examen, helminthologorum sedulitati, cui tanta jam debentur, commendamus. Sic *Mediolani*, viginti sex ante annos, virum nobilem, ecclesiae cathedralis canonicum, quadragenarium, optime constitutum, viribus musculosis praepollentem, satis pinguem, nullisque hucusque, nisi infantilibus quondam, morbis subjectum, hoc solo cutis vitio laborasse vidimus. Hic vir, a quindecim fere annis, sub cute universa, exceptâ illa faciei, tubercula innumera, a pisi magnitudine, ad illam ovi columbini et ultro adscendentia, mollia,

mobilia, indolentia, cutis impositae neque colorem, neque calorem permutantia, nobis exhibuit. A medicis compluribus, pinguedo, in textu celluloso indurata, pro causa hujus deformitatis accusata, et haec tam balneis tepidis, aquis ex alto delabentibus, quam linimento volatili, unguento mercuriali, — interius vero, variis radicum lignorumque decoctis, — sed omni sine successu, pertractata fuit. *Petropoli*, eundem, in omnibus, cutis habitum, in viro coeterum sanissimo, nec certe strumoso, conspeximus. Aequalia cutaneae hujus adfectionis exempla, a nobis observata, hic supprimimus.

Recentissimum *Gallorum*, scientiae medicae lexikon, sequentes *Cysticercorum*, in homine repertorum, species recenset: 1) *Cysticercum tenuicollem* Rudolphi, — 2) *C. cellulosae* ejusdem, — 3) *C.* Fischeri, — 4) *C. dicystum* Leaneci, — 5) *C. albo-punctatum* Treutleri, — 6) *C. taeniam visceralem* Goetzii, — 7) *C. ditrachyceron* Sulzeri, — 8) *C. dytrachiceron* ejusdem, — 9) *C. Echinococcum hominis* Rudolphi, — 10) *C. Acephalocysten* Leaneci. — Cum interim, paucis istorum *Cysticorum* speciebus exceptis, coeterae, ra-

riore modo unius aut alterius hominis exemplo constent; de primis hic tantum mentionem injici, sufficiet.

Caracteres generici, *cysticorum* vermium alteri membro, *Echinococco*, ab helminthologis adsignantur: „Vesica externa, simplex vel duplex, cujus superficiei internae insident entozoa plurima, arenulam mentientia, quorum corpus obovatum, caput (teniae armatae) uncinorum corona et osculis suctoriis instructum." Echinococcus.

Echinococcus hominis Rud., „corpus subglobosum vel obovatum, laeve; caput uncinulis coronatum; (?); vermiculi punctiformes, hydatidis superficiei internae insidentes." *Brems.* Tab. IV. Fig. 27 — 32. In *hepate* quidem hominis hic vermis frequentius, — sed certe haud raro aliis quoque ejusdem in partibus, fere nullis earum exceptis, detectus fuit. Jam anno 1767, *Badenae*, in marchionatu, hydatides quamplurimas, subrotundas, fere ovi gallinacei magnitudine praeditas, ab omni intestinorum crassorum tractu pendentes, in eremitae cadavere vidimus quidem; sed penitioris cognitionis hujus objecti tunc adhuc jejuni, easdem, ut quidem decuisset, haud E. hominis.

satis scite examinavimus. Viginti ante annos, hydatides copiosas, sed jam diruptas, ex tumente ac dolente admodum mulieris jecinore rejectas, *Vindobonae* observavimus. In diario medico *Londinensi* describitur casus foeminae 30 annorum, quae ad regionem epigastricam, et ad hypochondrium dextrum intumescebat, atque dolebat. Cum pro *hepatitide* haberetur hoc mali genus: calomel cum gummi arabico porrectus, ac unguentum mercuriale loco dolenti inunctum fuit. Post decem dies, secuta est salivatio, et aegra tam insignem hydatidum (hydrae hydatulae Linn.) copiam vomitu rejecit: ut bina vasa urinalia iisdem repleverit. Ex istis aliquae, pisi magnitudinem habebant. Sic etiam multoties ad *plexus choroideos*, hydatides, de quibus jam §. 737 locuti sumus, deteximus ac, inter istas, aliquas, nunc ovales, nunc rotundas, vix adpertis ventriculis cerebri lateralibus, ex istis, cum nullibi defixae fuissent, vel sponte exscidisse vidimus. Simile quid, licet multo rarius, humanis in *uteris* atque *placentis* contingere, non minus sub *hydrometrae* descriptione (§. 744.), monuimus. A quo nempe haec adnotavimus (A. 1811.), alterum pau-

cis abhinc annis, *Vindobonae* exemplum hujus naturae, jam §. 846 hujus operis breviter commemoratum, habuimus. Mulier nempe fere quinquagenaria, quae septem, vel octo a mensibus, se utero ferre putaverat, ob sanguinis ex isto jacturam conspicuam, praeter viri obstetricantis celebris, nostrum quoque consilium expetiit. Respiratio anhelosa, et aspera tussis hanc foeminam, macilenti et mali habitûs, cum febre notabili vexabant. Ventrem voluminosum, qualis hoc, praegnationis tempore, esse consuevit, paulò tamen largiorem, ac ubera satis tumida et quasi sororiantia, reperimus. Dolores interim ad partum vix ulli animadvertebantur. Interrogata, num prolis in utero motus perceperit? non prorsus hos illa, jam pluries mater, negavit; hos tamen semper debiliores fuisse, confessa est. Instituta per vaginam exploratio, uterum, altius adhuc positum ac, pro menstruae secretionis suspensione, ut in aliis praegnantibus, satis expansum exhibuit. Hinc utero ferre hanc foeminam, — sed quid hic suo in sinu foveret, adhuc incertum esse, prudenter declaravit obstetricans. Post nycthemeri spatium interim, haec mulier, sub do-

loribus haud adeo atrocibus, loco foetûs, massas plures, informes, millenis ex hydatidibus, tam exiguis, quam satis conspicuis, ovalibus, rotundis, constantes, evanescentibus tandem et febre, et dyspnoea, utero expulsit. Plura secundinarum, ex hydatidum innumerarum, pedunculis suis instructarum, racemo constantium, qualem et *Goettingae* conservatam conspeximus, exempla, semper nihilominus rara, habentur. Nuptarum potissime foeminarum ex uteris, hydatides exclusae describuntur; cum interim istae, nec cerebro, nec hepati, lieni, nec renibus hucusque pepercerint; cur *uteris virgineis* tantummodo renunciarent, haud satis perspicimus. Sed plura circa uteros virgineos, maxime coelibem ad vitam condemnatos, adhucdum nos latent, quae longe frequentior, matrices foeminarum explorandi occasio anatomicis offert. Has *molas uteri vesiculares*, ut vocant, a propria membrana involvi, magnus *Galliae* chirurgus animadvertit.

Sympto-mata. §. 906. Difficultas haud exigua *retentiones helminthicas* ideo premit: quod istae, quidquid medicorum pars plurima quondam praetenderit, certe haud omnes *pro morbis* declarandae sint. Haud pauca sane homi-

num, quos a vermibus enectos fuisse, sancte asseruerant, cadavera, sub sectione pathologica, et aliis, et nobis, istorum nequidem vestigium obtulerunt; alia, quorum sub vita, de vermibus nec a longe quidem suspicio fuit, post mortem, magna in copia istos obtulerunt. Saepenumero morborum, sub quibus vermes secesserant, causa longe fuit alia; nec etiam laudatissimorum usus anthelminthicorum protractus, ubi vermes sub eodem haud prodeunt, hos igitur parasitas deesse, securos nos reddit: cum demum, vix non medicae artis, per menses jam suspensae, in despectum, saepe hominem vel sponte deserant. Quare dum vir egregius, archiater *hannoveranus*, nosterque, dum viveret, amicus, quam fallacia vermium symptomata sint, exemplis tam propriis, quam alienis docuisset; haec sane nulli medicorum, hoc nomine dignorum, ignota fuerunt; et quamvis nos ipsi, de *febre gastrica* agentes, *verminosae* quoque *febris* mentionem injecerimus (§. 120.); hunc tamen morbum, vermibus minus, quam vermes huic morbo, aliquando epidemico, adscribendum, et proinde *febris verminosae* denominationem, ex rationibus §. 907 referendis, minus adaequatum esse, credimus.

Generalia. Juvat interim, haec *experientiae* medicae veneranda documenta, cum artis ejusdem *theoria* conferri; haec inter se quam repugnent, non reticeri; ac demum rationes medendi, hujus ultimae incertitudini, quoad licet, adcommodari. Iliacos nempe inter muros et extra peccatum fuit. Pars scilicet medicorum vel maxima, *naturalis historiae*, si hominis illam excipias, diu ignari, tam in physiologia, quam in pathologia comparata, vel minime versati, sub tanta artis imperfectione, et sub multiplici causarum, quae morbos inducant, incertitudine, cum toties vermes, vel sub istis secedere, vel sub cadaverum sectionibus manifestari vidissent: his ipsis in parasitis, singularum vix non aegritudinum rationem se tandem detexisse, eo magis credebant: quod commodior longe haec aetiologia, ab *anthelminthicorum*, quae certe et alia ratione in fibras nervosque humani corporis agunt, efficacia, haud raro confirmari videbatur. Accesserunt et fraudes innumerae hominum, qui varia tam insecta, quam alterius classis animalcula, vel stomacho, vel ano rejecta, morborum, quasi daemoniacorum, ut causam, credulis admodum illius temporis plerisque

medicis venditare, haud erubescebant. Quo vero aevo, *historiae naturalis* aurora, Europae lucere incepit: scientiarum divinum hoc sidus, viam, ab illa astrorum diversam, insecutum, *Italiam* primùm, deinde *Angliam* et *Galliam,* suo in ascensu, illustrans, helminthos, quos nequidem somniaverant antehac medici, tam diversorum animalium, quam hominis ipsius in visceribus, attonitis observatorum oculis obtulit. Indefessa tunc *Germanorum*, hac demum, jam clariore, a luce evigilatorum, sedulitas, novum, in republica animalium, vix non orbem detexit. Hos vero scientiae naturalis ad progressus, *microscopiorum,* incognitus veteribus, usus, ubique mirifice contribuit. Mox autem, vel quod lux istorum, frequenter aequivoca, haud paucis imposuerit; — vel quod, aut animalium *mutorum* signa doloris, aut aliorum *querelas* haud intellexerint; — vel quod helminthorum variorum, nisi alimenti, sibi necessarii, ab inopia, qualitate, a medicamentis homini propinatis, a morbis, et isti et sibi propriis, a positione corporis nimis limitata, irritatorum, haud raro satis *pacifica* sit indoles; — vel quod vermium genera plura, *armata*, alia vero, et qui-

dem ea potissimùm, quae hominem inhabitant, *inermia* esse, supposuerint; — vel demum, quod nullum animal, in alterius interitum creatum esse, pie adfirmaverint (loquantur hìc mures, de felibus, — oves, de lupis, — ferae, de canibus, — aves inermes, de rapacibus, — omne vix non animalium genus, de homine!); — *helminthos, homini, nisi salutares, saltem prorsus innocuos,* ac morbos, eisdem adscriptos, solius ignorantiae medicae partum aut figmentum esse, decreverunt. Mediam igitur, et in istis, viam iniri, scrutatorum universae naturae, vel helminthologiae, nec tamen ideo in arte medendi versatorum, observationes pie venerari et, quae medicorum experientia subministrat, eorum, absque praeconcepta opinione, rationem haberi, salutare et aequum esse censemus.

Oportet vero quibuscunque a vermibus minus quietis (pro locorum, quae occupant, conditione, dignitate, consensu, — pro aetatis sexûsve aegrorum natura, — pro habitûs aut sani, aut aliis cum adfectionibus luctantis, qualitate, — pro ferculi assumti, aut medicaminis propinati, vermibus aut indifferentis, aut contrarii, — pro vermium

ipsorum libertate, positione onerosa, voracitate, inedia, valetudine, corruptione, — pro ambientis hominem atmosphaerae varietate, aut regnantis constitutionis imperio) mutationem in homine vivente aut nullam, aut paucam, aut vero majorem, a statu sanitatis plus minus alienam, produci: vel quod illi, per intestina imprimis *reptando*, motus istorum perversos, crispationes spasmodicas, volvulum, secretionem muci tenacis, facile corrumpendi, uberimam, meteorismium subitaneum, aëriformis, faecalis incarcerationem materiae, alvi profluvia, constipationes, dyspepsias, nauseas, vomitum, tormina, dolores colicos, a pastu saepe silentes, ipsumque ileum promoveant; vel quod *pungendo*, *sugendo*, viscera nervorumque expansiones irritent, torqueant, humorum ad ea fluxum adaugeant, secretiones pervertant, intendant, partes vexatas inflamment, ad sanguinis ipsam jacturam lacessant ac saucient, quidquod subinde perforare videantur, ac ad cava, visceraque contigua, vel per abscessus, ad loca externa penetrent; vel quod, per *succi lymphatici detractionem*, corporis nutritionem pessumdent, partesque necessarii

distributione alimenti defraudent, ac famem insatiabilem, seu bulimum, cum animi deliquiis, cum corporis atrophia, inducant; vel quod *mole sua*, intestina, quidquod ipsos ductus excretorios hepatis, pancreatis, distrahant, obturent ac, in glomeres convoluti, in partes vicinas ponderent; vel quod mucum, copiosius circa illos collectum, excrementis suis ovulisque, vel et ipsi, corrupti, putrefacti, inquinent.

Consensualia. Atqui haec singula, vel ipsis modo partibus, a stimulo verminoso vexatis, molesta sunt; vel *consensu* istarum cum aliis, turbas longinquas producunt. De primis adfectibus locuti jam sumus; partim infra dicemus. Symptomata ex *consensu* per vermes excitari solita, si omnia hic recensendi foret animus; patientiam ea lectoris exhaurirent; hinc praecipua tantum ex illis enumerabimus, monendo tamen iterum: vermium, ad morbos inducendos, vim atque potestatem, non esse latius, quam par est, et quam medici haud pauci faciunt, extendendam. Sunt certe, qui ubique fere morborum, vermes odorentur; atque dum, multis retro annis, pro epileptico principe consilium quoque nostrum peteretur, senem

illius medicum audivimus asserentem: „millenos, quoties nempe ille id vellet, vermiculos filiformes ab aegro expelli.” Cum indolem tantorum, in uno homine, vermium definire detrectasset; ut hos denuo ejiceret nobisque explorandos produceret, petiimus. *Oleum* igitur *ricini americani*, aegro propinavit. Alvus exinde multoties laxata, et plura certe millia tenuissimarum quasi anguillularum albescentium, princeps excrevit. Instituto autem examine, suppositos vermiculos, praeter ipsum oleum ricini, in filos subtilissimos coactum, nihil fuisse, comperimus.

A symptomatis, quae vermes, intestinales praeprimis, ad *caput* saepe provocant, narrationis initium promendo, sequentia commemorabimus. Faciem tumidulam ac pallidam, vel et lividam, palpebram inferiorem, plumbei coloris semicirculo subductam, narium frequentem pruritum, tensionem, odoratûs aliquando perversionem, abolitionem, stillicidium sanguinis, vel salivae nocturnum, super pulvinaria dormientis, effluxum, foetorem oris specificum, dentium stridores, maxime nocturnos, linguae sorditiem mucosam, aliquando balbutiem Ad caput.

insolitam, aphoniam, alaliam, seu loquelae, vocis interceptionem, strabismum, oculos retractos, retortos, fixos, pupillae dilatationem, immobilitatem, subitaneam amaurosin, morositatem, pervicaciam inconsuetam, sub somno pavores, clamores, vigilantis animi timores, terrores, choream *s. Viti*, risum sardonium, vertigines, deliria, soporem profundum. Aures, quod miramur, a vermibus raro satis adfectas observavimus. De homine a vermibus detento, vir celebris nobisque amicus, refert: huic aegro, quin *ictero* unquam laborasset, et quin oculorum illius humores colorem normalem mutassent; singula hinc inde objecta, quasi *flavo colore tincta*, per horae quadrantem, apparuisse; hoc interim a phaenomeno, hunc virum, quo tempore vermes deposuisset, liberatum fuisse.

Ad pectus. Ad *pectus* revocabimus: tussin frequentem, titillatoriam, siccam, interdum vix non ferinam, suspiria, qualia pueris a fletu, interrupta, anxietatem praecordiorum, dolores hinc inde punctorios, pleuritidem mentientes, lactis apud nutrices penuriam, singultum et alios diaphragmatis motus convulsivos; corporis peregrini, lente a ven-

triculo, per omnem oesophagum, adscendentis, sensum, ac ipsum subinde vermis ad nares, vel, ut et nos vidimus, per rimam glottidis introitum, et suffocationem abhinc subitaneam.

Ad abdomen.

Quae in *abdomine* per vermes perpetrantur, ea quidem *idiopathica* dicenda sunt. Cum interim unam modo, aut alteram intestinorum ad plagam irritatio per illos contingat; per totum saepe canalem alimentarem, ejusdem extenduntur effectus: mesuritio continua, cum corporis tamen macie indies aucta; vel etiam adpetitûs ciborum omnimoda laesio, nausea, vomituritio, cardialgia, vomitus, ipsorum quandoque vermium per illum rejectio, borborygmi, inflationes subitaneae, tumores, graviditatem adeo in sexu sequiore aliquando mentientes, frigoris in intestinis molesti, — morsus, rosionis, inanitionis, palpitationis in cordis regione, lipothymiae, vibrantis, laucinantis, recellentis quasi corporis peregrini, — reptationis, sensatio, meteorismus localis, universalis, ructus, intestinorum intussusceptio, tormina, spasmi, dolores colici, retractio abdominis, tenesmus, haemorrhoidalia symptomata, medorrhoea ani,

vaginae, vulvae, diarrhoea mucosa cum ſaecibus nigris, ſoetidiſſimis, exuviarum verminalium, putridiſſimarum, articulorum bothriocephali, taeniae ſolii, aut vermium plurium, inter ſe cohaerentium, convolutorum, excretio, alvi pertinax obſtructio, menſtruorum perturbatio, abortus, dyſuriae, urinae albeſcentis, turbidulae, interceptio, inteſtinorum oppletio, inflammatio.

Quodſi quis hunc ſymptomatum diverſiſſimorum exercitum, ab inteſtinorum vermibus poſſe excitari, dubitaret; precamur hunc, ut paris nervorum vagi, nervorum intercoſtalium, et plexuum nervoſorum abdominis, eorumque in omne corporis ſyſtema influxum conſideret! Cui nec iſta quidem ſufficiunt; ille ad *titillationis cutaneae*, per jocum adeo ſuſceptae, effectus, riſum ſardonium, ſcilicet, convulſiones multiplices, aliquando etiam letales, convertat oculos!

Helminthi effractores.

Inteſtinorum, a vermibus, in homine *perforationem* negarunt, praeter celebrem *Italiae* medicum, in libro, jam anno 1741 *Taurini*, „de naturali in humano corpore vitioſa morboſaque generatione" edito, graves helminthologi; atque fatemur: a nobis

ipsis, quamvis, sub artis medicae per 54 annos continuato exercitio, plura cadaverum humanorum millia anatomice perlustraverimus, nullam intestinorum perforationem, quae vermibus prudenter adscribi potuisset, conspectam fuisse. Est quidem, ubi ex laesione, inflammatione intestinorum, maxime herniarum occasione incarceratorum, eorundem suppuratio, aut ulcus sequatur, atque contentis in hocce canali aut saburris, aut vermibus, per hanc continui laesionem, in cavum abdominis, aut ad inguina, ad umbilicum, via patuerit; sed a vermibus hanc viam, praevia rosione, adpertam fuisse, majore indagine indiguisset, ac in plerisque scriptorum, de perforatione intestinorum ab helminthis homini propriis, peracta, exemplis, adhibita fuisse videtur. Sic juvenis 15 annorum, habitum corporis laudabilem offerens, mense maji 1738, ad nosocomium *florentinum*, *s. Mariae novae* dictum, venit. Hujus aegri morbum, sub primo ejus ingressu, quod morosissimus fuerit, expiscari, haud bene licuit; hoc solum innotuit: frequentibus eundem *epilepsiae* insultibus vexari. In facie aegri, stupidi quid, pulsus interim normales, observabantur: ita, ut nul-

lum symptoma morbi urgere videretur. Valerianae sylvestris infusum praescribitur; sed eadem jam die misellus, a convulsionibus ac risu sardonio correptus, paucas inter horas, mortem subivit. Secto cadavere, *diaphragma* comparuit gangraena adfectum; ventriculus a statu normali parum recessit; infra septum vero transversum, *oesophagus perforatus* adparuit, et ejusdem ex foramine, quinque ascarides lumbricoides, abdominale in cavum prorepserant; eorum vero unus, *diaphragma penetraverat*, ac retro pulmones, in parte pectoris posteriore, degebat. In ipsis intestinis, vermes detecti non fuerunt. *Diaphragmitidem*, vicini oesophagi inflammationi conjunctam, hunc apud aegrum, in gangraenam fuisse conversam; hanc ultimam autem, vermibus, tam in abdominis, quam in pectoris cava, vias pandisse, verisimile est. Ad pulsus, sani quasi, sed post horas morituri, hominis, quod spectat: hos, ante obitum eorum, quos gangraena posthinc occidit, pluries nos ipsi observavimus. Num vero, hoc in casu, vermes *epilepsiae* in culpa fuerint? ex imperfecta morbi historia erui non potuit. Etsi vero quamplurimae,

perforationum, a vermibus inductarum, relationes exceptionem patiantur; non tamen ideo, quod nec helminthologis quibusdam claris, nec nobis, similia videre contigerit, singulas *medicorum*, non minus fide dignorum et perspicacium, observationes flocci faciendas, atque pro *fabulis pathologicis* declarandas esse, credimus. Ac primò quidem, helminthos, quos *armatos* adpellant, perforandis aliorum animalium visceribus pares esse, quotidiana experientia docuit. „Hanc vero perforationem, *lentissime ac nonnisi tenuissimis uncinis, quin ulla inflammatio subsequatur, absolvi*," haec certe observatoris in sensus haud cadunt, et argumento modo hypothetico locum concedunt. Secundò, perforationem partis sensibilis *lentiorem*, majores, quam *celeriorem*, dolores inferre, nemo est, qui negaverit. Atqui de his ipsis animalium, a vermibus perfossorum, torminibus, plerumque nulla observatoribus esse potuit notitia; et quoties illi, inflictis, jam pluribus a diebus, intestino vulneribus, istorum confinia perlustrant: toties, si nulla inflammationis vestigia in illis distinguant; non est, cur talia antehac neutiquam substiterint.

Quodsi autem, tertiò, vermis, proboscide suà et capite, vel omnis, per intestinum penetraverit: instituto, mature satis ac mox ubi se vermis in abdominis cavum praecipitaverit, examine: qua porta is cavum hoccé ingressus sit, *microscopio* haud opus esse videbitur. Tenuissimum sit, quod vermis modo *unicus* intestino induxerit, vulnusculum! sed quid, si plures his parasitis, sibi propiores, intestinum, eodem vix non loco, sauciaverint? Non solis, quartò, ab *armis*, ut vocant, quae certis, a natura, vermibus concessa sunt, sed a sola etiam, violenta satis, *suctione*, quam omnes tam saepe exercent, intestina laedi: sanguinis, post crudelia a vermibus tormina, ex illis per alvum, puerilem maxime, excretio, abunde manifestat. Vel sola cutis humanae, intestinis longe durioris, diuturna et satis vegeta *suctio*, cruorem ex illa demum prolicit; neque si venarum intestinalium parietes sauciare helminthi queant; quin iidem, tenues quoque hujus canalis tunicas eodem modo adficiant, aliquid obstat. *Ascarides* adeo *lumbricoides*, quos (scilicet mox ab humani corporis refrigeratione *rigidos*) nemo *intestinis adfixos* observavit, quintò, tam

inermes non esse: puncta quasi cornea ostendunt, quibus tres prominentiae, illorum oribus, non sine ratione circumpositae, instructae sunt, et quae invicem junctae, instrumentum satis acutum ac durum, perforandis intestinorum parietibus idoneum, efformant. Sextò vero, sola insectorum, vermium, quidquod partium animalis cujusvis majorum, *sub statu relaxationis, mollities*, dijudicandas ad vires, quas illis (ut musculis, peni virili) natura, sub influxu voluntatis, vel stimuli sibi proprii, ad rigescendum, ad effrîngenda corpora, iisdem aliàs longe duriora, indulserit, certe haud sufficit. Destructae, per insecta et vermes, naves bellicae vel maximae, et argines, provinciarum ad interitum perfossi, loquantur!

Non igitur semper, ubi humani abdominis in cavo ascarides, intestinis elapsi, — simul vero ulcuscula istorum sphacelosa, reperta fuerunt: putredinis haec et gangraenae magis, quam vermium effectui, absque illorum, quae praecesserunt, scrupulosa indagine, tribuenda sunt: donec scilicet perforantium intestina vermium culpâ moriatur animal, generandae tempus gan-

gracnae sufficiens isti conceditur. Non obsumus certe, quin vermium, ex intestinis, sub enteritide tandem funesta, vel sub hernia quacunque, incerceratis, inflammatis, atque gangraena correptis, egressus, huic ultimae, soli, attribuatur; sed perforationem intestinorum, vesicae, a vermibus, etiamsi, ut creditur, inermibus, aut longiorem per moram (quod apud homines rarius, quam apud pisces ac certis in animalibus succedit) alimento opportuno privatis, aut alia ratione commotis, contra *medicorum*, quorum tamen haud pauci, *historiae naturalis* incrementum promoverunt, negari: hoc, saltem nobis, haud satis justum esse videretur.

Ad corpus universum. Per omnem vero corporis compagem haud raro a vermibus oriri observantur tum febrilia subinde symptomata, tum miri motus spasmodici, convulsivi, epileptici, chorea *s. Viti*, frigoris sensus, tremores, dolores quasi rheumatici, sed breves plerumque, celeriter divagantes, ad articulos, ad musculos, acutissimi. Praeter haec, a copia vel extensione helminthorum majore, et motus intestinorum peristalticus invertitur, interrumpitur, et chyli pars maxima

consumitur: quo ex fonte tam bulimus aegrorum, quam aucta indies eorum, sub tumido licet ventre, macies, debilitas, ac tabes verminosa, derivanda sunt.

Specialia symptomata.

Atque haec ad *generalem* de vermium symptomatis imaginem potissime spectant. Dolendum vero est vel maxime, quod *speciale*, atque cuivis vermium humanorum familiae proprium diagnosticon, pro magna sui parte, in occultis adhuc lateat, eo magis certe optandum: quod non omnis helminthorum ordo, genus omne, aut quaevis species, vel iisdem legibus regatur, vel eandem medendi per methodum impugnari feliciter queat. Cum autem specialia helminthorum symptomata hìc loci breviter exponenda assumimus; nemo a nobis, ut et illorum, qui passim in Europa rarissimi sunt; vel qui modo fortuitò post mortem aegrorum, sub cadaverum sectionibus detecti fuerunt, effectus morbosos, nec ab aliis, nec a nobis unquam aut satis observatos, describamus, praetendet. Hinc neque *filariae medinensis*, de qua jam §. 373 egimus, symptomata, ab aliis adnotata, hìc repetere, neque *strongyli gigantis*, neque *hamulariae subcompressae*, neque

polystomatis pinguicolae, neque *cysticerci visceralis*, nec, tandem, *specierum* vermium adhuc *dubiarum* effectus, utpote necdum satis cognitos, hìc exponere contendimus, sed posterorum industriae eosdem describendos relinquimus.

ympt. Tricocephali disparis. *Tricocephali disparis* symptomata, etsi suum hic vermis agendi modum specificum habere debeat; nobis tamen ipsis hucusque prorsus incognita sunt. In *morbo*, ut vocarunt, *mucoso*, *Goettingae*, anno 1760, *Gallorum* in exercitu, epidemico et a nobis §§. 101. 103. descripto, hic vermis pluries comparuit; sed ipsa haec muci copiosior secretio, *febris pituitosae*, tunc dominantis, adynamicae, effectus, ac istis helminthis consocia fuisse videtur.

S. oxyuri vermicularis. Molestissimum, ac saepe intolerabilem *pruritum oxyurus vermicularis*, circa finem intestini recti, maxime in aetate tenera et sensibiliore, ad vesperas noctisve ad tempus, apud multos, majorem, producit. Aliquando gelidae, guttatim in rectum intestinum delabentis, sensatio accedit. Illi vero pruritui, dolor aliquando subitaneus, pungens, sed brevis, atque tenesmus, iisdem in locis, aut etiam ad vesicam,

ad pedum adeo manuumque ad digitos, ad pectus, se adsociat. Non igitur mirabimur, his fere perpetuis a stimulis, adfluxum cruoris ad dictum intestinum uberiorem, vasorum haemorrhoidalium turgorem, tensionem, dolores, tenesmum, ani medorrhoeam (§. 550.), ac ipsum adeo, licet rarius, intestini recti, apud pueros, prolapsum oriri, alvumque nunc obstrui, nunc vero, quibusdam in subjectis, laxari. Quae de oxyuri vermicularis, in foeminarum genitalia, tam externa, quam interna, effectu §. 905 jam retulimus: ea hìc loci non repetenda sunt. Pro foemina juvene, delicatula, venae portae adfectionibus, ac ter jam ictero subjecta, a tribus vero annis permolesto ad intestinum rectum pruritu correpta, consilium nostrum, extraneo a medico, 17 abhinc annis, petitum fuit. „Augebatur ad vesperas, a media vero nocte evanescebat *periodice* hicce pruritus. Cum ab haemorrhoidibus iste, in gravida tunc foemina, venire censeretur; unguenta, enemata, eccoprotica, et balnea, — sed omnia incassum, praescripta fuerunt. Potissimum solatium, clysteres oleosi adferre solebant. Partûs instantis nunc signa se manifestarunt; atque tam

sub istis, quam post partum, ac novem per dies, quos in lectulo transegit puerpera, pruritus nequaquam redivit. Advertit vero aegra: quod hic pruritus, quotiescunque vel cephalaea, vel aliud mali genus sibi accideret: toties in integrum evanesceret. Duos nunc per annos infenso hoc pruritu, modo descripto, vexata, *aquas* aegra *carolinas* petiit, easque tam ore, quam balnei sub forma, adhibuit. Non minus sub itinere ad *carolinas,* quam istarum sub usu, a pruritu libera mansit foemina; vix autem duobus a mensibus hoc malum cessaverat: cum illud de novo, ac violentius accesserit. Praeter enema oleosum, hirudines nunc ad anum positae fuerunt. De vermibus jam pridem suspicionem aluerat medicus; cum vero anthelminthicorum sub usu, *ascarides lumbricoides*, quos forsitan ille subesse crediderat, nulli secessissent; omnis de vermibus suspicio deposita jam fuerat, dum, praeter omnem exspectationem, super faecibus ejectis, *oxyuri vermiculares* in conspectum venerunt. Ad hos impugnandos, horis matutinis, clysteres ex allio, ad vesperas alii ex oleo, ac tandem, ob symptomata spastica, ex opii pauxillo, haud sine

aegrae levamine, praescripti fuerunt. Clyster oleosus, pruritum quidem ani praesentem sedare, — sed futurum nec arcere, nec breviorem reddere poterat. Ad alium igitur, ex infuso seminum cinnae lacteo, aegra confugit; sed nec iste pruritum imminuit. Alterius experti medici consilio, nunc, praeter clysteres oleosos, pulvis quoque interne adhibendus, ex calomelas grano, seminum artemisiae judaicae, et florum sulphuris āā. granis XV, alternis vesperis sumendus, praescriptus fuit. Ab assumtis per aliquot dies his pulveribus: immensa quidem copia vermiculorum dictae indolis, sub aegrae levamine, per anum expulsa fuit; sed continuatis pulveribus, substituta licet, floribus sulphuris radice jalappae; pruritus, pristino haud mitior, in ano recruduit, ac modo duo oxyuri vermiculares excreti fuerunt. Solutio nunc aloetica, — effectu tamen, illo clysteris oleosi, haud majore, per anum injecta fuit." Difficultatis in expellendis his vermiculis haud ignari, clysteres ex frigida, et aceti, ex vino parati, parte tertia, aliquoties per diem injici, — oleum ricini americani interius porrigi, consuluimus. Quodsi nec ab istis impetraretur auxilium;

ad enemata ex frigida cum salis culinaris portione, ac tandem ex fumo nicotianae tabaci, confugiendum esse, respondimus. Consiliorum interim medicorum, ad magnas distantias aegris porrectorum, sorte nimis frequente, de remediorum a nobis propositorum effectu, plures per annos nec quidquam rescivimus; donec ab aegra, alio tunc morbo detenta, quam felix et quam constans eventus, enemata ex gelida cum aceto porrecta, coronaverit, laeti intelleximus.

Sympt. ascaridis lumbr.

De *ascaride lumbricoide* retinendum est: frequentissimum hunc vermem, puerorum, foeminarum intestinis *jejuno* et *coeco*, prae aliis, delectari; sed tamen, ut supra monuimus, haud raro aliuc, superiora, inferiora versus, nec ventriculi dignitate, nec pylori angustia obstantibus, eum migrare. In ventriculo, nauseas, cardialgiam, vomitum, sub quo vel ipse excutiatur, excitare; ad oesophagum, et in oris adeo, et narium cava ascendere, quidquod in tracheam quasi inspirari; per ductus pancreatis hepatisque, sub magnis aegrorum angustiis ac, ut casus docuit, sub hydrophobiae spontaneae symptomate, aberrare; in tenuibus intestinis, circa umbili-

cum maxime, motus subsultorios, dolores ac tormina, tum hìc, tum alibi intestinorum, crudelia generare; intestina, tum libera, tum saccis herniosis inclusa, subinde, vel ob longas inedias, vel quod incarceratum se persentiat, vel demum, quod via, per suppurationem intestini adperta sit, locis adeo pluribus perforare, ac in abdominis, aut pelvis in cava decidere, vel adeo ad viscus vicinum, quod de vesica urinali notum est, vel per inguinis, vel per umbilici abscessus penetrare; morbos saepe alios, tam acutos, quam chronicos mentiri. Famis in juvene insatiabilis, seu *bulimi*, exemplum in Ephemeridibus N. C. occurrit. „Nisi fere continuò quid ederet hic juvenis; in animi deliquium incidit. Variis remediis, per quadriennium frustra adhibitis, tandem superveniente ab asthmate suffocabatur. Adperto cadavere, in ventriculo insignis vermium conglomeratorum congeries inveniebatur, et duae, in inferiore orificio, glandulae, ad moschatae fere nucis magnitudinem accedentes, et vermibus, figurae colorisque varii, repletae." Quodnam helminthorum ad genus hi vermes pertinuerint, id quidem haud satis elucet; sed hisce ab

hospitibus parasiticis, vel copiosiores, vel majores ii fuerint, haud raro *bulimus* exortus est; ac talem, nisi cibis aegra indulgeret, ad *lipothymiam* usque procedentem, a *taenia*, duodecim cubitorum longitudinem excedente, ac *hierae* usu abacta, inductum, jam peritus *graeciae* medicus descripsit. „Mulier 26 annorum, ut refert vir clarus, posteaquam circa pudenda dolorem toleraverat summum, cum urina saniosa, hinc purulenta, excrevit vermem, spithamae longitudinis, externa facie similem omnino iis, quos per os et alvum quotidie excerni notamus, *teretes* vocatos. Coloris erat flavescentis; ubi primò excernebatur, vita adhuc gaudens." Virum a typho cum risu sardonio, cum ventris summa tensione, inflatione, sensibilitate, cum singultu, cum petechiis numerosis, ac tandem sub delirio effreni et continuo defuncti, cadaver *Ticini* secuimus: in quo diaphragma perfecte insons, sed intestina singula, a pyloro ad anum, tum faecibus, tum trecentis et ultra vermibus dictae indolis, farciminis ad instar, repleta fuerunt. Foeminae *Bruchsaliensi*, per tres jam hebdomadas a gravi dysenteria detentae, ac perpetuo singultu jam a triduo

correptae, adstitimus, gangraenam potius, quam vermes, ut causam singultûs, ex eo, quod fluxui dysenterico tam gravi ac longo, vix unquam vermes resistant, supposuimus. Haec interim mulier, morti, ut videbatur, proxima, tres vix ascarides lumbricoides per vomitum spontaneum rejecerat: cum omnis singultus, — ac paucos post dies, morbus ipse primarius, cessaverint. Sub ipsis autem mentis aberrationibus subitaneis, si causae aliae, majores, non subsint; de vermibus cogitandum esse, virginis *rastadiensis* exemplo, decem abhinc lustris jam didicimus. Haec scilicet juvencula, septendecim annorum, placido a somno expergefacta, prae urgente terrore, sine data causa cognita, contremiscere, aliorum auxilium implorare, ac parentibus, pridie tam caris, nunc autem vix notis, abhorrere, nutricis tandem inter brachia confugere, tremula et pallida incepit. Nullam nos ipsi, horis matutinis accersiti, tanti rationem delirii, nisi quod, praegressis torminibus, ascarides aliquot lumbricoides non ita pridem deposuisset, deteximus. Hanc igitur indicationem, tam felici sub omine arripuimus, ut expulsis octoginta circiter ex his vermibus, plena

mentis integritas virgini rediverit. Non minus digna, quae hic referatur, pueri decennis historia est: qui scilicet puer, mediis in plateis, ab utriusque oculi coecitate correptus, ad clinicum institutum *Goettingense*, cui tunc (a. 1784.) praefuimus, se duci curavit. Strumosum (scrophulosum) esse hunc puerum, facile agnovimus; sed tam subitaneae causam amaurosis, non in habitu strumoso, sed potius in vermibus, de quibus hic loquimur, jam antehac excretis, quaerentes, anthelminthica praescripsimus, et horum ope, et vermes copiosos expulsimus, et paucorum dierum spatio, sub hac sola medendi ratione, amaurosin perfecte sanavimus.

Sympt. strongyli gigantis. *Strongyli gigantis* rarissima humanis in renibus aut vesica observatio, quin propria huic vermi, in illis modo post mortem detecto, *symptomata* aliter, quam hariolando assignemus, nos impedit. Quibusdam quidem in canibus, renum substantiam hoc a strongylo erosam, consumtam fuisse, referunt; sed idem destructionis hoc vitium, ex causis longe aliis inductum, humanis in renibus haud raro, interdum vero quin ejusdem, sub vita, nata fuisset suspicio, a mor-

te repertum fuit. Tam renes, quam urinalis vesica canis, qui nobis, hos vermes observandi, occasionem *Ticini* obtulit, integritate normali fruebantur.

Jam longo a tempore suspicionem aluimus, quibusdam saltem in casibus, *phthisin pulmonum tuberculosam*, causae viventi, i. e., vermiculis, deberi. Quamvis autem *hamularia subcompressa Rud.*, seu *hamularia lymphatica Treutleri*, in glandulis juvenis, venere exhausti et phthisici, bronchialibus, nec minus in vasis earundem lymphaticis semel hoc a scriptore, nec huc usque ab alio, reperta fuerit; — licet vermes diversae speciei sat numerosos in pulmonibus ranarum, bufonum, piscium, ac vituli repertos esse sciamus; — etsi *tubercula scirrhosa*, in canum oesophago et arteria magna obvia, vermiculis repleta, summus quondam anatomicus *Patavinus* descripserit, et similibus aliorum scriptorum comparaverit; — quamvis ad ipsum canis ventriculum, ejusmodi *tumores verminosi* ac duri, familiares sint, atque tam in isto animali, quam in equis, *aneurysmata tuberculosa*, quae strongylos fovebant, fuerint reperti; longe

Symopt. hamulariae subcompressae.

tamen abest, quin similem mox hypothesin, firmioribus nempe argumentis destituti, audeamus amplecti. Tussim certe siccam, dolores pectoris internos, ac respirationis difficultatem, nec non plura systematis lymphatici incommoda, producat *hamularia* opportet, cum causae atque effectus morborum ex ipsa experientia magis, quam a solo, in rebus medicis tam periculoso, ratiocinio, eruenda sint; novi vermis, aut forse diversorum in pulmonibus symptomata, aliorum industriae lubenter describenda committimus.

Sympt. distomatis hepatici.

Etiamsi *distomatum hepaticorum*, in cadaveribus hominum repertorum, exempla quaedam aliorum adduxerimus (§. 905.); cum tamen has observationes de helmintho, inter homines rariore, ex propriis augere nequeamus; et cum illi ipsi, quibus hunc vermem, funesto aliorum morborum sub fine, detegendi sors contigit, *specifica* illius symptomata haud adnotaverint; praeter signa, quae *distoma hepaticum* prodant, ex sola ratione, quae toties medicis imposuit, petita, nulla possemus hic tradere. Quamvis autem morbosa jam antehac visceris substantia, *distomati hepatico* attribui nequi-

ret; plura tamen vel boum, vel ovium jecinora, his a vermibus obsessa, et partim exesa, partim fere lapidea, partim vero canaliculis, trium quatuorve linearum diametri, osseis instructa, insolitae hujus devastationis auctores, tam alta, quam justa voce accusant.

Nec certe segetem therapia ditiorem, ex unica *Polystomatis pinguicolae*, in foemina humana fortuitò repertae, observatione (§. 905.), hucusque colligere potuit. Nec minus *distomatis hepatici* in homine symptomata, si illa, quae §. 905, in puellae octennis, *mediolani* defunctae, historia breviter descripsimus, excipias, nos latent. **S. Polystomatis pinguicolae.**

Lux quidquam clarior, sed debilis admodum et pallida, in *Bothriocephali lati*, seu taeniae latae, ac *taeniae solii* symptomatis exponendis, nobis adfulget. Quodsi vero, quae utrisque his *cestoideorum* generibus proprii et specifici effectus sint? a nobis expetatur; nisi eorundem articuli, prius ab aegris excreti, nos instruant; praeter flebile ignorantiae in rebus abditis privilegium, nihil omnino, quod nobis ipsis satisfaciat, respondendum habemus. Ex rationibus helminthologicis forsitan minus **S Bothriocephali lati, et taeniae latae.**

gravibus, quam ex illis therapiae, quod nempe recentiorum *Bothriocephalus*, remediis, quibus *taenia solium* sat saepe expellitur; pertinacius resistere visus est, tam genus, quam nomen, vermi utrique diu communia, nostris tandem temporibus distingui merebantur. Coeterùm, quousque symptomatum, vel a *Bothriocephalo lato*, vel a *taenia*, quam *solium* adpellant, excitatorum historiae, tam alienae, quam propriae, sese extendunt, fatemur: nullum his e signis nobis esse cognitum, quod uni ex his vermibus magis, quam alteri, specifice esset proprium. Ac primò quidem, quod helminthi etiam alii solent, ut haud raro nullum omnino homini suae praesentiae vestigium imprimant: hoc et utrisque, de quibus hìc agitur, vermibus, laudis tribuendum est. Sic vir, in artis musicae regulis admodum peritus, a. 1799, *Vindobonae* nos consuluit: qui vir, licet *taeniae solii* articulos frequenter excreverit; excepta tamen obnubilatione capitis, satis inconstante, quae musicae studio intenso eadem ratione attribui potuerat, de nullo salutis incommodo alio unquam conquestus est; nec similia huic exempla tam rara dicenda sunt. A lon-

giore inedia, vel ciborum, potûs frigidioris, medicaminum his parasitis molestorum, ab usu, vel a corporis positione eisdem onerosa, vel istius, aut forsitan vermis ipsius a morbis, defatigetur interdum hospitis, aliàs pacifici, patientia, et varia tunc temporis, ad ventriculi regionem excitantur incommoda. Sic foemina princeps, *petropolitana, Bothriocephalo lato,* per quinque jam annos in ejus intestina dominante, a nobis liberata (§. 905.), si ingratam, in regione epigastrica, sensationem, ad noctem, nisi affatim fructus horreos ingurgitasset, continuò adauctam, et inevitabiles insomnias, cum alvo plerumque pultacea atque subliquida (his a fructibus magis, quam a verme derivanda) excipias, de nullis conquesta est salutis molestiis. Apud alios, hi vermes, quod et ascarides lumbricoides, in glomerem convoluti, faciunt, ponderis, una abdominis parte, vel altera haerentis, aut globi, in abdomine sese volutantis, sensationem inducunt. Quod vero, secundò, helminthis pluribus proprium est, scilicet ut ex ventre, longinquas saepe in partes symptomatice agant: hoc et vermibus, de quibus hic sermo habetur, nisi quod ob-

servatoris admirationem aliquando adhuc magis istorum actio moveat, commune est. Sic vir quadragenarius, constitutionis vel optimae, ob *foetorem ad nares*, licet adspectu sanissimas, sibi intolerabilem, nec tamen aliis, aut nobis vel minime sensibilem, *Bruchsaliae* nos quondam consuluit. Sub attento insoliti hujus phoenomeni examine, nullam omnino istius causam deteximus, nisi quod hic aeger, *taeniae solii* articulos viventes, et qui, alvo prope muros deposita, duos fere ad pedes altitudinis super istis adscenderint, frequenter excreverit. Hanc igitur forsitan foetoris illius in originem hic agendum esse ducentes, adversa huic vermi remedia, sub tam felici effectu praescripsimus: ut expulsa in integrum hac taenia, foetoris in naribus sensatio illico disparuerit. De illustris quondam *Sueciae* archiatri, atque „de morbis infantum" egregii suo tempore scriptoris, relatione, quamvis alio a viro *Goettingensium* celebri confirmata, hominum scilicet quorundam, ob vermes, sub quovis *concentu musico*, mox ab anxietate ac timore, nisi hunc fugerent, gradatim augendis, prehensorum, dubitari posse, non modo credidimus; sed alios quoque haesi-

tare docuimus: donec in *ticinensi* clinices instituto, coram numerosis ejusdem alumnis, sanissimus coeterùm atque robustus agricola, ob summas angustias et maximos artuum tremores, quibus ille, sub officii divini celebratione, *organi sonos*, maxime profundiores, auribus perciperet: toties, — nec alia quacunque occasione, confestim concuteretur, nos tandem consuluerit. Tunc enim, adhibito omni causarum hujus mirae adfectionis indagine, hunc virum cucurbitinos *taenii solii* articulos pluries ano rejecisse, audivimus et, hunc ad scopum, necessaria (quin tamen de istorum effectu posthinc aliquid rescire nobis contigerit) praescripsimus. Simile fere exemplum, in diario *Galliae* medico anni 1812, a viro claro adnotatum fuit. Helminthi, tertiò, plures, pro sua mollitie, elasticitate, aut se contrahendi potentia conspicua praediti sunt; his autem *Bothriocephalus latus* non minus, ac *taenia solium*, praecipue gaudet: ita ut, si forsitan pars istorum vermium, vel sponte, vel per artem expulsa, ab ano propenderit; hac parte, aut filo ligata, aut abrupta, pars reliqua vermis, vel intestinis arcte infixa, vel convoluta in glomerem, ab ano se re-

trahat, ac superiorem intestini ad tubum refugiat. Sic illustris, de qua vix locuti sumus, ſoemina *rossica*, multis jam ad expellendum *Bothriocephalum latum*, auxiliis usa, sicut vel sponte (bis circiter in mense) vermis portionem conspicuam evacuare soluerat: ita, drasticorum effectu, aliam, majorem, ex intestino exire coëgit; sed licet aegra, sub exitu illius, octodecim per horas, sub diro intestinorum cruciatu, sellae perforatae insedisset, vermemque tandem filo ligari curasset; ille tamen, diruptus, hanc viam ultro inire pertinaciter recusavit, ac ad loca superna se ipsum, invictum, retraxit.

Quò vero hic exposita *taeniae solii* symptomata, exemplis, notatu dignis, illustremus; eorum aliqua, ex instituti clinici *Vindobonensis* diariis desumta, jam allatis, circumscripta, supperaddimus.

I. Virgo annorum octodecim, vitam agens sedentariam, laxique habitûs, dum, mense Julii anni 1795, prima pateretur menstrua, varios *taeniae solii* articulos, solitarios, et cohaerentes, excrevit. Hoc ipso tempore haec virgo adficitur interdum lipothymia, palpitatione cordis, cardialgia,

imprimis a jentaculo, et a cibo quocunque ingesto. Adfluit eodem tempore major salivae copia; coeterùm, ut refert, semper sanissima, nec aliis symptomatis exposita vixit. Nec etenim unquam pruritum, vel ad nares, vel ad anum, nec animam foetidam, nec tussim siccam, nec spasmos, nec dolores colicos, nec sensum ponderis, in abdomine se volutantis, observavit; nec pupilla dilatata, vel coerulescens semicirculus ad palpebram comparuit. Deponit autem, sine ulla vellicatione aut majore conamine, frustula et catenas integras taeniae, quae etiam *sponte*, sub *deambulatione, ano excidunt.* Menstrua haud nisi semel comparuerunt. Die 15. Januarii a. 1796, instituto clinico recepta fuit puella. Pulverem radicis filicis, ac oleum ricini americani ea jam assumserat. A solo jam pulvere filicis, taeniae articulos deposuit. Die 18. leves dolores colici; loco istorum, ad noctem, faucium dolor. Asserit aegra, se nono quovis die, taeniae articulos deponere. Stannum anglicanum, cum extracto amaro et radicis jalappae pulvere praescribitur. Dolor faucium, absque ulla istarum rubedine, molestus. Die 22., sub magnis torminibus, secedunt aliquot taeniae articuli.

Ad vesperas, sensatio, ac si vermis in ventre se volutaret ac alvo exire moliretur. Dolor dentium cariosorum. Die 24. taeniam solii excrevit, quatuor cum dimidia ulnarum *vindobonensium*, sub alvo haud liquida. Phoenomenon aegra, sub vermis excretione, peculiare haud animadvertit, sed inscia eundem deposuit. Pars vermis excreti, tenuissima quidem, sed absque capite rejecta. Die 25., iterum *taeniae articuli*, sed *livescentes*, excreti fuerunt. Cum singula helminthi symptomata siluissent; ab usu remediorum destitimus, ac aegrae demissae, quidquam chloroticae, chalybem praescripsimus.

II. Ancilla coelebs, 47 annorum aetatis, hernia inguinali laborans, secunda valetudine gaudebat, donec ante annum, sequentia pati coeperit: nauseam, ructus acidos, subinde ova putrida redolentes, vomiturитiones, vomitum viridescentis materiae, interdum violentum, famem adauctam, jejuni ventriculi dolores, sub celeri corporis versione, interdum globi, ex uno latere in oppositum delabentis, sensationem, borborygmos, oculorum caliginem, dilatationem pupillarum, *memoriae debilitatem*,

lipothymias, vires sensuum omnium fractas, interdum dolores ad lumborum regionem, subinde palpitationes cordis, concussiones spasmodicas, somnolentiam, moestitiam, morositatem. Ab usu cremoris tartari, secesserunt *ascarides lumbricoides*, una cum aliquot *taeniae solii* articulis. In clinicum *vindobonense* institutum a. 1797 assumta, sub usu stanni granulati, taeniae solii portionem, octo circiter ulnarum, excrevit. Remediis variis porrectis, de nihilo conquesta, nec vermis ullo symptomate adfecta, ob debilitatem, ulterioribus non usa, recessit.

III. Famulam, 25 annorum vitae, in clinicum institutum vindobonense, a. 1802 suscepimus. Haec, coeterùm, sana vegetaque puella, duos ante annos, tormina ventris persensit; secesserunt aliquae *taeniae solii* portiones. Ingratus nunc foetor et pruritus narium, ciborum desiderium nonnunquam ingens, aliàs anorexia, anxietas, dyspnoea, et ponderis in ventre perceptio. Sub conversione corporis ex uno latere in aliud, globi, ex illo, in istud se praecipitantis, sensatio; aliquando alvi profluvium mucosum; pupillae dilatatae, semicirculus inferioribus sub palpebris, coerulescens. —

A taenia solii, longitudine sex ulnas superante, cum extremitate tenuissima, decem post dies excreta, singula, quae hucusque persenserat, taeniae symptomata disparuerunt.

IV. Pilorum opifex, 16 annos numerans, compagis corporis gracilis, cum ante annum, ob ventris dolores diuturnos, medicinam, quae alvum purgaret, assumsisset; binis vicibus *taeniae solii* portionem, ulnae longitudinis, per alvum, sub levamine symptomatum, rejecit. Post duos interim menses, recruduerunt haec salutis incommoda, et alia illis accesserunt: dolor interdum ad frontem, ut vocant, gravativus, visus tenebricosus, amaurosis momentanea, haemorrhagiae narium, nullus istarum pruritus, sed foetor oris, sensus aurae frigidae, ex ventriculo ascendentis, et in auribus, tinnientibus, terminandus, cardialgia, jejuno stomacho vehementior, a cibis assumtis evanescens. Abdomen modo omne, summo sub dolore, constringitur; modo idem, absque dolore, intumescit. Dum rationem decumbendi subinde invertit aeger: ponderis, in imo ventre sese volventis, et quasi pulsantis, sensum accusat;

alvus ter quaterve fluida simulque foetidissima deponitur. Aliquando vermis articulos viventes sub faecibus excernit. Dolores, mox in axillis, ad brachia, manus, mox ad pedes urgent; formicationis in manibus eorumque digitis, — his ultimis, *insensibilitas*, *immobilitas*, quae labores impediunt. Mense novembris a. 1800, primò ad nosodochium, posthinc ad clinicum institutum *vindobonense* susceptus est. Sub cura morbi, *taeniae solii* octo ulnas, sine ejusdem capite, rejecit, ac brevi tempore restitutus, clinicum deseruit.

V. Aeger 29 annorum, qui *taeniae solii* articulos excreverat, *ab ingestis cibis, molestam in abdomine titillationem*, frequentem flatulentiam, dolores colicos, ac saepe lipothymias, et praecordiorum anxietates, in aëre minus libero, expertus est. Post remedium drasticum, decem quidem, binis vicibus, *taeniae solii* ulnas excrevit; sed haud exiguam simul sanguinis copiam e pulmonibus rejecit. Ructus foetidi, salivatio abundans, faucium pruritus, his accesserunt. Semel vomuit, alvus rite succedebat; sed sub istius depositione, interdum quasi *globum, in rectum intesti-*

num ponderantem persensit; macies corporis magna fuit. Sub attento objectorum intuitu, visûs obnubilatio accessit; narium pruritus nullus. Taeniae dictae 22 ulnas, sub medicamentis praescriptis, excrevit quidem, sed ad ea continuanda nimis jam debilis, haud sanatus, discessit.

VI. Viginti duorum annorum ancilla coelebs, ante annum concepit, ac partum postea difficilem experta est. Jam a prima juventute, sub misero victu, vermium symptomata fere quotidie exhibuit, ac *ascarides lumbricoides*, tam naribus, quam ano, sub utriusque pruritu, ac sub magnis torminibus rejecit; *oxyuros* simul *vermiculares* per anum reddidit. *A tempore conceptionis, haec duo vermium genera comparere cessaverunt;* sed tunc articuli *taeniae solii* in conspectum venerunt. Ob aucta indies incommoda, 16. maji, a. 1803, nosocomium *vindobonense* aegra petiit, infuso valerianae sylvestris in illo usa; die vero 23. hujus mensis, ad institutum clinicum devecta, sequentia nobis exhibuit: compagem corporis mediocrem, caput subinde vertiginosum, visûs obnubilationem, pupillas valde dilatatas, *oculi, mox dextri, mox*

sinistri, perfectam, sed brevem, amaurosin, semicirculum inferioribus sub palpebris, narium pruritum, *aures susurrantes*, oris foetorem, ructus foetidos, adpetitum ciborum normalem, ventriculi tamen oppressionem, vomitum, singultum, *vocis interceptionem*, anxietates, dolores lumborum; abdomen, ab attactu, maxime in sinistro hypochondrio, dolens, globi, in ventre se circumvolventis, sensationem, dolores extremitatum. Die 24. maji, duos taeniae solii articulos, sub usu stanni granulati cum extracto amaro ac pulvere radicis jalappae, excrevit; dextri nunc hypochondrii *dolores, a quavis remedii assumtione auctos*, ptyalismum, persensit; accedit et medorrhoea. Die 25. ptyalismum, dolores abdominis, admodum atroces, aegra accusat; quinquies alvus hodie mota fuit, et partem taeniae, ex undecim articulis constantem, excrevit. Ptyalismus tunc copiosior, dolores abdominis exacerbati, anxietas magna, borborygmi, vomituritio, observabantur. Die 27. bene dormiverat aegra, dum horâ quarta matutina expergefacta, electuarii dosin assumserit. *Mox ab ista, dolores praegrandes abdominis, anxietates, vomituritio, re-*

cruduerunt. Ad vesperas, taeniam, capite suo instructam, octo ad ulnas extensam, aegra excrevit. Major abhinc debilitas insecuta est; dolores, imprimis pedum, imminuti sunt; ponderis, in ventre se volventis, sensatio, pruritus narium et oris foetor, disparuerunt; ad noctem interim rediverunt dolores ad hypochondrium dextrum, ad lumbos, ad pedes; narium pruritus foetorque oris denuo comparuerunt; urinae paucae, turbidae, cum sedimento furfuraceo. Superaccedunt salivatio, faucium constrictio, dyspnoea; sub levi attactu abdominis; quasi ictus, ad manuum digitos extensos, aegra accusat. Iterum ad pristina remedia confugimus. Ad noctem, dolores remiserunt, aegra obdormivit, bis alvum, sine verme, deposuit; dolor ad pedes auctus. Die 1. junii, dolores in abdomine cessarunt, in pedibus vero subsistunt. His interim symptomatis, *taeniae illis haud absimilibus*, praeter aquam menthae ac atheris aliquantulum, nihil opposuimus; pedes, spiritu vini camphorato lavari curavimus. Die 4. junii, aegra, quam optime valens, deseruit clinicum.

VII. Joannes *Taufenecker*, austriacus,

chirurgus, annos aetatis 29 numerans, a febre intermittente diu vexatus, lienis tumorem contraxit. Dum, hunc ob morbum, purgans alvum medicamentum assumsisset; *taeniam solium*, faecibus intermistam, *ex ano pendere* observans: hanc ipsam, ad quinque ulnarum longitudinem extraxit; ob dolores ventris, hoc sub conatu insecutos, ne intestina, ut adhuc parum instructus credebat, simul protraheret, filo circumducto vermem prolapsum ligavit. Decem vero abhinc annis, praevio ad anum pruritu, taeniae portiones, adhuc viventes, haud raro, faecibus junctae, secesserunt, ac *sponte interdum, vel inadvertentis in braccas aut feminalia inciderunt.* Contra hunc vermem, tunc sibi cognitum, drastica aeger assumsit, ac, die ab his quinta, 14 ejusdem ulnas, ano excrevit. Duos interim post menses, alii hujus taeniae articuli ex ano in feminalia inciderunt; a debilitate, nunc suborta, terrefactus, renunciavit istis remediis. Symptomata taeniae istius, fuerunt: *corporis incrementum lentissimum* et, ob abdominis molem, magis in latum, quam in longum; susurrus aurium, oculorum caligo, non levis narium pruritus, *sternutatio*,

epistaxis, saepe profusissima, ciborum desiderium immoderatum, et nisi eidem statim satisfaceret, ptyalismus, oris ingratissimo sub sensu, vomituritio, dolor abdominis aliquis, cum *reptatûs* in eo perceptione, subsequebantur. Diarrhoea, absque causa cognita, frequens, noctes sub gravissimis insomniis transactae. Saepe vix lectum ingreditur aeger, cum tanto mox a dolore ad suras, frequentius surae ad musculos, correptus est, ut eidem ferendo se imparem sentiens, aut e lectulo desiliret, per cubiculum ambularet, aut locum dolentem comprimeret. Interdum lectulum repetenti, sub incauta pedis inflexione, dolor ingens in eodem recruduit, et aegrum, ut grabatum mox iterum desereret, coëgit. Die sexto februarii, a. 1799, hic vir, ad institutum clinicum *vindobonense* susceptus, obtulit caput liberum, pupillas admodum dilatatas, sub inferioribus palpebris semicirculum fere lividum, olfactum gustumve normales, abdomen molle, in regione umbilici sensationem *rosionis* singularem (sensûs volutationis in abdomine tunc expers fuit), alvum heri, cum taeniae articulis viventibus motam, dolores ad genu atque tu

morem, *sudores in manibus*, ita ut digitorum ex apicibus guttulae destillarent, continuos, *a potu frigido, dolores*, et *singularem in abdomine sensationem, ab assumto jusculo calido, mox evanescentem.* A sua receptione, sub victu magis rigoroso, famem aeger, ad lipothymiam fere extensam, accusans, duos taeniae articulos excrevit. Sub usu stanni, globi, in abdomine sese volutantis, motum illico persensit. Sequuntur, nox insomniis perturbata, vertigo, proclivitas ad lipothymiam. Tres taeniae viventis articuli secedunt. Die sequente, ad noctem, post aliquam caliginem, subito amaurosis ad oculum sinistrum, per horae quadrantem modo extensa, comparuit. Alvum tunc liquidam deposuit, et sub ista, *taeniae* 5 1/2 ulnarum, *in glomerem convolutae, multis in locis nigrescentis ac putrescentis*, portionem excrevit. Ponderis magni sensus in abdomine accusatur; salivatio larga per horam dimidiam modo continuavit. Nox insequens inquieta, ponderis magni ad abdomen, ac titillationis in regione umbilici, ad anum, sensatio; alvus liquida, ter soluta. Die februarii 12., ciborum desiderium minus, sensatio globi in

abdomine, cessat; *repletionis* interim illa, in parte ejusdem dextra, continuat. Sal amarum porrigitur. Alvus abhinc liquida, sed absque vermibus, deponitur. Ponderis ac volutationis perceptio in abdomine perstat. Die sequente, singula vermis symptomata defuerunt et, praeter debilitatem corporis, nihil accusans, die 17. mensis dimittitur.

Si quos viros in arte expertos, hae taeniarum historiae, ac frequens eorundem quasi symptomatum repetitio, taedio adfecerit; deprecamur. Has interim *juventuti*, cui hoc opus, non modo in scholis, sed et propriis in studiis lucubrandum, dedicavimus, perutiles fore, haud est, cur dubitemus. Secundò vero, haec ipsa symptomatum, fere eorundem, repetitio, eundem etiam morbum, non alterius adfectionis modo effectu, quod nuperi quidam viri clari praetendunt, sed a taenia venisse, hinc *vermes, morbum homini, ut animalibus coeteris, — si haud semper, saltem frequenter, ominosum sistere*, commonstrabit. Quod saepius *incerta*, et aliis etiam morbis frequenter communia sint haecce symptomata; hoc, eadem, plus minus,

incertitudo, aetiologiam medicam, sicut rerum physicarum aliarum omnem, vix non ubique premat; doctrinam de vermibus, ut causa frequente morborum, haud ideo subvertit; sed modo cautiores nos esse, ac majorem tandem huic studio perfectionem conciliare, imperat.

Sub artis exercitio per undecim fere lustra in diversis Europae regionibus instituto, numerus eorum, qui *taeniae solii* ratione, nos consuluerunt, certe permagnus fuit. Symptomata istorum, cum illis, quae vix descripsimus, in omnibus satis convenerunt, etsi apud plures tanti momenti haud fuerint, ut reliquam eorum salutem, vehementiori taeniae, haud adeo molestae aut periculosae, pertractationi exponere voluissemus. Pars tamen aegrorum, hoc a malo prehensorum (quod et alii adnotarunt egregii in arte medendi viri) vix *tertia*, masculinum ad sexum pertinuit. *Bothriocephalo lato* adfectos, etsi quatuor per annos ad *Wiliam*, partim vero ad *Newam*, artem exercuerimus, haud multos pertractavimus; qui tamen singuli, symptomata, *taeniae solii* illis aequalia, nisi pertinaciora, nobis manifestarunt. Tanto vero *foeminarum*,

hoc ab helmintho vexatarum sub numero, quousque hujus rei confessio nobis facta est, modo *duas* nos novisse recordamur: quae, viro licet junctae, nec multum eousque in venerem pronae, quo tempore, prius, ac taeniae solii articulos rejicerent, vel insolitam ad actum venereum propensionem, et quasi furorem uteri, — vel ipso sub coitu, aestum, sibi antehac prorsus incognitum, — utroque vero in casu, mox a conjugali impetuoso commercio, *convulsionibus epilepticis*, quas antehac haud passae erant, adfectae fuerint. Caducam, a *taenia solii*, vertiginem in muliere observavimus.

S. Echinococci hominis.

Interea ac *coenuri*, ovium vertiginosarum in *cerebro* degentis, symptomata nunc satis perspicua sunt; illa, quae *Echinococco hominis* sunt propria, hucusque nos latent.

Helminthorum origo.

§. 907. Dum nostra *de helminthorum prima origine* hic adperienda est opinio, nos certe haud fugit, quod, *praedispositionum ad illos causarumque occasionalium* ultra limites divagando, multorum hac de materia scriptorum doctrinam, ipsorum vermium in hominem exemplo, *rosuri* videremur; quod vero gressus haec inter confinia

sistendo, *ignorantiae* apud alios notam incurramus. — Eligimus hoc ultimum. — Nisi religio doceret; quae generis humani aliorumque entium prima origo sit, ignoraremus; ac idem omnino, dum illa sileat, de *vermibus*, absque affectato pudore, dicendum esse, saltem nobis videtur. Inter omnes, de generatione vermium in homine, tam aevi antiqui, quam nostri, hypotheses, nos, etiamsi senes, nulla, ut fas est, latet; sed (clarissimorum pace virorum, et ea, quae in literatorum republica cuivis conceditur, quamque vicissim nulli disputamus, libertate, sit dictum!) quae, inter illas, hunc nodum solverit, quae nostro judicio satisfecerit, et quae medicae scientiae, quod potius est, progressibus vere inservierit, nullam nobis videri, candide fatemur. Controversiarum in arenas, a quibus, licet inter eruditos, ut decet, minus, ac inter gladiatores, cruentas, a juventute abhorruimus; nec in illas a nobis, seriore in aetate, descendi, aut scientiae interest, aut praescripti huic operi limites concedunt. Nostrae igitur fidei inopiam, ne dicamus intercessionem, artis medicae tabulario seu archivo, cujus ductu posteritas aequa, in-

ter tam diversas sententias, et nostram dijudicet, sine quovis auctoritatis praetextu, quiete committimus.

Quo coetera animalia jure tellurem, — hoc ipso helminthi corpus humanum, — nec illo quidem foetûs adhuc utero inclusi, excepto, prout nempe opportunum illud sibi hospitium offert, subintrant et, quousque sibi conducit, plus, minus quieti, inhabitant. Varias humani corporis divisiones et quasi contignationes, nec alias, nisi fortuitò, sibi eligunt. Haec, unica, in qua vivere queant, nec extra corpus animale quaerenda, vermium patria est. Corpus animalis *non sui*, aut ad receptionem fotumque ejus haud satis idonei, vermis fortuitò intret! et ab eodem, sine mora, vel totus, ut *praeda,* subigitur; vel praecipitatur, quasi hospes illegitimus. Helminthi modo pauci, humani corporis incolae, suum aliorum animalium in visceribus figunt et propitium inveniunt habitaculum; et pleraque ex istis, proprios modo sibi, suisque impensis suscipiunt hospites, et illorum alunt luxuriam.

Quaecunque vero nostra, de prima helminthorum origine inscitia sit; hoc tamen experientia docuit: quod illi, neglectis et

malo cultu corruptis in campis humanis facilius, — in agro autem, sub solis, atmosphaerae, et opportuni laetaminis benefico influxu, brachio forti constanter elaborato, longe minus, si unquam, prosperent; atque hoc est, quod, de vermibus loquendo, *praedispositionem* vocamus. Hinc aetas tenera, infantilis, puerilis, — hinc sexus, otiosarum maxime urbium, foemineus, — hinc et corporis ac viscerum, subactioni ciborum dicatorum, habitus asthenicus, haud raro haereditarius, nec non alimentorum crudorum, glutinosorum, farinaceorum, in aëre humido frigidoque abusus, ad illam potissime contribuunt: ita ut sub statu corporum strumoso, atrophico, vermes plerumque abundent. Quam alii vermium causam, in *muci abundantia* latere crediderunt; hanc ipsam, alterius causae, laxitatis, debilitatis, ac irritationis, a vermibus productae, *effectum* potius esse arbitramur. De *fasciola* aut *ligula*, quae *hepar ovium* infestat, notum est, quod, si pascuis haec animalia humidis vescantur; facile illa hoc verme corripiantur ac, hepatis volumine indies adaucto, duriore ac diversos in sensus corroso, ascitica reddantur. Oculus tri-

stis, conjunctivae tunicae pallor, hunc ovium morbum praesagiunt; malo interim necdum provecto, ubi montium herbis siccioribus, ac imprimis *erica* vescuntur; sanitatem haec animalia pristinam recuperant. Helminthorum *cysticorum* causae nequidem *occasionales* nobis sunt cognitae. Vir clarus, hos vermes „leucophlegmatiae, aut telae cellulosae humori nimis abundanti, aut visceris cujusdam labi hydropicae, aut lymphae quadam in parte cumulationi, aut vitiis hisce similibus" attribuit; cum vero hi morbi frequentissimi, — helminthi autem *cytsici* rarissime et quandoque absque istorum suspicione, occurrant; fatemur, nec hanc nobis opinionem satis arridere.

Prognosis. §. 908. Sub ipsa symptomatum a vermibus (nisi prorsus pacificis, atque hinc nequidem adesse suppositis) produci solitorum, nunc satis mitium, nunc vero gravissimorum, expositione (§. 906.), *prognosin* eorundem jam tetigimus. Quamvis autem helminthi, *intestinorum incolae*, adversorum sibi remediorum actioni, prae illis, qui sedem, in *viscerum* aliorum *substantia*, longe securiorem, occupant, expositi sint;— vel mucosa tamen, quam sibi, tenaci inte-

stinorum e pituita praeparant, chlamyda undique velati, vel faecibus induti, obtecti, vel intestinorum inter plicas, aut illorum in recessibus occultati, — vel demum (quod maxime de *bothriocephalo lato* et *taenia solii* valet) proboscide sua intestinis firmiter adfixi, — haud raro anthelminthicorum modo parum adficiuntur a stimulis, aut iisdem pertinaciter resistunt; aut, ad summum, aliquos ex maturioribus, si quos habeant, articulis, minoris momenti ut praedam, sola sua extensione mox reparandam, deponunt. Quasi vero medicorum conaminibus se insultasse delectarentur: armis eorum jam vilipensis, aut fractis, intestina, — vix interim quin suam in istis posteritatem, futuram insidiarum vindicem, relinquant, vel sponte deserunt. Atqui hos ipsos inter vermes, intestinorum incolas, non una eademque est, medicinae resistendi capacitas; sed illos inter, *ascarides lumbricoides* plerumque facilius, — *oxyuri* autem *vermiculares* longe difficilius obtemperant. Reluctandi potentia adhuc major *taeniae solii*, maxima vero, ac saepe, absque possessoris vitae periculo, vix domabilis, *bothriocephalo lato*, a natura

concessa est. Vel has igitur per observationes, vel novitatis cupedine inducti, fuerunt, qui, ut novum antiqui proverbii, „nihil tam absurdum esse, quod non docuerit philosophus" argumentum proferrent; vermes a natura procuratos, superfluum intestinorum ut mucum consumerent, motumque intestinorum peristalticum irritando augerent, — has igitur bestiolas ad corporis humani utilitatem potius, quam inducendos ad morbos, conferre, docuerint. Repetimus interim, quod fassi jam sumus: *causas helminthorum occasionales*(§. 907.) majoris hoc in morbo inducendo momenti esse; innumeros dari homines, qui, longioris adeo vitae in curriculo, vermes suis in visceribus aluerint, quin grave illis tributum hisce ab hospitibus impositum fuisset; — haud raro vermes, qui nequidem in homine exstant, a medicis, non sine gravi mortalium damno, supponi; ac saepius, quam creditur, vermes, revera praesentes, morborum, quos minime fecerunt, imprudenter accusari. Interim non vana esse corporum humanorum, quae vermibus imputantur, salutis incommoda, symptomatum eisdem adscriptorum ratio jam satis evincit ac,

sub majore infantum, puerorum, ſoeminarum, hominumque delicatulorum debilitate, vel sub morbis diversis, gravioribus, scarlatina nempe, variolis, morbillis, vel si ad viscus nobilius irritatio, devastatio major contingat, insignes saepe a vermibus noxae, ipsam adeo in mortem haud raro terminandae, proficiscuntur. Vel ipsi, tam communes, ascarides lumbricoides, dum ad hominis ventriculum ascenderint: longe plus negotii, quam in intestinis, facessunt. Saepius sub fine febrium, ex caloris aucti ac inediae longioris, ut putamus, ratione, vel et versùs vitae terminum, in ipso mortis agone, imo defunctis nuper a febribus aegris, vermes ab homine vel sponte, tam ore, quam ano secedunt. Etsi vero talia pro fausto febris exitu loqui, venerandus senex pronunciaverit, dicens: „*Lumbricos teretes*, morbo judicium subeunte, una cum excrementis prodire, utile erit;" frequenter tamen necquidquam abinde mutatum, vel et mortem nihilominus a morbo successisse observavimus. Ex febre, vel alio gravi a morbo convalescens, a taenia correptus, vires lentius recuperat. Sic iterum *Hippocrates*, de *verme lato* agens, „qui hunc vermem

habet, inquit, ei toto quidem tempore nihil valde metuendum accidit; cum vero debilis exstiterit, aegre reficitur: vermis enim eorum, quae ventriculum ingrediuntur, partem aliquam assumit. Si igitur, ut convenit, curatus fuerit, convalescit; si vero non curatur, sua sponte non exit; mortem tamen non infert; sed unà consenescit." Expulsis adeo jam vermibus, sicut maris in undis, a gravi tempestate commotis, symptomata illorum haud raro unam alteramve per diem superstant: ut quae non in vanum vexationi per helminthos diuturnae, — saepius autem remediis drasticis, incaute in usum vocatis, adscribenda, majorem fere, ac ipsi quondam vermes, medicorum attentionem sibi expostulant; quidquod vel ipsa vermibus medendi impetuosior methodus, promtam eorum regenerationem in multis, ac mala innumera promoveat. Apud infantes, a vermibus, sub convulsione, enectos, *faeces nigras*, mortis futurae signum, et materiam nigram, post vermes vomitu rejectam, letalem esse, gravis, suo tempore, de vermibus, *Galliae* scriptor declaravit. Similia a nobis haud conspecta fuerunt. Vermium, hucusque rarius observatorum, prog-

nosin, parum adhuc a nobis perspectam, posteris, ut multa alia, felicius exponendam relinquimus.

§. 909. Unius rei creatae interitum, alterius esse exordium, natura constituit. Concessit quidem illi, cum ista, pro viribus aliquantulum luctari, cursumque sic prosequi diutius; sed, donec fato ineluctabili quis succumbat; omnis vita, perpetuae defensionis status est. Congenitos corporis nostri hospites, vermes esse diximus. Hos igitur sui jure domicilii spoliare, expellere, nisi tanto demum abuti privilegio tentaverint; res, nisi forsitan injusta, ardui saltem moliminis, atque periculis haud semper vacua est. Saepius hinc, ubi, debitae hospitalitatis obliti, vixdum molestis nobis hisce consortibus bellum indicimus: reluctantur illi, ac, juste commoti, tyrannidem redarguunt. **Cura helminthorum.**

Cum igitur, hoc quoque sensu, turpius sit, hospitem ejicere, quam eundem non admittere; a prima juventute, omnis cura in illud ponenda est: ne vermes corpus humanum, ex haereditate forsitan sibi assignatum, sero nimis deserant, aut, per accidens inducti, molestos illud in usus con- **C. praedispositionis.**

vertant. Animalia domestica, prae feris, — pueros, prae adultis, — debiles ac vitae sedentariae addictos, exercitatis prae hominibus, ab helminthis occupari, jam diximus. Interest ergo, aura frui libera, exerceri musculos ac, fraenata mente, robur corporis intactum conservari. Docuit ulterius experientia: pueros edaces, homines gulae deditos, ferculis farinaceis, glutinosis, fermentantibus, fructibus horreis acidisque copiose pastos, aut tepidae indulgentes, illis, qui carne succulenta et cibis eupeptis aluntur, a vermibus frequentius infestari. Hinc aequum est, juventutem imprimis regimine, pituitae tenacis in primis viis generationi contrario uti, ac robur ventriculi intestinorumque quovis modo custodiri. Nec tamen illis, quos vermes interdum jam torquent, eundem ciborum, ac aliis in morbis, selectum, absque damno commendabimus; sed sua quemvis aegrum experientia, quae sibi aut maxime conducant, aut vermes magis ad motus molestos excitent, docebit. Sunt scilicet verminosi homines, quos *dauci hortensis*, maxime crudi, — sunt alii, quos *halecis conditi*, aut certorum ferculorum usus, quin ratio evidens

nobis adfulgeat, mox in diros intestinorum dolores conjiciat: quo tandem effectu quondam cognito, his ipsis cibis, vermi adversis, sub administratione anthelminthicorum simul hauriendis utimur. Tanta vero in sollicita virium, subactioni ciborum praesidentium, directione latet virtus: ut haec sola jam ad vermes, non modo arcendos, sed etiam expellendos, quandoque sufficiat.

His cautelis praemissis, ubi de helminthorum praesentia, ex signis, §. 906 enunciatis dubitari vix convenit, si quae forsitan illorum specimina excreta jam fuerint; cujus generis ac specîei sint illi (§. 905), eo magis inquirendum: quod non eadem pro singulis medicina sit. Nec minorem sibi attentionem requirit, difficilis haud raro, investigatio; num alter forsitan morbus, praeter illum ex vermibus, latescat? cavendo; ne istis tribuantur, quae spectant ad illum, atque sic major symptomatum accidentalium, quam morbi principalis, ratio habeatur. Saepius nempe vermes, qui, bene valente in homine, vix sese manifestassent, dum illos, morbi febrilis aestus ac impetus, vel imposita aegro a cibis consuetis abstinentia premunt, majores in turbas rapiuntur. *Febres*

Cura generalis.

verminosas quondam vocarunt illas, in quibus, plerumque epidemicis, ascarides lumbricoides, tam ore, quam potissime ex ano, nunc vivi, nunc mortui atque corrupti, secedunt, ut qualem nos quoque a. 1770 *Rastadtii* regnantem observavimus. Fatebimur quidem, ejusmodi constitutiones, a *batavo* medico egregie descriptas, vermium evolutioni, prae aliis, favere; sed certe illi morbi ad *febres adynamicas*, quas *nervosas* appellavimus, interdum simul *gastricas*, *exanthematicas*, pertinent, atque vermes, ut jam diximus, *modo symptoma* ejus morbi, *nequaquam vero febrem specificam*, ita ut nomen sibi proprium exigeret, constituunt, aut specificam medendi methodum sibi exigunt. Quodsi nempe, sub tali rerum positione, vermium majorem, quam febris ipsius, rationem ineuntes, in illos scilicet acturi, repetitis evacuantibus remediis, vires vitales, jam nimis languentes, ultro prosternamus; letalis tandem eventûs fatalia haec artis, — *symptomati*, non *causae* morbi medendi, conamina claudet.

Cum vero, sub vermium *intestinalium* praesentia, copiosior simul *muci*, et quidem specifice interdum foetentis, proven-

tus observari soleat; hunc mucum, inepte satis, pro vermium causa habuerunt. Quamvis autem haec pituita, per mechanicam tunicae intestinorum villosae, a vermibus, reptando, titillando, sugendo excitatae, irritationem, in subjectis laxis, sensibilibus, morbose secerni soleat; verum tamen est, ut alibi monuimus, tenaci hoc a glutine, vermes quasi involvi, et a stimulis, eisdem ex arte admovendis nimis custodiri atque defendi. Anthelminthicis igitur remediis aliquando, nunc *emeticum*, quo ventriculi tenax pituita, vel ipsi, quos detinet, vermes excutiantur, — nunc praecipue *incidentia* sic dicta, vel *solventia*, ex sale medio, imprimis ammoniaco, non absque gravi (nisi semper hoc esse faciendum praetendant) ratione, medici praemittunt. Ne tamen, *vivente in homine*, pituitam, sicut in *patina inanimi*, solvi posse, medicinae mechanicae principiis innixi, arbitremur; sed solventis remedii actionem, non adeo in humorum tenaciorum attenuatione, divisione, quam in potentiae vitalis excitatae, in secretiones imperio consistere dicamus; atque hinc decocta solventia, sales incidentes, suum si finem adimpleant; stimulantis

id magis, quam incidentis remedii virtuti adscribamus. Ne tempus igitur, in pituita solvenda, nimis teratur, sed quantocius ut vermes, rigoroso sub regimine, amato illis chylo subtracto, pristinum vigorem depo-nant, ac artis ipsius calcari debilius recalcitrent, curandum est. Per dies autem aliquot, prout vires aegrorum id permittunt, imminuta ciborum copia, ferculis interim, sale fumoque, vel allio, porro, conditis, hinc inde concessis, praecipue vero *frigidae*, vermibus non parum adversae, aut aquae mineralis potu, sat largiter exhibito, ad ea, quae in vermibus, tam necandis, quam citius expellendis virtutem saepius, *vix tamen specificam*, comprobaverint, veniendum est.

Anthelminthica. Infinitus *anthelminthicorum*, enixe his, illis laudatorum, numerus, — sed (quod medici ex signis modo generalibus minusque securis, vermium ad praesentiam concluse-rint, — quod experimentis, aliorum animalium cum vermibus, in scutella susceptis, respectu ad hominis vermes, fidem praestiterint, — quod ad illa, quae ad helminthos praedisposuerint, animum haud satis converterint, — quod ab indicatis anthelmin-

thicis citius, ac decuisset, ad alia et nova transituri, destiterint, — ac demum, quod ad illa, sub quibus vermes modo fortuitò rejecti fuerant, haud satis respexerint (exiguus singulorum in multis effectus est. Alia, ex istis, notam satis et coeteris in morbis asthenicis virtutem offerunt, ac simili prorsus ratione, praedispositionem scilicet ad vermes, debilitati innixam, corrigendo agunt. Hùc spectant poissime *amara* quaecunque remedia, *absynthium*, *gentiana*, et alia; *nucis juglandis regiae putamina*, *cortex chinae*, *chalybeata*, *vitriolum martis artificiale*. Alia, principio volatili, vel acri, vel nauseoso, instructa sunt, quorsum *allium cepa*, sativum, radix *valerianae sylvestris*, *ruta*, iterum *absynthium*, *tanacetum*, *santonicum*, *sabadilla*, *ferula asa foetida*, *oleum cajeput*, *sulphur*, *calx antimonii sulphurata*, *petroleum*, *oleum animale Dippelii*, *terebinthinae*, *oleum Chaberti empyreumaticum*, *aether sulphuricus*, *spiritus juniperi*, *camphora*, *helleborus viridis*, *cortex geoffreae surinamensis*, *gratiola*, pertinent. Alia, mechanicè, pungendo, premendo, agunt: ut *stannum purissimum*, *limatum*, *granu-*

latum, *lana fructus stizilobii*, *dolichos pruriens*, *pulvis carbonum*. Alia, vi haud satis intellecta, quam *specificam* dicunt, operantur: ut *radix polypodii maris*, *helminthocorton* seu *corallina corsica*, *spigelia anthelmia*, *marilandica*, *chenopodium anthelminthicum*. Etsi vero talia, vel sola interdum vermes ejiciant; frequentius tamen, nisi *alvum evacuantia*, et quidem satis activa, jungantur remedia; incassum adhibentur. Quare *oleum olivarum*, *ricini americani* potissimùm, *calomel*, *radices rhabarbari*, *jalappae*, *folia sennae*, *aloe*, *gummi gutta*, *scamonium*, anthelminthicis, hìc nominatis, simul superaddunt; vel et *tartarum emeticum* praescribunt. In genere, quae alvum blandius movent, parum hìc sunt proficua; fortiora vero drastica, non sine discrimine, maxime apud pueros, ac sensibilioris fibrae apud homines, adhiberi queunt. Vel solius frigidae, aut salibus remistae mineralis, vel etiam *glaciei* usus internus, quamvis ea helminthos, profundius intestinis inhaerentes, calore jam deposito, minus adficiant, suo tamen in nervos non minus, quam in fibras ventriculi ac intesti-

norum longinqua actione, haud parum commendari meretur.

Oportet hinc, tum hisce in casibus, tum in illo, quo ex vermibus, quamcunque aliam ob causam irritatis, turbae minaces subintrant, symptomatis urgentibus occurrere motosque tumultus compescere. Quaecunque hinc vermes ulterius excitarent, cibi potusque iisdem adversi, — quae tubum intestinalem, jam nimis irritatum, magis crispare, vel adeo incendere valerent, promtissime evitanda, turbaeque inductae quovis modo demulcendae, leniendae sunt. *Externa* hìc, quidquid opposuerint aliqui, non minus, quam interna, conveniunt: fomentatio abdominis, impositis isti aut pannis calefactis, aut emolliente catplasmate, cui fel taurinum, summitates absinthii et oleum admista fuerunt, cucurbitae, quibus graeci quondam, usi sunt, et hodiedum plebs *rossica* utitur, vel maximae, epigastrio, ventri, si dolores ibi urgeant, adpositae, unctiones ex oleo camphorato, tanaceti, ex coloquinthis, gummi gutta, ex terebinthina, vitello ovi soluta, enemata ex lacte ac saccharo, lactis dulcis ac tepidi, vel emulsionis amygdalinae, cum gummi arabi- Cura palliativa.

ci mucilagine, haustus, — vel si blandior haec methodus inutilis est, ac vermes unico quasi loco infixi minantur, asae foetidae tinctura cum alcali volatili, tinctura castorei, aether sulphuricus, petroleum, ac ipsum denique opium. Puellulam, morti propinquam, *Rastadtii* vidimus, cui unico alcoholis cochlearculo, ore instillato, copiosis vermibus illico fugatis, vita, praeter omnium opinionem, conservata fuit. Egregius, „de morbis infantum" scriptor, simile hoc de remedio, testimonium reliquit; simul vero, contra tumultus, a *taenia* inductos, *extractum absynthii*, cum vino porrectum, commendat. Acerbissimos a vermibus dolores, illustris quondam *Italiae* medicus, solius *frigidae* usu, a quo tamen vermium inquietudinem aliquando augeri diximus, sedare consuevit.

Vermibus, hoc sub opere, vel feliciter expulsis, vel continuatis helminthicis, evacuantibus remediis pertinacius renitentibus, seposito usu istorum, nimis insidioso, ad ea, quae ammissum ventriculi, intestinorum robur restaurent, sine temporis jactura, veniendum est. Hinc ea, quae generatim vermium coacervationi opponen-

da esse monuimus, habito interim ad majorem debilitatis, sensibilitatis gradum apud aegros respectu, prudentem in usum vocanda sunt.

Longe quidem abest, quin vermium corporis humani diversorum oeconomia tam intime nobis perspecta sit: ut ea, quae huic illorum generi, speciei, vel illi, magis adversa sint, sat nota nobis esse, gloriari queamus; quodsi tamen aliqua medicis, in expellendis *intestinorum* vermibus, non tuta semper, experientia concessa sit; non ideo hanc scientiam, sub illis, qui *visceribus* inclusi, munimento quasi insuperabili cincti atque circumvallati sunt, ejiciendis, arroganter venditabimus. **Cura specialis.**

Nisi eadem, quae generatim, et quae tam contra *oxyuros vermiculares*, quam adversus *ascarides lumbricoides* mox commendabimus, auxilia, et in *Tricocephalum disparem*, quod ex *Goettingensium* observationibus conjicimus, rem omnem absolvant; ex propriis nos, qui hunc vermem examinavimus quidem, sed nunquam ipsi abegimus, meliora patefacere nequimus. **C. tricocephali disparis.**

Ad longas a ventriculo distantias, ad quas perdifficilis medicamini, ore propinato, **C. Oxyuri vermicularis.**

accessus conceditur, haerent, ut jam diximus, *oxyuri vermiculares*, qui intestini recti, vel coeci copioso a muco muniti sunt. Ardui hinc laboris res est, hos a tanto propugnaculo vermes excutere; ac etsi non vanum prorsus *internorum*, pulveris imprimis sub forma porrectorum, usum esse diximus; minus tamen incerta sunt, quae in ipsum intestinum rectum infunduntur, ac ipsos ad vermes pertingunt, medicamina. Rhabarbari ac cinnabaris factitiae drachmam dimidiam *Londinenses* medici conspicui, quò alvum prius moverent, aegris, ab oxyuris vermicularibus detentis porrexerunt. Hic pulvis copiosos vermiculos, et simul majorem, ubi cinnabari junctus, quam ubi solo ex rheo constaret, muci, bis ab illa rubro colore tincti, copiam expellere visus est. Cinnabari quidem, quod solvi ab humoribus animalibus recuset, fiduciam in morbis suam aetas nostra detraxit, an vero juste id fecerit; hoc alibi inquiremus. Sed mechanica sit partim remedii hujus actio! non ideo id, non aliam in vermes illi virtutem esse, evincit. Qui adeo, a saeculi consuetudine inducti, cinnabarim despiciunt, corrallinae illi pulverem, aut calomelas grana circiter

tria, vel, qui fortiora non verentur, pro adultis, gratiolae officinalis grana circiter quindecim, illius loco, rhabarbaro superaddunt. Enemata anthelminthica non prius, quam alvo depositâ, injicienda sunt. Hoc praestito, *frigida,* aliquando cum aceti vini parte tertîa miscenda, recto intestino, vaginae, quò vermiculi ab illa rigescant, minusque aliis resistant, impellenda est. Ab istis, clyster alvum purgans, vel ex sale culinari, sale amaro, vel ex aloes solutione paratus, ac oleo cornu cervi foetido junctus, adplicari meretur. Saturatum seminum santonici decoctum, sub forma clysteris ano injectum, a claro *Londinensium* medico enixe commendatur. Sine tantis ambagibus, vulgus, quorundam medicorum, ut videtur, consilio innixus, ano puerorum, lardi, aut carnis, sale ac fumo conditae, frustum, filo munitum, ceu suppositorium, immittit, ac plurimis vermiculis obsessum, ex illo retrahit. Pessarium ex lana, vel ex gossypio paratum, ac bile, aut solutione aloes saturata imbutum, effectum eundem praestat. Clyster oleosus, vermes saepe intactos, nisi aloes extracto commistus, relinquit. Cum lacte, idem hoc extractus, ad scrupulos

duos pro enemate apud adultos, adhibetur. Lactis vapor calidi, diductis puerorum clunibus, aut lasano insidentibus, ano admissus, oxyuros vermiculares interdum, ut acervatim desiliant, invitat. Rebelli magis morbo, adultis (haud unquam pueris, nec facile foeminis), tabaci nicotianae fumus inflari potest. Irritato nimis, ab his vermiculis, acriore ab enemate, recto intestino, clyster ex amylo, aut ex seminum Cydoniorum mucilagine, — adjuncta etiam laudani liquidi aequa portione, convenit.

C. ascaridum lumbricoidum. *Ascarides lumbricoides* tractaturo, praecepta generalia, quae supra exposuimus, observanda incumbunt. Saepius hi vermes, quam alii, ventriculum petunt atque eundem vellicant. Hinc frequenter in morbis eosdem expelli per vomitum, aut oesophago aufugere, videre est. Emeticorum igitur actio hunc in helminthum major, haud raro, ubi nausea, vomituritio, oppressio ventriculi sic jubent, indicatur. Si minus haec symptomata urgeant, aut vomitu jam absoluto; calomelas grana aliquot ad noctem porriguntur. Placet vulgo, his aegris aquam cum hydrargiro coctam, quin illa de isto quid solvat, pro potu exhibere. Vidimus

quidem, sub usu istorum, vermes fuisse excretos; sed et sine his illi saepe aut sponte, aut a sola frigida, secedunt. Frequenter vero nullum omnino istorum effectum conspeximus. Vermes quidem vasculo suscepti, si mercurium iis vivum superinfundas, anxie hunc fugiunt; sed frigus pondusque grave hujus fluidi, sunt, quae fugam hanc imperent. In genere, mercurii, quacunque demum sub forma porrecti, virtutem, quam tanti fecerunt scriptores, nisi aliorum evacuantium actionem acuisset, conspicere haud potuimus; ac in ipsis *Idriae* fodinis mercurialibus, hujus helminthi numerus, apud operarios, insignis occurrit. Hinc meliore consilio semen artemisiae judaicae sive cinnae, sive santonici, quod primo loco hìc ponimus, vel solum, vel tandem cum pulvere rhei, aut, quod certius operatur, cum illo radicis jalappae, interdum cum sale medio ac oxymelle squillitico in formam mollioris electuarii redactum, donec alvus ter, quater in die solvatur, porrigitur. Apud pueros, saturatum helminthocorti decoctum, saccharo aut melle edulcoratum, vel pulvis ipse, primum certe, a semine santonici, remedium contra hunc vermem, co-

piosis exemplis nobis visum est. Nisi vermes, a solo hoc decocto jam expulsi fuerint; alvus, adjunctis simul purgantibus, evacuanda est. Domesticum quidem, et utile, sed secundum a dictis remedium, etiam nobis hìc audit *allium*, aut commestum, aut lacti tepido infusum, ac, si opus est, evacuante demum remedio suffultum. Semen *tanaceti*, seminibus *santonici*, effectu in vermes, inferius reperimus. *Vitriolum martis artificiale* egregium sane pro debilibus remedium, a viro quondam summo, contra hos vermes prae omnibus celebratum, nobis quidem, solum, effectus tam notabiles haud praestitit, *Batavis* forsitan utilius.

Fortiora sic dicta anthelminthica, nos: teneris saltem infantibus, hos contra vermes, — vel quod minus secura nobis viderentur, vel quod, nisi valde urgerent symptomata, de illis minus fuerimus solliciti, non facile praescripsimus. Hinc *veratri sabadillae semina*, contra taenias, nec non alios contra vermes intestinorum, a claris viris laudata, tam ob indolem suspectam, quam, quod spem aliorum, in *goettingensi* nosocomio, binis in casibus, — nostram

vero semel in clinico *ticinensi* instituto fefellerit, non amplius administravimus. Nec unquam folia *hellebori foetidi*, licet ab *anglo* scriptore, ut plebejum remedium, enixe commendata, ob violentiae, qua agunt, rationem, in usum traximus. Sic, haud magis *nucum juglandium extractum*, aquae cinnamomi simplici commistum, a quibusdam celebratum, etsi minime suspectum videatur, nos, ex propria observatione, aut laudare, aut vituperare possumus.

De cura *bothriocephali lati* non minus, quam de illa *taeniae solii*, simul hìc agimus. Exemplo, illi helminthorum intestinalium, quorum plures vel sponte, vel saltem blandiore medendi sub methodo, *integri* secedunt, contrario, — vermes, de quibus hìc sermo est, licet aut nullam, aut insufficientem per artem commoti, articulos, vel portionem sui quidquam longiorem, particulatim ano emittant; nisi potentius stimulati, agitati, vel concussi, compressi, amato domicilio nunquam a capite ad calcem renuntiant. Docuit autem experientia: *bothriocephalum latum*, ac *taeniam solii*, haud eodem a stimulo, aequali ratione adici; sed illum ab hoc, — hanc vero, sal-

C. Bothrioceph. et taeniae solii.

tem plerumque, ab illo magis urgeri; utrosque autem helminthos, a repetitis frequentius *drasticis* fortioribus, — sed haud raro sub summo aegrorum discrimine, desertionem subire. Cum vero hi vermes, hospitio, a natura sibi adsignato, in multis *pacifice* fruantur; majori, quam par est, aegrorum ab illis horrori, vel nimis officiosis medicorum conaminibus adscribatur, oportet, si pejor interdum artis, quam helminthi ipsius, in homines effectus est.

Anthelminthica Noufferi. *Bothriocephali lati* debellandi rationem, quam, pridem haud incognitam, oblivio jam deleverat, munificentia regis *Galliae*, ab ista, mulieris *helvetae* e manibus vindicavit. Omni medicorum ordini satis cognita haec methodus, ut eandem, multis et nos exponamus, haud indiget; sufficit vero monuisse: nihil ei *specifici*, ut vocant, sed tantum violentiae inesse, ut qui, per eandem, verme quondam liberati fuerunt, si novus illis bothriocephalus latus succreverit; hujus potius effectus patienter perferre, quam illam denuo subire malint. Efficacia interim remedio conspicua certe haud deest; et qui, tam animo, quam cor-

pore validiores sunt: eos a simili experimento absterrere haud intendimus.

Eadem de *Helveti* medici remedio, ex A.D.Herrenschwandi. polypodii filicis maris radice, ex herba gratiolae, et ex gummi gutta, — vel, ut alii volunt, ex hoc ultimo, ex sale absynthii, et ex carbone fraxini composito, dicenda sunt.

Mitiorem longe hinc taeniae medendi A. D. Odier. methodum, celebris, ac nobis, dum viveret, amicus, *Genevensium* medicus, multiplici experientia instructus, proposuit: radicis nempe polypodii, filicis, maris pulverem ille ad drachmas tres, post duas vero horas, tres olei ricini americani uncias, adultis propinari suasit. Hujus ultimi remedii auxilio, nos ipsi *taeniam solii* feliciter expulsimus.

Plura variorum medicorum, contra hunc vermem, remedia continentur eximii medici ac helminthologi *viennensis*, „de vermibus, vivente in homine viventibus," laudato jam saepius in opere. Scriptoris tamen istius exemplo, quod nostris in terris *bothriocephalus latus* haud sit indigenus, et nos modo *tres* ejusdem, a nobis expulsi, casus habuimus, neque conspicuam proinde in vermis istius pertractatione experientiam

venditare valemus. Hoc interim notasse juvabit: non aliâ nobis, ad illos expellendos, quam cujus ope aegros a *taenia solii* liberavimus, opus fuisse medendi methodo. Eadem ratione, laudato vix scriptori, foeminam *petropolitanam*, bothriocephalo laborantem, radicis filicis maris, ac olei ricini americani, hoc a verme liberare, feliciter contigit.

Post varia, contra *taeniam*, absque ratione *solium* vocatam, tentata remedia, experti tandem sunt medici: hunc in vermem, quin ille pertinacius resistat, vix manu plurimum armata, seu multo *drasticorum* tumultu posse irrui; sed per blandiorem medendi rationem, ac per remedia fere mechanice agentia, felicius eundem debellari. *Stannum* nempe, quoad licet purissimum, *anglicum* scilicet, non specificum quidem, sed potens omnino, ac nobis etiam frequentius comprobatum contra hanc taeniam remedium est. Primo quidem *granulatum*, ut vocant, *stannum*, — posterius, *limatum*, cum syrupo simplici, electuarii in formam commistum, laudatum fuit. Ab hoc, intestina hominis ipsa interdum laedi verentes; illud potius, quod et nos facimus, eli-

gere malebant. Cum vero ponderosum hocce metallum, syrupo aut melli remistum, fictilis fundum mox petat; unciae uni illius, plerumque drachmas tres extracti absynthii superaddimus, ac aegris adultis, postea-quam, tres circiter per dies, tenui satis sub victu transegerint, quater in die, ad nucis juglandis majoris molem, porrigimus. Si vermis, a secunda totius electuarii consumtione, non secesserit: duas illi drachmas pulveris radicis jalappae adjungimus. Feliciter quoque hunc vermem, praemisso satis rigoroso per dies aliquot jejunio, cum drachmis duabus aut tribus radicis polypodii filicis maris, ad vesperas, cum frigida porrectis, altera vero die, cum olei ricini americani uncia dimidia, donec alvus ter, quaterve moveretur, omni bihorio propinata, abegimus. *Terram ponderosam muriaticam*, per plures hebdomadas, et quidem a dosi, quae vertiginem aegris induxerit, bono successu a se porrectam fuisse, refert recentior ac celebris helminthologus. Remedium interim istud, non semper sibi aequale, aliquando suspectum, quod vergo jam docet, cautum in omnibus medium sibi exigit.

D. Bourdier.

Recentior, quam egregio *Galliae* medico debemus, in eo consiſtit methodus: ut aeger, jejuno ventriculo, *aetheris sulphurici* drachmam cum saturato radicis polypodii filicis maris decocto hauriat. Post horam ab isto, turba in abdomine se prodit. Tunc duae olei ricini americani unciae, syrupo quodam edulcoratae, exhibentur. Per duos tresve dies continuatur haec methodus. In ventriculo degens (?) haec taenia, sic facile abigitur; si vero intestinorum in tubo hic vermis latuerit: praeter dicta, quamprimum ea fuerint assumta, clyster illico ex decocto ejusdem radicis polypodii filicis maris saturato paratus, et aetheris sulphurici drachmis duabus remistus, injicitur. Prima die, mox ab enemate, alvus sequitur aegro consueta; die altera, copiosus et membranaceus quasi mucus per alvum ruit; tertia vero die plerumque vermis, jam corrupti, reliquiae secedunt. Quatuordecim ex aegris, *Parisiorum* in metropoli, a taenia detentis duodecim profuisse medendi hanc methodum, refertur. *Vindobonae* etiam hanc ipsam medendi rationem, binis in taeniae solii casibus, comprobatam fuisse

ab expertis hujus metropolis medicis audivimus.

Chaberti quoque *oleum empyreumaticum*, hac prima in *Austriae* sede, ut celebris ejusdem helminthologus ac medicus testatur, felices omnino effectus praestitit. Sequentem *Chabertus*, olei laudati compositionem tradidit: Recipe ungularum equi aut bovis, vel cornuum cervi, in frusta comminutorum, quantum volueris. Immittantur ista retortae testaceae, ac destillentur more consueto. Obtentum in fundo excipuli oleum empyreumaticum nigrum, effundatur; ac libra illius una, cum tribus olei essentialis terebinthinae misceatur. Miscela, quieti, quatuor per dies, exponatur; tandem de novo tamdiu in apparatu vitreo destilletur in balneo arenae, usquedum tres quartae partes transcenderint. Oleum ita obtentum, in vitro arctissime clauso, servetur. Quo melius hoc fiat, *Bremserus*, qui primus hocce medicamento in homine usus est, exiguis hoc idem in ampullis vitreis, episthomio simili atque vesica munitis conservari, nec lucis radiis exponi, prudenter consuluit. Hic ipse, sicut vermium vix non omnium, ita et *taeniae solii* curam, sequente

Anth. Chaberti et Bremseri.

electuario, et nobis a triginta et quod excurrit annis comprobato, inchoat. Recipe seminum cinae, aut tanaceti vulgaris, ruditer contusorum, unciam dimidiam, — pulveris radicis valerianae sylvestris, drachmas duas, — pulveris radicis jalappae drachmam dimidiam, vel scrupulos duos, — tartari vitriolati drachmam unam cum dimidia, vel drachmas duas, — oxymellis scillitici quantum satis, ut fiat electuarium. Hoc de remedio capiat aeger, bis terve in die, quantum cochlearculo coffeano contineri potest. Posteaquam aeger omne hoc remedium assumserit; olei Chaberti empyreumatici duo cochlearcula coffeana, mane ac vespera, eidem propinantur, ac, ne quid hujus olei in faucibus haerescat, pauculum aquae desuper bibitur. Sub fortiore hujus olei, in cerebrum, in vesicam actione, dosis ejusdem imminuitur. Unciis fere duabus atque dimidia hujus olei, spatio decem aut duodecim dierum, assumtis, sequens remedium, alvum leniter evacuans, aegro porrigitur: Recipe pulverum radicis jalappae scrupulum, — foliorum sennae, drachmam dimidiam, — tartari vitriolati drachmam. Misce. — Donec istius remedii effec-

tus in alvum sequatur, una ejusdem dosis quavis hora assumitur. Post alvum hoc modo purgatam, ad oleum empyreumaticum denuo recurritur, atque ejusdem unciae circiter quatuor, aut quinque, — quidquod, in casu majoris a verme resistentiae, sex adeo, vel octo ejusdem unciae, gradatim porriguntur. Haud parum quidem lentam, sed securam, nec ullo periculo stipatam hanc medendi rationem esse, vir clarus adfirmat. Nullam quidem, observata hac methodo, *curam*, ut vocant, *secundariam* requiri, hic idem asserit; quodsi tamen major ad pituitam et vermes dispositio remanserit; sequentem ille medicinam praescribit: Recipe tincturae aloes compositae, dispensatorii *austriaci*, drachmam, — tincturae martis, succo pomorum paratae, unciam, — elixirii vitrioli anglicani, pharmacopeae *Londinensis*, unciam dimidiam. Misce! — Ter, quater in die, tincturae istius decem aut viginti, aut vero triginta, in cyatho aquae, aut vini, propinantur guttulae. Nullo, hac sub medendi ratione, ciborum, vermibus, ut creditur, adversorum, selectu opus esse, — vermes, jam primis curae diebus, aut subactos, aut vero

corruptos vixque amplius dignoscendos, ano secedere, — parum admodum, num caput vermis simul excretum fuerit, dum plura taeniarum capita abscedere, vermes tamen alii subsistere queant, interesse, — unicum vero, ac certum liberationis a taenia completae, criterium, si, *trium mensium spatio*, nulla amplius helminthi portio secedat, haberi, asseritur.

Cum vero *bothriocephalus latus* non minus, quam *taenia solium*, ad longos interdum tractus, aegrorum ex ano propendeant; extrahi tamen in totum, recusent, atque suscepto ad id conamine, facillime, abrupti, intestino se recondant; ingeniosa, et successu coronata fuit chirurgi *petropolitani* methodus: qua, ne sphyncter ani, prolapsam circa vermis portionem spasmodice contractus, separationem vermis promoveret; *tubulum* ligneum, aut alium, cujus medio, vermis partem prolapsam commiserat, in anum lente intrusit atque, hoc absoluto, taeniam absque omni violentia, modo, quo *gordium* solent, caute extraxit. An in casu, quo vermis prolapsus, superiori forsitan intestino infixus, sine aegri ipsius damno, *levioris ictûs electrici* auxi-

lio, taenia occidi posset, ac demum facilius educi? . . . An ope ictûs ejusdem electrici, ad partem, qua vermes quicunque, etiam occulte resident, prudenter directi, hi ipsi, quin aeger abhinc laedatur, trucidari promtissime queunt? . . . Experimentum in re tam ambigua hucusque non fecimus; dignum tamen, ut nobis videtur, quod *brutorum* prius *animalium* in corpore tentetur. (Elapsis nunc jam undecim annis, a quibus haec scripsimus, experimentum hocce electricum non ita pridem ab aegro *vindobonensi*, cujus ex ano taenia solium pependerat, *absque effectu* institutum fuisse percipimus. — Quodsi haec ita se habeant; *superiorem* forsitan taeniae istius portionem, ab *inferiore* jam nimis separatam atque distantem, experimentum non tetigit. Quocunque tamen in casu, nullum huic aegro, hoc a tentamine, damnum, quod ab ejusdem, in alio, repetitione absterrere nos posset, illatum fuisse, ex hac relatione discimus.) Quodsi nobis in futurum aliud remediorum genus (animalibus minoribus, praecipue volatilibus, facile letale) contra vermes hominis administrandi occasio concederetur; *amygdalam amaram* unam al-

teramve, primùm in emulsione ex amygdalis dulcibus parata, et alia tandem sub forma, et quidem ea, qua decet cautione, ac illorum, quae alibi diximus, non immemores, eligeremus.

Superesset, ut et armorum, quae, *cysticorum* ad familiam debellandam, arti medicae concessa sint, mentionem hoc loco injiceremus; sed hoc de summi momenti argumento, eheu! nec aliorum, quod sciamus, nec nostra experientia, quidquam nobis, quod lectorum attentione dignum videatur, suggerit.

ORD. VI. GEN. II.

RETENTIONES HEPATICAE.

§. 910. Jam pluribus hujus operis in locis, tam de *jecinoris*, quam de *vesiculae felleae bilisque* morbosis adfectionibus locuti sumus (§§. 46. 54. 100. 103. 107. 245. 250. 373. 673. 683. 828. 836.). Quodsi vero ista conferantur cum illis, quae de *retentionibus in genere* quondam disseruimus (§§. 692—700); majorem sane *epischesium*, etiam *hepaticarum*, partem jam absolvimus. Cur vero, de *bilis* retentione separatim acturi, epischesibus eandem *mucoso-lymphaticis*, ratione *albuminosi* principii, quod continet, haud submiserimus; plura sunt, quae ad id nos induxerint. Dum scilicet frugalis non minus, quam provida natura, defendendis et simul nutriendis animalium partibus et *mucum*, et *lympham* benigne desti- Ratio instituti.

nasset: ad absolvendas humorum tam nobilium secretiones, organis illa simplicioris structurae uti decrevit. Longe vero aliter ea, ubi de constituenda *bilis* scaturigine agebatur, incessit: ut quae adparatum, pro hoc opere, prorsus magnificum, cordis illi fere analogum, nec tamen hanc usque in diem satis intellectum, elegit. Hoc praeterea e fonte, liquidum, sicut ex physiologicis constat, amarum, *specificae* omnino, nec ullo chemicorum scrutinio hucusque satis eruendae indolis, scaturit. Alia scilicet fellis principia, *chymi*, nutrientem in *chylum* conversionem promovent; alia, reliquas ex illis faeces, stimulante materia saturant ac ut, suo colore tinctae, proprioque foetore instructae, promte satis expellantur, intestina sollicitant; nec tamen, aut muci, aut lymphae exemplo, corpus illa ipsa nutriunt. Accedit his rationibus demum et illa: quod *calculorum felleorum* doctrinam, ab *icteri* illa separare haud facile potuerimus.

Definitio icteri.

§. 911. Hujus igitur liquidi (§. 910.), plus minus flavi, subinde viridescentis, rarius subatri, retentio et ecchymomatica quasi per corpus, nunc universum, nunc modo

parte istius conspicua, — vix non ubique vero oculorum per albugineam diffusio, cum urinis plerumque obscure rubris, spumosis, lintea immersa tingentibus, faecibus frequenter griseis, aridis, saepe cum pruritu cutaneo, variisque functionibus laesis, *icterum* constituunt. In *aethiopibus* icterus, nisi ad palmas manuum quodammodo, cutis colore non distinguitur. Coetera in illis, europaeorum aurigini similia sunt.

§. 912. Sunt, qui pro aliarum adfectionum *symptomate* magis, quam pro *morbo proprio*, icterum declaraverint ac, stricte loquendo, de singulis, absque magna injuria, praetendi hoc posset *retentionibus*. Si tamen ad medicae egestatem semeioticces respiciamus, sub qua scilicet *causae rerum ultimae* omnes nos fugiunt; non est, cur, tanta sub cognitionum altioris ordinis penuria, divisiones morbo, ex rationibus, causae *proximae* saltem vicinis, construamus. Jam ipsum apud *Hippocratem*, morbi arquati *febrilis*, aut *apyretici*, aut *critici*, distinctionem reperimus ac, sub ista, vel *chronicum*, vel *acutum* esse icterum, ille hoc ipso insinuavit. Morbum regium, quem divo a sene pro *critico* declaratum fuisse le- Divisio.

gimus, et a nobis observari haud unquam licuit. Sic et *metastaticum* icterum, cujus jam *pergamenus* medicus meminit, et quem celebris in clinico instituto *vindobonensi* antecessor et amicus quondam noster descripsit, ob solam brachii, sub fine febris acutae *flavedinem*, hoc nomine dignum fuisse, dubitamus. Coeterùm, sub icteri *febrilis* denominatione, et ille, qui *inflammatorius*, et ille, qui *nervosus*, et ille, qui *intermittens* ac periodicus, — saepius *benignus*, in locis vero paludosis, haud raro *perniciosus* est, intelligi merentur. *Plethoricus* etiam icterus, qui ex cruoris, in vasis hepaticis collectione superabundante nascitur, huc revocandus est. Etsi vero aurigo plerumque *sporadice* incedat; illam tamen et *epidemice* subinde grassari, observationes haud paucae testantur, ac populares inter icteros, praecipue illi, qui a. 1742 *Gandavum*, — qui a. 1754 — 1755 agrum *Moguntinum*, — et qui, demum, a. 1772, *Essenium* vastarunt, nominandi sunt. *Universalem*, quo corpus omne, — *partialem*, quo pars corporis modo dimidia flavet, in icterum distinctio habetur. *Spurii* nomen icteri, morbis, qui alia, quam ex bi-

lis retentae culpa, flavo cutem, — nec oculos, colore tingunt, haud concedimus. Ex *calculis felleis*, ex jecinoris obstructione, suppuratione, icterus frequenter nimis oritur. Nec auriginis, ex *ascaridibus* lumbricoidis in ductu choledocho haerentibus, vel ex hydatide, ac *distomate hepatico*, exempla desunt. Frequens etiam apud *gravidas*, et apud alios, ex vicino tumore pancreatis, aut alio, ductus hepaticos comprimente, — nec rarus apud homines magis sensibiles, ex violenta animi agitatione, vel ex diuturma ejusdem depressione, icterus *spasmodicus* est. *Traumatici* etiam icteri, — alterius, qui *venenato ex morsu* hominem adoritur, ac demum illius, qui ex *arthritide* aut *rheumate* procedit, mentio hic facienda est. Sicut vero hepatis morbi in genere facile in filios transeunt: ita et icterus, aliquando *haereditarius* est. A matribus ictericis, proles, aurigine infectas, utero exclusas fuisse, plura exempla testantur; et nobis ipsis unum ex istis, in foemina *vindobonensi*, observatum fuit.

Has omnes icteri species ac varietates, pathologici quidam scriptores, in pauciores contrahere adnisi sunt. Sic celebris quon-

dam *Scotiae* nosologus, *quinque* modo auriginis species, *calculosam* nempe, *spasmodicam*, *hepaticam*, *gravidarum*, et *infantum*, retinuit. Qui postea novum nosologiae systema condidit, vir clarus, icterum 1.) *febrilem*, 2.) *plethoricum*, 3.) *emphracticum*, 4.) *spasmodicum*, 5.) *venenatum*, 6.) *calculosum* ille constituit. Ne tamen ulla coadunatis quocunque in systemate speciebus inferatur injuria; potiorum ex istis descriptionem, quoad licet, succinctam trademus.

Generalia in ictero phoenomena.

§. 913. *Symptomata*, quae, majore pro parte conjuncta, icterum constituunt (§. 911.), a variis scilicet, iisque saepe contrariis a causis producta, non semper eadem sunt; sed alia aliaque morbi principalis phoenomena secum ferunt, ac auriginis illis commiscent. Antequam igitur de signis, vel huic, vel alteri speciei icteri magis propriis, mentionem injiciamus, juvabit, ut in communiorum vix non omnibus symptomatum naturam attente inquiramus.

Fellis diversitas.

Sua cuivis aetati, sexui, constitutioni, vitae generi, positioni corporis et animi, — quidquod sua cuivis morbo graviori, bilis est. In his enim, fel tenue, dilutum, pallidius

et satis blandum, — in illis, meracum, tenax, croceum, bruneum, viridescens, magis amarum, nauseosum, — in aliis demum, fere piceum, sublividum, nigrescens, detegitur. Sic in cystide fellea, a calculo occlusa, liquidum clarum, synoviae simile, detectum fuit. Ex cynanche laryngea et ictero defunctus aeger, post mortem a nobis *Ticini* dissectus, calculum quidem nullum, sed similem in vesicula fellea humorem transparentem nobis obtulit. Etsi vero *a bilis corruptione, acrimonia,* quondam vix non omnes morbos, ex praeconcepta scholarum opinione, derivaverint, atque fatalem hanc innumeris aegris hypothesin nos ipsi, multis hujus operis in locis impugnaverimus; sub aestu tamen solis majore, tropicis maxime in regionibus, sub calore febrili, sub exercitio corporis streniore, sub frequente ac effreni iracundia, aut sub moerore diuturno, bilis saepe morbose secernitur, aut, in vesica fellea diutius retenta, caracterem contrahit, a bile sani hominis alienum, irritantem, multorum morborum (§§. 100. 107. 669. 683. 691.) auctorem. Causae morbosae alterius effectu haec ita succedere, nec primariam corruptionis culpam in bilem

conjiciendam esse, convenimus quidem; sed quoties non aegritudinis alterius effectus, morbi, ab illa diversi, causa fuit? Ac talia omnino a bile morbosa, resorpta, et in sanguinem transvecta, contingunt. Hic enim hoc liquidum, praeter ipsum cruoris torrentem, quousque is fertur, et ossa, et artus, et quae ab his haerent, colore suo vel aureo, vel herbaceo, vel demum subnigro, singula perfundit. Siquis de effectu, quem ista, totius massae humorum solidorumque a bile, vel coeterùm insonte, vel interdum morbosa, inundatio producat? quaestionem moveret; huic, sub condonanda nobis eorum, quae *chemiae* lege *vitalis* in vasorum penetralibus, sub humoris infensi ingressu, contingant, ignorantia, et cutis pruritum, et urethrae, sub transitu urinae, molestam sensationem, — et ubi de nervorum, eâdem a causa, adfectione sermo foret, moestitiae, languoris animi, ac lassitudinis, pigritiae, prius incognitae, sensationem, perpendenda offerremus.

Coloris a bile differentia.

Haec ipsa vero bilis morbosa suffusio, pro aberrantis hujus liquidi tam copia, quam indole, — pro integumentorum, aut potius, pro *retis mucosi*, conditione nativa, gen-

tilicia, — pro ejusdem retis integritate, — quidquod pro contextûs cutanei eodem in homine, sexu, vitae tempore, vel adeo ad partem aut istam, aut illam, ratione diversa, — pro illa stadii auriginis, aut recentis, aut provecti, — adspectum varium variumque intuentibus offert.

Non omne interim, quod humano in corpore *flavet*, *bilis* est; nec ſere minus ad *medicos*, quam ad ipsos *pictores*, colorum, diverso modo commistorum, cognitio pertinet. Qui sanguinis ipsius, a *sugillatione* aut ecchymosi majore, minore, in *maculis scorbuticis*, colores a die in diem mutatos, eosque, sub initio, coccineos, mox vero lividos, subatros, postea viridescentes, deinde fere aureos, ac demum, sensim sensimque stramineos, haud praeserviderit; — qui *sputorum mucosorum*, vel sub initio, vel sub fine pneumonorrhagiae, peripneumoniae, *flavedinem*, non tam a *bile*, ut quondam credebant, quam plerumque ab una alterave cruoris guttula, illis adhuc commista, descendere noverit; — qui *excrementorum colores* varios, atque nunc flavos, nunc aeruginosos, ab alimentorum diversorum, vel crudorum, vel mo-

Fallax bilis, ut causae, suppositio.

do alio alioque subactorum, varia mistione combinatione chemica, saepe longe magis, ac a *bile* pendere, atque completa ductûs choledochi sub obliteratione, interdum adhuc subsistere consideraverit; is certe, quod medici frequenter nimis, coloris flavi, aut viridescentis, herbacei, culpam omnem in *hepar*, aut in *bilem*, injuste conjecerint, haud facile diffitebitur. Sic in instituto clinico *ticinensi*, a. 1787, puellam, *scorbuto* letali laborantem tractavimus, cui saepe maculae scorbuticae latae ad superficiem cutis comparebant atque, dum istae disparuerant, profusae narium haemorrhagiae subsequebantur. Loco frequentis epistaxis, omnis interdum cutis, ipsae volae manuum pedumque plantae, intense flavescebant. Oculorum interim *albuginea*, semper mansit *albidissima*, et nullum, praeter cutis flavedinem, ecchymosis scorbuticae vicariam, auriginis symptoma se obtulit. Vix dicta albuginea, omni certe in ictero lutei coloris est; haud raro tamen illa, absque icteri praesentia, vel solo sub jecinoris infarctu, non parum flavescit.

Suffusionis biliosae extensio.

Per vasa corporis subtilissima, bilis copiosa ad sanguinem resorpta, penetrat.

Icterici ossa, intensa flavedine tincta, museo pathologico, *Ticini* a nobis erecto, jam anno 1787, commisimus. Ossa icterici, ut noster in cathedra *vindobonensi* antecessor, egregio, „de ratione medendi," in opere advertit, flava, utut minus saturatè, quam *partes carneae*, *cartilagines*, quae per omnem substantiam croceae fuerunt. Ossa vero et in *foetu* tam flava, vir idem celebris conspexit, ut ad sceleton elui non potuerit flavedo. *Dentes* adeo ipsos, flavos in ictero fuisse legimus; vitrea interim eorum substantia, quamvis ex impuritate aliquo modo in multis flavescat; in ictero tamen, crocea nunquam observata fuit. Etsi vero, advertente quondam summo *Italiae*, „de sedibus et causis morborum" scriptore, *cerebri* ipsius *substantiam* flavescere ab ictero, rarissimum sit; et istam tamen a bilis tingente principio inquinatam fuisse legimus. *Lac* nutricis ictericae, non minus, quam *humorem mucosum*, ejusdem e vagina destillantem, flavuisse, conspeximus. Lac nutricis *viridescens*, viri quidam celebres et, post animi excandescentiam, lac matris, non modo ex flavo subviridum, sed simul *amarum* fuisse, adnotarunt alii. De *sero san-*

guinis jam diximus; sed et *cutis* ictericorum (ad jugulum, pectus, abdomen et brachia potissime) non modo flavet, virescit, et solam per transpirationem perque sudores, bilis in ipsis indusiis vestigia crocea relinquit; sed, perantiquo experimento, *strigili* scalpta, biliosum humorem, ejusdem cavitati insinuat. Testante *Romanorum* medico quondam celeberrimo, homini icterico, sanguinis loco, e naribus, e scarificatis, sub cucurbitulis, vulnusculis cutaneis, *aqua solummodo flava* prodivit. Sub tam universali vero bilis suffusione, non modo *linguam*, in plerisque ictericis, nisi gastrica saburra refertis, pulcherrime rubentem, — sed et *oris cavum*, in plurimis eorum, *saporis amari expers*, mirati sumus. Lingua interim subinde, maxime in senibus, ad radicem, *quasi atramento* oblinita est.

Pruritus cutaneus. Inter omnes autem corporis partes, *cutis*, princeps scilicet tactûs ut organon, a bile vel maxime plectitur et, in plerisque saltem ictericis morboque jam satis adulto, *pruritum*, *tempore noctis* imprimis, saepe prorsus et ad desperationem usque, intolerabilem, experitur. Non modo flava, sed,

prae aliis, *flexilia* ictericorum cadavera manere, illustris *Galliae* anatomicus et medicus docuit.

Aberratio visûs in ictero.

Sub tanta vero tamque generali corporis a bile inundatione, colores objectorum veros, ictericorum ab oculis, exterius licet flavissimis, probe distingui, mirati sunt, qui contrarium visûs in aurigine errorem nunquam observaverant, viri celebres; atqui tamen ipse organi visûs hic error, jam antiquo *Romanorum* proverbio, „Lurida praeterea fiunt, quaecunque videntur arquatis," — et *Germanorum*, de tristibus illo, „quasi ictericis, ita et illis, singula flava esse videntur," sancitus fuit. Qua demum occasione tale proverbium, plerumque nunc temporis erroneum, jure civitatis instructum fuerit, nescimus quidem; suspicamur tamen, oculorum illud sub ictero vitium, vel unum, vel et alterum apud populum, quondam observatum fuisse *epidemicum*. Aliorum nempe scriptorum, de hocce oculorum apud ictericos, raro nunc, vitio, testimoniis, et nostrum accedit: ut qui, millenos inter ictericos, quinquaginta quatuor annorum spatio, a nobis examinatos, hoc idem oculorum vitium, *quinquies* modo

observare potuimus. Virginem, ex scirrho hepatico ictericam, in *vindobonensi* instituto clinico, a. 1799, tractavimus, quae puella simul a *nyctalopia periodica*, bis in die recurrente, correpta fuit. Simile icteri, cum *nyctalopia* connubium, jam a. 1785, *ticinensi* in clinico, nobis oblatum fuit.

Quantumvis autem icteri, a solo colore petita divisio, morbi ejusdem *gradus* modo diversos ac varietates referat: ita, ut singulae species colorum, uno eodemque in icterico simul adfuisse, et facies, *viridis*, et dextra pars, *atra*, sinistra vero, *lutea*, conspectae fuerint; *dimidiati* tamen icteri, a nobis nunquam conspecti (in quo scilicet *corpus hominis* dimidium, ab aurigine ita divisum fuisse legitur, ut et nasi medietas terminum agnosceret, a pluribus facta descriptio, explicatu non parum difficilis est (§. 915.).

Urinarum conditio. Ictericorum *urinas* plerumque a bile, quod et a rhabarbari radice assumta partim contingit, profundius flavas, bruneas, quasi a sapone admisto spumantes, et lintea immersa, quod nullo alio in morbo, ac nequidem in typho, faciunt, croceo colore tinctas esse diximus (§. 911.). Jam a. 1787,

in clinico instituto *ticinensi*, secretionum, in morbis variarum, analysin chemicam institui curavimus; quae vero tunc nova in *urinis*, vir egregius et nunc celebris chemiae in academia *ticinensi* professor, reperiit, ea, publici juris ab eo jam facta, etsi dignissima, hìc tamen haud repetimus. Saepius autem ab ictericis, cutis, plerumque aridioris, simul pruritu adfectis, post urinas vel maxime obscuras, mittuntur et aliae, quae, urinis sanorum similes, clarae, vel pallidae, et nullo, quod lintea tingat, principio instructae sunt. Magnus omnino ictericorum numerus, post excretionem lotii vel maxime turbidi et crassi, *pruritum* cutis sibi *imminui*, — alii vero, non pauci, eundem *augeri*, nobis declararunt. Urinas in aurigine spissas, et magis a bile saturatas, frequenter a cuticula, iridis fere colores spargente, obtectas observavimus. Sedimentum aliquando nullum, saepe furfuraceum et luteum, interdum lateritium, illae deponunt. Vasa, in quibus ictericorum urinae aliquamdiu collectae fuerunt, a pinguedine flavente, difficulter abstergenda, obducta sunt. Lotium saturatum, sub aurigine

missum, citius, quam multis in morbis aliis, corrumpitur.

Faecum alvinarum indoles.

Majori quidem numero ictericorum, faeces esse griseas, cinereas ac, prae ariditate, difficiles, docet observatio; haud raro interim excrementorum colorem, in ictero, a sanis nec quidquam abludentem, quidquod adperte croceum, cum aliis vidimus. Quidam, sanato licet jam ictero, nulloque istius symptomate alio superstite, faeces cinereas excernere, nihilominus continuant.

Turbae abdominis.

Praeter haec excretionis alvinae incommoda, non pauca primarum viarum, in ictero adgravatarum, symptomata, adpetitus saepe deletus, ciborum adeo fastidium, nausea, ructus acidi, ventriculi oppressio, cardialgia, hypochondriorum, imprimis dextri, inflatio, tensio, spasmi, dolores, ad regionem epigastricam extensi, praecordiorum anxietates, spirandi difficultas, interdum singultus, flatus, borborygmi, dolores colici, occurrunt.

Functionum laesoi.

Etsi vero ictericorum multi, febris sat diu expertes maneant; frequenter tamen iidem, vel prius, ac ad albugineam, ad cutem, in urinis, prima morbi vestigia compareant, vel mox ab ejusdem invasione, de inertia

virium conqueruntur, tristes, morosi et anxii incedunt, horrores, calores intercurrentes patiuntur, noctes inquietas transigunt, ac habitum cachecticum praeseferunt. Quodsi vero, pro varia icteri natura, in longum trahatur hic morbus; febrem porro, ejusque pedissequa symptomata, in aurigine facile suspecta, eidem supervenire, haud rarum est.

Graphice, ut solet, *icterum nigrum* seu *melasicterum* descripsit, qui summa, pingendis in morbis, auctoritate hodiedum etiam gaudet, *Cappadociae* medicus. „Quicunque, hic inquit, *nigro arquato* laborant, in his ater color, viridi commistus, adparet; iidem frigent, imbecilli, desides, tristes, atque demissi animi sunt; tetrum odorem exhalant, gustatum amarum habent, spiritus non facile ducunt; in ventriculo morsum percipiunt; alvi excrementa porracea, subnigra, arida sunt, aegreque descendunt; urina bene colorata est, ad nigrius vergens. Ad haec, cruditate laborant, cibum detestantur; — in utrisque (icteris) corpus pruriginosum est." Singulare autem phoenomenon icteri, quod nunquam nobis adparuit, idem hic scriptor commemorat, **Melas icterus.**

dicens: „Gustus (ictericis) amarorum quidem non amarus, quod mirum est, non tamen dulcis; dulcium vero amarus."

Symptomata specialia.

§. 914. Atque haec sunt praecipua, quae icteri naturam et incessum *in genere* concernunt, rerum momenta! Superest igitur, ut specierum quoque auriginis potissimarum symptomata, nisi *specifica*, quae saepe non parum sunt ambigua, saltem ordinaria, et nostra quoque experientia confirmata, recenseamus.

Calculi fellei.

Ac primò quidem, de *ictero calculoso* locuturi, notabimus: has concretiones vel in ipso hepatis *parenchymate*, qualem, propria in cystide, ac in steatomate, ex hepatis substantia formato, jacentem, descripsimus (§. 665.), vel in *ductibus hepaticis*, *choledocho*, *cystico*, vel in *vesicula fellea*, vel istius inter tunicas, generari. Cum nulla sit pars corporis, in qua concretiones, adspectu lapidescentes, seu calculi, quondam reperti non fuerint; tales utique et in *hepate*, quod vera calculorum fodina est, reperiri, exspectabitis. Hos autem calculos, sine exceptione, *felleos* dicendos esse, dubitare nobis licebit. Externa quidem facie, quadam flavedine tinguntur omnes, quos

hepar progenuit, calculi; sed eosdem singulos a *bilis* principiis conflari, haud credimus. Hùc saltem, ut opinamur, calculi crystallini, ex albo pulchre candicantes, qui nec in alcohole, nec terebinthinae in oleo, solubiles, nec inflammabiles, nec aquâ leviores sunt, ut quorum et nos duo specimina, museo pathologico *ticinensi* commisimus, et alii mentionem faciunt, pertinent. Calculis felleis fere omnibus aut pauca bilis inspissata, aut lymphae, ex praevia phlogosi, coagulum, pro centro fuit, illorumque incrementum, ex materiae *adipo-cereae*, in felle contentae, adpositione striata, crystalliformi, pendet. Hi calculi, leves, oleosi, et sine foetore inflammabiles, modo ex parte, in aqua, — potissime vero ab alcohole, ab alcali caustico, a saponis solutione, nec minus ab oleo terebinthinae, — quidquod ab oleis fixis, emolliuntur, dissolvuntur. Fere idem in illos, acidi nitrosi, et partim aetheris, effectus est; amarescit vero plerumque eorum nucleus. Materia adipo-cerea, his in calculis pura est, et in laminis magnis, albis, crystallinis, micaceis, splendentibus ac fere pellucidis continetur; in aliis vero flavescit, aut virides-

cit, atque materiae bilis magis intermista, hinc, nisi in alcohole calido prius fusa, ac denique per frigus praecipitata, minus crystallina, minusque conspicua est. Forma calculorum felleorum, ex loco, quem occupant, arctiore, ampliore, — ex mollitie, duritie diversa, varia, nec facile certa satis, ad *genera* reducenda est: minores ex illis, plerumque rotundi, saepe friabiles, plerique obtuse ac inaequaliter triangulares, alii ovales sunt. Magnitudo eorum, a grano hordei, aut a piso, ad illam ovi columbini, ac adeo gallinacei, ascendit, — in ductibus biliferis, plerumque solitarii, in vesicula fellea saepe numerosi sunt ita: ut aliquando fel ipsum exclusisse, vel, rarius, hanc cystidem, quod nos ipsi vidimus, perforasse, vel ad diruptionem usque extendisse, conspecti sint. Quantum vel ipsi ductus hepatici, choledochus, ac cysticus possint expandi, in „interpretationibus clinicis" nostris, exemplo delineato, ostendimus. Non ita pridem, clarus „adnotationum medico-practicarum" scriptor *mediolanensis*, calculum, in ductu choledocho nidulantem, descripsit, qui calculus ad ovi gallinacei magnitudinem increverat.

Calculosa dici necdum potest; sed *calculorum mater* felleorum est bilis, imprimis illa, quae, in cystide hepatica stagnans, nec unquam hunc lacum deserens, nec fellis recentis affluxu renovata, parte sui aquosa continuo resorpta, in paludem exsiccatur homini infestam. Vel sana *bilis cystica*, periodicum quasi fluxum et refluxum experiri solita, ubi per horas non multas quieti committitur: amarior mox ac lutea magis redditur, et ubi, per icteri causas, (§. 915.) retrogradum ad sanguinem iter suscipere cogitur; creandae auriginis partem sibi potiorem assumit. Quid igitur, ubi, ad retentionem longiorem condemnatum hoc liquidum, in atram, et piceam quasi amurcam convertitur, et ubi haec magis magisque corrupta, vel proprio flammas habitaculo admovet; vel ad cruorem transvehitur; vel, solutis tandem vinculis, in duodenum intestinum praecipitatur; vel ipsum adeo in ventriculum irruit? Nec est, cur tantum bilis, vel in ductibus biliferis, vel in cystide fellea stagnantis, resorptioni adscribamus auriginem; sed, prout *de ictero infantum* dicemus, ubicunque bili, in duodenum largiter effusae, atque hoc in canali, altera Bilis stagnans.

quasi in cystide, detentae, obstaculum sat longum ponitur: ibi et resorptioni ad sanguinem abundantiori, et ictero, locus dabitur. Num igitur calculi omnes biliosi, vel sponte per anum excreti, vel post mortem in intestinis reperti, ut tales, ex hepate, in ista delati, num vero in eorundem recessibus geniti sint? nisi ipsum hepar de morbo loquatur; aliquando haud tam injuste dubitari licebit.

Icterus calculosus. Non quivis certe calculus felleus, suam in hepate praesentiam adnuntiat; ac multa hominum, qui nunquam aurigine laboraverant, cadavera, has concretiones, et aliis, et nobis obtulerunt. Vir celebris, et primus ex nostris in clinico *vindobonensi* antecessoribus, quinque per annos matronam tractavit, quae, licet *ictero* nunquam laboraverit; in vesicula tamen fellea, immaniter extensa, post obitum, plus quam mille calculos exiguos, plerosque quadrangulos, obtulit. Eximius quondam *Daniae* chirurgus, ac diarii medico-chirurgici scriptor, reginae exemplum adducit, quae multos omnino calculos felleos, sine ictero praegresso aut secuto, excrevit. Vir ex nostris quondam auditoribus egregius, in foemina 38 an-

orum, ex phthisi pulmonali defuncta, et uae, dum viveret, de adpetitu ciborum lleleto, de cardialgia, de vomituritione, ac e alvi constipatione conquesta erat, 45 calulos felleos reperiit, quin ideo haec foemina, icterum unquam experta fuerit. Saeius, quam creditur, minores calculi, faeibus commisti, clandestine secedunt; et on pauci homines, nullius antehac morbi ibi conscii, conspicuos etiam ex illis, non arum attoniti, per anum excreverunt. Quoescunque vero hae concretiones, aut maores, aut angulosae, aut asperae nimis, ub nixu corporis, sub compressione hepass, vel ex rationibus adhuc incognitis, teeras aut ductûs hepatici, aut cystidis felae internas tunicas irritare, pungere ac, vias bilis angustiores sequantur, loco moeri incipiunt: toties in istis, utpote vel inoris diametri, vel spastice constrictis nalibus, immotae haerent, eosdem ocudunt, sub quovis novo impulsu, hos ipss violenter extendunt, nervos, ipsorum rietibus irretitos, potenter exstimulant, mnesque illis adfines in auxilium evocant. uodsi igitur calculus, ductui vel cystico, ll choledocho impactus haeserit, dolores-

que in dextro hypochondrio subitaneos, acutos, scindentes, lancinantes induxerit; primi, qui, evocati, exsurgant, sunt nervi ventriculi: qui nauseam illico, cardialgiam et vomitum effrenem evolvunt. Hos motus non modo coeteri abdominis nervi fideliter secundant, ventremque omnem sub doloribus efferri tendique inducunt; sed universi quoque systematis illi conspirant, et arterias contrahi, pulsusque exiles durosque, sicut extremitates frigidas, offerre cogunt; convulsiones, anxietates, ipsamque interdum lipothymiam provocant. Interea, quousque abdominis hae turbae subsistunt, effluxus bilis, ad cutem nunc conversae, ad intestina omnis suspenditur, faeces proinde albescunt ac, aridiores, longas in crassis intestinis inducias agunt. Est vero, ubi sub tam vigorosa, unum, nec semper tam voluminosum, in calculum actione, hic obstacula sibi opposita feliciter superet, atque nunc per ventriculum (quod magnis quondam *Germaniae*, *Galliae*, ac *Angliae* a medicis quidem, nunquam tamen a nobis ipsis, conspectum est), nunc intestinalem per tubum ejiciatur; quo in casu, restituta libertate choledochi, bilis hunc multa simul,

ac alvi fluxus, colore huic similis, sequuntur. Etsi vero nunc aeger, tanto tamque arduo a labore, sudoribus diffluens, quiete sat longa gaudeat, ipseque adeo icterus e cute disparuerit; — vel quod calculum ille, ut diximus, expulserit; vel quod, exhaustis jam viribus, omnis in hunc obicem impetus omnino cessaverit; non tamen ideo completa huic misero securitas conceditur; sed certis, nec tamen exacte *periodicis*, temporibus, aut eundem in calculum, novis ejusdem sub ausibus, aut in alterum, qui huic successerit, forsitan majorem, novi ac saepe vehementiores excitantur impetus, ac repetita bilis in sanguinem effusio. Nec idcirco mirabimur, si tantis in unum idemque viscus sub insultibus, aut cystidis felleae, quod alibi descripsimus, aut vero ductuum biliosorum, vel acutum, vel chronicum incendium, ac ipsa tandem suppuratio, gangraena sequantur. Quadraginta jam abhinc annis, diruptae, ex calculis, in parturiente foemina, vesiculae felleae exemplum, non infelix, in actis *moguntinis* adnotavimus. Ab abscessu, ex calculis, diruptam vesiculam felleam, a. 1787, *ticinensi* in clinico, demonstravimus. Vesiculae ejusdem dirup-

tionem, unde fistula ad os ilei exorta est, describunt acta chirurgorum *Parisina.*

Difficultas diagnosis.

Perdifficilis interim icteri a calculis felleis, nisi enarratorum a nobis symptomatum, simul sumtorum, consideratio succurrat, et hujus indolis concretio ab aegro jam secesserit, diagnosis est. *Periodicus* icteri decursus, sicut subitanea doloris ad hepar, ad ventriculum accessio, cessatio, haud raro et in ictero *spasmodico*, aut *intermittente*, observatur. Faciem calculoso in ictero haud semper esse luridam ac terream, foeminae principis *vindobonensis*, pro qua et nostrum consilium a. 1790 petitum fuit, exemplum nos docuit: ut quae illustris matrona, calculos jam plures excreverat felleos, cardialgia vero ac vomitu saepius adfecta fuerat, oculos etiam flavos semel ostenderat; nihilominus tamen faciem semper albam, nitidam et pulchram, genas vero colore roseo tinctas, nobis exhibuit.

Icterus spasmodicus.

Icterus in homine vel modo nimis irritabili, vel hypochondriaco, hysterico, nulla coeterùm in hypochondriis duritie, aut flavedine in oculis, in facie, antehac notato, mox ab animi excandescentia, a magno terrore, summa tristitia, a rigore febrili,

a natatione in frigida, a concussione aut laesione, fractura cranii, a morsu animalis venenoso, vel pro tali habito, incarcerata ab hernia, ab emesi, drastico a remedio, a colica, rheumate, vel a sola germinis humani in utero conceptione, exortus, ac secretioni, excretioni urinae pallidioris, frequentius aut plurimae junctus, *spasmodicus* audit. Hanc icteri speciem agnoscere detrectavit quidem *Angliae* medicus; frequens interim auriginis proventus, manifeste in spasmodica ductûs choledochi contractione fundatur. Summus quidem *Helvetiae* physiologus, hunc ductum biliferum *irritabilem* haud esse defendit; admissa vero, nec tamen concessa, tali assertione, cum ductûs choledochus inter duodeni intestini tunicas oblique incedat; quotiescunque hoc ipsum intestinum, vel a flatibus, spastice incarceratis, multum distenditur vel nervoso influxu diutius constringitur: oportet, ut fellis, ab hepate, hunc in canalem decursus interrumpatur; ut hoc fluidum vel ad fontem, unde scaturivit, vel ad cystidem felleam, motu retrogrado et novae, ex hepate venientis undae contrario, refluere tentet, et his in viis retenta, *poly-*

choliam in illis, et omni in hepate inducat, quae bilis copiosae, a vasis lymphaticis resorptioni occasionem subministret. Sic, a morte ictericorum, cum alia auriginis causa nullibi comparuisset, ductûs biliosi, principales, admodum dilatati et laxi reperti fuerunt. Alterum icteri spasmodici argumentum, in venaesectionis et remediorum solventium, evacuantium, non inutili modo, sed noxio usu, in bilis, a spasmo, vel sponte, vel per artem, cessante, effluxu ad intestina et excretione per alvum adauctis, — maxime vero in promta auriginis, nisi complicatae, aut saepius repetitae, dispersione habetur. Sic *Angliam* hic icterus, sub fine saeculi decimi septimi, referente ejusdem aevi summo medico, infestavit, et post colicam biliosam, ut nominat, spuriam, subjecta laxa, debilia, irritabilia, infantes, foeminas hystericas, viros hypochondriacos, prae coeteris, periodice invasit. Remedia solventia, evacuantia, venae sectio, quidquod ipsa enemata, aegris nocebant; sola vero emollientia his opem ferebant. Icterum spasmodicum, saeculi decimi octavi sub initio, in *Anglorum* exercitu, post atroces ventriculi dolores et nauseas familiarem, de-

scripsit ejusdem exercitûs celebris medicus. Maximi autem momenti *icterus infantum spasmodicus Essendiae*, anno 1772 epidemicus, est, cujus historiam clarus *Germaniae* medicus tradidit. ,,Haec aurigo intermittens et periodica, tenella et sensibiliora subjecta, prae aliis, invasit, et singulis remediis, aliàs in ictero opportunis, adperientibus, solventibus, evacuantibus, haud solùm non cessit; sed ab istis, etsi lenissimis, aegro porrectis, morbus manifeste auctus fuit. Infantes praecipue hic icterus adoriebatur, cui, post unum alterumve paroxysmum, subinde vero tardius, dolores infimi ventris atroces, colici, sub totius corporis rigore, sese jungebant. Hi sensim ab inferioribus ascendentes, in cardialgiam desinebant vehementissimam, ad mentis alienationem, artuumque spasmodicos motus haud raro pertingentem. Brevi post, pectoris constrictio asthmatica, dyspnoea, et ominosa anxietas succedebant cum pulsu parvo, contracto, tardo et intermittente. Omnibus his, nisi scenam prius mors subitanea clauderet, socium se praestabat *icterus,* oculi albugineam, omnem cutim, foeda aurigine tingens. Non obstante omni auxilio,

rebelle hoc malum, post solutum paroxysmum, in principio, brevi cessabat; dein vero diutius superstes erat, tandem pertinacissimum. Quibusdam dysuria accedebat; stranguria aliis perquam molesta, prodiensque guttatim lotium tenue, decolor et aquosum erat. Faeces alvinae, siccae, griseae, in scybala rotunda, parva, caprina, formatae excernebantur. Sudor profusus, alvique et urinae profluvium largum, quemlibet paroxysmum, semel, bis terve in die redeuntem, solvebat. Ingens hoc tempore pusionum grex, libitinae cessit, praesertim e gente rustica, serius medicam opem implorante. In cadaveribus, nullum signum adfecti hepatis, vel cystidis felleae, aut ductuum biliosorum visibile vitium adparebat: hinc solam cystidis ejusque excretorii ductûs stricturam convulsivo-spasticam, effluxum bilis in duodenum praepedientem, icterum hunc produxisse constat." Immortalis *Italiae*, „de sedibus et causis morborum" scriptor, duorum juvenum exempla refert, quorum unus, a certa animi perturbatione,— alter a terrore, ob sclopetum pectori impositum, mox deliriis et ictero adfecti, post paucos dies mortui sunt. Ex magna bono-

rum jactura, in sanissimo aliàs viro, icterum venisse observavit *Daniae* scriptor egregius. Icterum ex rheumate spasmodicum, *ticinensi* in clinico, a. 1788, solius balnei ac emollientium ope, feliciter sanavimus. Icterum ex *morsu venenoso*, nos necdum observavimus, atque de venenorum diversorum in corpus actione interna, parum nimis novimus, quam ut aliam, ac *nervorum* e stimulo specifico, originem huic ictero adsignare valeamus. Idem *gravidarum de ictero* judicium ferimus: qui nempe icterus, si medium praegnationis ante terminum exoritur, neque vel ex *compressione* per ampliorem jam uterum, neque ex *saburrarum*, in intestinis arctatis, distortis, collectione scaturiat, *spasmodicam ad auriginem* haud raro et ipse pertinebit. Ingentem certe auriginum, a spasmis inductarum, numerum observavimus; cum interim praescripti huic operi limites, potissimarum ex illis historias hìc tradendi, locum haud offerant, et quae hoc de argumento jam attulimus, omnino sufficiant; in aliam has, si longior vitae provectae terminus ac vires id nobis concedant, occasionem reservamus.

Icterus hepaticus, et a compressione.

Jam sub *hepatitidis* consideratione (§§. 245—254.), ac in tractatu de *retentionibus mucoso lymphaticis* (§§.828. 836.), plura de cystidis felleae ductuumve biliferorum adfectionibus secundariis, ac de impedito bilis ad intestinum duodenum effluxu locuti sumus; cum interim his aliqua hic addendi nobis sit animus; lectores praevenimus: nos, huic icteri speciei, quam *hepaticam* nosologi vocarunt, et illam, quae a *compressione* jecinoris a partibus vicinis producitur, subjungere. Frequenter enim nimis, sicut morborum aliorum, ita et icteri culpa, in *jecur* insons, a medicis et hodiedum conjicitur, etsi hoc summae dignitatis argumentum, a magno *Galliae* medico, cui tanta jam in arte salutari debentur, in actis academiae regiae scientiarum (a. 1777.) eximie tractatum fuerit.

Cum hepar variis in locis inflammari, suppurari, indurari, aut comprimi possit, quin exinde sequatur icterus; de illis modo jecinoris partibus hic sermo faciendus est, a quarum adfectione morbosa, bilis secretae normalis effluxus coërcetur, et aurigo producitur. Huc igitur pars hujus visceris *concava* pertinet, ut cujus a sinu, *ductûs*

hepatici, *choledochus*, *cysticus*, et *fellis vesicula* foventur. Uno quidem, aut altero ex ductibus hepaticis, a causa quacunque, impervio, suppleri hic potest ab alio; hoc vero supplemento, ductûs tam choledochus, quam cysticus carent; et siquod cystidem felleam, in suae functionis exercitio impediat, obstaculum: non est pars alia hepatis, quae illi auxilio succurrat. Hinc tumor quivis, aut acutae, aut chronicae indolis, in horum canalium, aut in hujus receptaculi viciniis haerens, et vel illos, vel istud, mechanice comprimens, mox bilis, has per vias, effluxum intercipiet, ac eorum, quae ex retentione, stagnatione istius fluidi sequi diximus, origo erit. A steatomate, meliceride adipisque collectione circa hepar, in loco, quo vasa illud adeunt, lethalem icterum observavit vir celebris, quondam *Daniae* medicus. Quod jam §. 249 monuimus, non semper volumine auctum, sed parvam in molem contractum, exsuccum, aridum et, corii instar, durum hepar, ut icteri, ex ductuum biliferorum obliteratione exorti, causa, repertum fuit. Icterum ex praegrandi hepatis scirrho, a. 1785 *Ticini*, in clinico instituto tractavimus, et hunc ultimum,

illius academiae museo pathologico commisimus. Auriginem, cum dyspnoea et anxietate magna, ex hepatis tumore, 26 libras ponderante, lardo vetusto simili, descripsit clarus *Galliae* medicus. Icterici cadaver a. 1800 adperiri curavit filius, *Viennensis* tunc nosodochii medicus primarius. Hepar in illo fuit scirrhosum; vesica fellea vero amplissima, et exterius, percusso abdomine, fluctuationem in ipso cadavere manifestavit. Sed ipsorum ductuum biliferorum, ac cystidis felleae, nec minus humoris retenti culpâ, lumen illis proprium haud raro deletur. Membranae et ctyptae mucosae, quae internam istorum canalium ac cystidis superficiem investiunt, a stimulo quocunque illis admoto, turgent, luxuriant, inflammantur, ac exitus, qui et alias corporis partes, hoc rerum sub statu, exspectant, patiuntur; nec rarum est, sub sectione cadaverum, hos ductus, cum ipsa fellis vesicula, a materia tophacea obductos, vel a calculis infarctos, vel concretos, deletos, vel diversa in sepimenta divisos, vel denique inermes, ac omni vitali influxu spoliatos, et pendulos in saccos extensos reperiri. Ductus hepaticos, choledochum, cysti-

cum, impervios vidit amicus quondam et in cathedra *Vindobonensi* antecessor noster, post icterum ex hepatitide natum, a qua inflammatione, hosce canales, omnem per tractum, a materia solida, succum liquiritiae inspissatum referente, in aqua tamen solubili, occlusos detexit. Attentionem nostram meretur, quod hoc in aegro, sub morbi fine, alvus fuerit aeruginosissima. A tophis obturatus ductus choledochus adnotatur a „theatri tabidorum" scriptore celebri. Ab excrescentiis fungosis, hicce canalis, in ictero letali, penitus obturatus describitur ab alio. Vesiculam felleam interdum a pluribus bilis viscidae, aut prorsus aquosae libris, in abdominis cavum adeo, ut fluctuaret, et ad os ilei protensa, pro abscessu haberetur, expansam, quidquod diruptam, et aliorum, et nostra exempla testantur. Vesicula fellea, immanis magnitudinis, quae in concentricos loculos, singulos bilem continentes, divisa, octo libras bilis spissioris continebat, habetur in actis *Edimburghiis*. Cystidem felleam, ex quinque tunicis concentricis, quarum unaquaevis calculum fovebat, constantem, descripsit primus ex nostris, in cathedra *Vindobonensi*, anteces-

ſoribus. Hoc idem bilis receptaculum, unica particula vere ossea excepta, vidit alter, eandem cathedram exornans, vir celebris. Duos in saccos diviſam vesiculam felleam refert doctus *Galliae* medicus. Plura, quae huc spectant, de vesiculae felleae morbis, in primo „Interpretationum clinicarum" volumine exposuimus, neque hìc ea repetimus; hoc unum interim meminiſse juvabit: vel ipsam in vesicula fellea, ex inflammatione et calculis, *gangraenam*, late per hepatis quoque substantiam extensam, nullum tamen in aegra icterum produxiſse. Sed ne majorem, quam par est, ipsos in ductus biliferos ac cystidem, malorum hepatis culpam conjiciamus, *vermes* hìc accusandi veniunt. Quamvis nempe haud paucae de vermibus, in hepatis ductibus, et cystide fellea repertis, historiae, ſabulas utique oleant; quae tamen de *distomate hepatico* exempla retulimus (§§. 905. 906.), ea nec recentioribus ab helminthologis negari potuerunt. Praeter ista, *hydatidum*, in ictero, per alvum excretionem salutiferam, *danus*, „bibliothecae medico-chirurgicae" scriptor bene meritus adnotat. Plura vermium in hepate repertorum exempla, illustris quon-

dam *Galliae* medicus, in „historia anatomica" recensuit. Celebris quondam *Italiae* medicus, *hydrophobiae spontaneae* in homine casum retulit, in cujus aegri cadavere, vermis, ductum cysticum opplens, repertus fuit. Quamvis autem et absque vermis ullius praesentia, et ex sola hepatis, in parte concava, inflammatione, hydrophobiam sponte secutam esse legamus; helminthum saltem, de quo hìc quaestio est, in ductu cystico haesisse, praedictum exemplum commonstrat. Qui obsoletas de obsessionibus daemoniacis fabulas quondam, haud sine vitae propriae magno discrimine, pro dignitate, primus, et acriter perstrinxit, clarus *Germaniae* medicus, hic etiam vermem, qui peresa hepatis substantia, capite suo usque ad vestientem externam hujus visceris, in gibba ejus parte, membranam penetraverat. Fuerunt, qui ascarides lumbricoides, nonnisi *a morte,* ductum choledochum intrasse praetenderint; qui interim hos vermes, vix frigescente hominis cadavere, jam ipsos rigere ac viribus destitui noverit: vix ille eosdem, jam semimortuos, penetrandis his locis tam angustis pares esse dixerit; nec symptomatum, viven-

te adhuc aegro observatorum, rationem aliter reddere poterit.

Ad firmum vero de ictero *hepatico* judicium, partium quoque, magno huic visceri adjacentium, ventriculi, omenti, intestinorum, mesenterii, pancreatis, renis dextri, ovarii hujus lateris, ipsiusque uteri, consideratio requiritur: ut quae partes, volumine, duritie auctae, aliquando scirrhosae, steatomatosae, suppuratae, hydropicae, suaque haud amplius sede contentae, hepar ipsum, ductus ejusdem biliferos, ipsamque vesiculam felleam, mirum in modum comprimunt, atque coarctant. Sub media mulieris salute, uterus, praegnationis jam provectae sub mensibus, diaphragmatis saepe ad arcum extensus, in hepar ejusque vesiculam, forsitan morbose expansam, ut tristi, ejusdem diruptae exemplo in actis *moguntinis* quondam ostendimus, despotice agit. Frequenter duodeni intestini et pancreatis durities, partem ductûs choledochi, quae intestini illius inter tunicas oblique incedit, comprimendo, bilis, ut jam diximus, exitum praescindit. Sic foeminae, ex ictero insanabili, *ticinensi* in clinico defunctae, cadaver, lobi pancreatis

minoris scirrhum, choledochum ductum, sibi proximum, perfecte occludentem, nobis obtulit. In alia icterica, cujus cystis fellea, summe dilatata, vivente in aegra, fluctuationem prodiderat, choledochi ductûs intestinalis portio, scirrhosa, ejusque lumen prorsus deletum fuit. A pancreate indurato icterum vir celebris *Edimburghensis*, et ab hydatidibus, cystidi adcretis, ejusque ductum comprimentibus, alii, et acta *Petropolitana*, describunt. Inter intestina, vel maxime *colon* est, quod, sub hepate ascendens, vel faeces permultas atque duriores pigrius elevans, vel a flatibus spasmodice coërcitis turgens, tam cystidem felleam, quam ductus biliarios comprimens, in gravida maxime foemina, etsi antehac icteri nescia, auriginem, — a partu, et multarum a faecum excretione plerumque citò solvendam, facile inducit.

Non minus intestinorum apud foetum, a *meconio* obductio, bilis in duodenum depletionem prohibet, ac *icterum infantilem* inducit; ut igitur nulla sit ratio, cur ex hac auriginis varietate, speciem, ab *hepatica* diversam, constituerint nosologi. Est quidem, ubi, evacuato licet mox a partu hoc

Icterus infantilis?

fomite congenito, cutis tamen infantum, maxime vegetiorum, colorem, primò, rubentem, — post paucos autem dies flavescentem, induat icterumque mentiatur; ast vero nec oculi his pusionibus flavent, nec ab urinis eorum, lintea, tingens illud in ictero principium conservant: ut igitur cutis ille rubor, ac subsequens flavedo, a primo atmosphaerae in illam stimulo proficiscatur, et magis *erythema*, quam veram auriginem, quod jam *Anglus* „de morbis infantum" scriptor subodoratus est, sistat. Nec tamen ideo foetus, vix utero exclusus, atque mox aëris frigidi ambienti expositus, a *spasmis* intestinorum, qui icterum non minus producere queant, semper liber est. Quod vero ex viri illustris *Galli*, jam a nobis celebrati, experimentis elucet: quod nempe infantes, mox a partu icterici, et brevi post mortui, dum alias apud proles hujus aetatis, vesicula hepatica bile turgere solet; ipsam hanc cystidem bile fere vacuam ostenderint; quod vero his in casibus, haec bilis, in duodenum intestinum copiose effusa, et per vasa lactea resorpta, auriginem his in pusionibus produxerit; quod intestino duodeno in canibus, infra locum, cui

ductus choledochus eidem inseritur, ligato, post paucas jam horas, istorum animalium oculi flavuerint; a morte vero eorum, bilis sincera in vasis lacteis, in cysterna chyli, ac in ductibus thoracicis reperta fuerit; — hoc certe, non modo *infantum*, sed *adultorum* quoque *icterum*, ex bile plurima, ob faeces globosas et aridas, aut alias ob ...ationes, collecta, in suo descensu impedita, et ita copiose resorpta, posse provocari, ostendit.

Icterus plethoricus, et febrilis.

Qui sanguinis venosi ex abdomine per hepar adscensum laboriosum, — qui obstacula huic fluxui, sub nixu, cursu, clamore, cachinno, suspiriis, et pulmonum sub adfectionibus variis,—ac demum qui thoracum, fasciarum, in pectus ac ventrem injurias perpenderit; non mirabitur ille, vasa jecinoris saepe cruore redundare, turgere, ac vera plethora locali, sub qua et bilis, per ductus hepaticos, decursus circumdatur, laborare. Hoc verum sub statu, saepe et icterus in conspectum venit, et superaccedente a stimulo quocunque, imprimis ubi menstrua, vel haemorrhoidum secretio suppressa fuerit, ignis, sub cineribus dolosis latens, inflammas prorumpit, ac febris accedit, et he-

patitis, vel acuta, vel chronica (§§. 246 — 248.) accenditur.

Causae icteri.

§. 915. Consideratis ita potioribus icteri speciebus istarumque symptomatis, *causas* auriginis praecipuas simul exposuimus. Quemadmodum vero vel aequissimum de assertionibus aut falsis, aut saltem haud adeo certis, dubium, saepissime novi, ac haud raro crassioris, in judicio erroris mater est, quae, ut *Germanorum* proverbium haud male id exprimit, „ipsum infantem cum balneo ejicit": ita quoque *cutis flavedinem* in ictero, non tam a bile resorpta, quam a cruoris ipsius, in vasis metamorphosi, aut combinatione, si Diis placet, chemica, aliqui derivant. Sic, eheu! hypothesis, in rebus medicis, hypothesin trudit, et montem, qui praeoccupatos ante oculos prominet, in acervi formicini favorem, arenae pro grumulo declarat. Experimenta cum sero sanguinis non minus, quam cum urinis ictericorum, etsi flavis, instituta, bilis in illis, ut aliqui asserunt, praesentiam, nec *odore*, nec *sapore* confirmant. Concludunt ex istis: quod *color flavus*, ad fellis naturam proprie haud pertineat; quod color iste, a coeteris biliosi humoris partibus

separatus existere, atque hocce sub statu, absque fellis ipsius praesentia, sanguini flavedinem conciliare solus etiam queat. Haud interim semper aequalem, sub hoc seri urinarumque in ictero examine, eventum obtinuerunt chemici; sed, licet nec amarorem, nec specificum bilis odorem prodiderint et aliis haec liquida; *materiae* nihilominus *resinosae ac viridis* principia, felli scilicet propria, in iisdem adparuerunt. Atqui haec ipsa sunt, quae de facta, in ictero, bilis resorptione, illà, quae et sano in homine necessariò contingit, majore, testentur, principia. Quam sortem bilis, in sanguinis torrentem suscepta, et ab isto potenter commota, subacta, subire soleat; hoc certe ignoramus; neque istam, condemnatus ad solam mortuorum analysin, nos unquam docere valebit alembicus; sed quae specificum bilis caracterem *tinctorium* constituunt, principia: haec, sui vestigia cuivis mox corporis parti, tam solidae, quam fluidae, quod morbus alter, quam *icterus,* non potest, tenaciter imprimunt ita: ut nutricis ictericae *lacte,* quod non minus flavedine tinctum conspeximus, nutriri, infantes, etiam tenerrimi, qui tamen organo gustûs

adhuc satis obtuso instructi sunt, non sine horrore recusent. Quodsi vero talis pusionum, ictericarum a lacte aversatio, de *amarore* istius haud satis testari videatur; nullo tamen alio nos in morbo, nec typho quidem excepto, aequalem a pabulo materno lactentium horrorem observavimus. Cum igitur auriginem, *non ex bile, ipso in sanguine enata, sed ex felle, ad sanguinem resorpto*, derivemus (§. 913.); advertimus ultro: quod nec ipse venae portarum cruor ulla bilis indicia praebeat; et quemadmodum nec seminalis in sanguine materia deest, quin tamen, absque testibus, semen *eunuchi* habeant: ita nec materiam, quae ab hepate secreta haud ſuerit, *bilem* vocabimus. Bilem *hepaticam,* ob non magnam ejus amaritudinem, producendae aurigini imparem, — obstructo ductu cystico, ubi sola bilis *hepatica* ad intestina fluit, subactionem ciborum languidam esse, — obstructiones et calculos in hepate ac ductibus hepaticis, absque ictero conspectos fuisse, — hinc *habitum* quidem *cachecticum,* sed minime icterum, sola a bile *hepatica,* posse produci, alter defendit.

Fatebimur quidem, primò, ut cutis *intense*

flaveat, majorem hepaticae, quam cysticae bilis quantitatem requiri; sed gradu modo, non vero natura, icterus subflavus, ab ictero luteo, viridescente, aut melasictero differt; ac tam in uno, quam in altero, praeter cutem, et serum sanguinis, et oculi plus minus flavescunt; urinae flavo colore tinguntur, et immersa his lintea tingunt. Quodsi igitur aut multa fuerit, aut longius in tempus stagnaverit bilis hepatica, amaror atque tingendi potentia et in ea augmentum habebunt. Animalia, coeterùm, quae cystide fellea carent, ut elephas, equus, cervus et alia, bile modo hepatica instructa, cibos haud minus bene subigunt. Sic etiam a solius hepatici ductûs compressione, icterum progenitum fuisse constat. Omni a bile vacua, vel solis hydatidibus, vel calculis, vel aqua plena detecta fuit cystis fellea, praesente nihilominus ictero; quidquod summus *Lutetiae Parisiorum*, jam citatus, anatomicus, ex ligatis, in canibus, ductu hepatico et choledocho, icterum illico secutum, — nullam autem, ligato ex ductu *cystico*, comparuisse auriginem, observaverit.

Cum igitur ex bilis, vel ex hepate effluere impeditae, vel in duodeno intestino

copia majore coërcitae, resorptione icterum nasci dixerimus; variae ac inter se diversae, aut illius impedimenti hepatici, aut retentionis intestinalis causae, breviter hic repetendae veniunt. Ad *primum* ex istis, pertinent: 1.) intestini duodeni, quo loco ductus choledochus in illud hiat, apud infantes vix utero exclusos, a multo ac tenaci meconio obductio, — apud adultos, ex cibis indigestis, glutinosis, major oppletio; 2.) calculi fellei, alii, amurca biliosa, inspissata et picea, vermes in ductibus biliariis, aut vero in cystide nidulantes; 3.) ductuum istorum, per spasmos hystericos, hypochondriacos, ex iracundia effreni, vel alia animi agitatione, depressione majore, ex vermibus, ex uteri praegnantis prima evolutione, ex cranii, vel alterius partis sensibilioris, praecipue regionis epigastricae contusione, laesione, ex frigore febrili, periodico, ex morsu venenoso, contractio; 4.) eorundem ductuum, per congestiones cruentas, per metastases, per hepatis inflammationem, suppurationem, obstructionem, steatoma, scirrhum, per viscerum propinquorum physconiam, repletiones ac morbos, volumen eorum augentes, per uteri

gravidi seriorem adscensum, compressio et subsequens concretio; 5.) vesiculae felleae, et canalium biliferorum laxitas et inertia quasi paralytica. Etsi nempe fibras musculares, saltem pallidiores, cystidi felleae antehac a multis concessas, aetas posterior negaverit; solatium tamen non minus huic cystidi, quam foetûs humani receptaculo, manet: quod, sicut hoc ultimum, creditum sibi foetum, aut molam, — ita et illa bilem, aut calculos, pro ratione influxûs vitalis, aut normalis, aut vero nullius, nunc arcte amplecti, vel expellere, nunc autem deserere suaeque sorti, neglecta, committere queat. — Quod verò, *secundò*, ad bilis, sub certis animi motibus, sub extremi ac diuturni caloris, et sub constitutionibus aliis, interdum epidemicis, largius secretae, ac in duodenum intestinum tumultuose effusae, retentionem hoc ipso in canali aequo longiorem spectat: hoc partim jam exposuimus (§§. 100. 103. 107. 240. 242. 829. 830.), partim ex illis, quae nobis de *nevrosibus*, speciatim vero de *spasmodicis intestinorum perturbationibus*, dicenda supersunt, patebit.

Cur ictericis quibusdam, objecta, quae

minime flavent, hoc tamen colore praedita esse videantur? solutionis haud facilis quaestio est. Arctissima vasa sunt, quae humores oculorum aquosos secernunt, ac ea haud facile tingens bilis principium admittere visa sunt. *Galliae* ophthalmicus quondam celebris, ab effuso in aqueum humorem oculi sanguine, rubrum aegro colorem adparuisse observavit; ac simile exemplum, in *Batavia,* magno viro se obtuliti, unde hic, per analogiam, ad ictericos, omnia flava videntes, conclusit. Non tamen praeceptoris opinionem adprobavit dignus ejusdem discipulus: „quod nempe flavedo, ab aetate 25 vel 30 annorum, in omnibus fere subjectis, incipiat tingere lentem crystallinam, ita ut, post 70 annos, topazinum colorem, vel saturatum succineum assumat; quod nonnisi minus vivum reddat objectorum a se visorum colorem." Accedit *Mediolanensium* medicus illustris nobisque amicus, qui visum clarum remanere defendit, licet non pellucidissimi sint humores oculi in senum bulbis. Vidit enim humorem crystallinum falconis, diaphanum quidem, sed rubro colore leviter tinctum. — Vitrum, inquit, viride, cum albo combinatum certa

methodo, reddit imaginem distinctiorem.— Alius interim *Galliae* quondam medicus ocularius, lumen opposuit oculis foeminae, cataracta laboranti, et sensum haec non modo habuit rubedinis; sed extracta postea lente, rubro colore suffusa, hujus, inquit, phoenomeni ratio comparuit. Rarissimis modo in casibus corneam flavescere, summus „de sedibus et causis morborum" scriptor monuit. Atqui tamen in viri, de medicina bene meriti, *Tubingensis,* dissertatione „de tunica cornea," exemplum refertur viduae quadragenariae, quae, per plures hebdomadas ictero laborans, non solum utriusque oculi corneam flavam habuit; sed omnia quoque objecta, flavo colore, quem non habebant, induta esse credidit. Duplicem vero observationem refert medicus Italiae eximius: foemina icterica, per quatuor dies, flava cernebat omnia; sed, ab ictero restituta, veros iterum colores distinxit. Altera, sexagenaria, sponte hoc oculorum phoenomenon singulare adduxit, et a celebri *Florentiae* anatomico dissecta est a morte. Epidermis leviter tantum ad internam superficiem tincta erat, ac in aqua facile naturalem colorem readquisivit. Reti-

mero exclusae, vel quod teneram hujus visceris subtantiam infirment, decomponant, vel quod partes ejus incendant, et, utroque in casu, ad secretiones morbosas invitent, hydropis ponere principia, prae omnibus, valent. Quam frequenter viscerum *inflammatio*, *acutum* hydropem, aliquando in *chronicum* abiturum, producat, jam saepius, et potissime sub *encephalitidis* descriptione, exposuimus (§. 140.). Nec ideo, hydrocephalum crebrius ex cerebri phlogosi descendere affirmantes, hanc ipsam ideo ubique *energicam* esse, absque debita subjecti et aliarum conditionum consideratione, praetendimus. Concedimus adeo, morbo, quem hydrocephalum acutum vocarunt, in *primo* suo stadio, saepe magis *encephalitidis*, quam *hydropis* nomen convenire; et symptomata ejusdem (§. 737.), necdum adeo de aquis morbose *secretis*, quam mox, in *secundo* nempe stadio, *secernendis*, testari. Acutissimo nempe hoc a morbo, saepe antequam altera haec, certum dierum ad numerum minime limitata, periodus subintret; mactatur jam convulsus infans; nec ejusdem cerebrum dissectum, aut serum, aut lymphae exspectatum coagulum, quod paulo

serius certe obtulisset, cultro anatomici, ut primae periodi effectum, offert. Atque sic, diversitas symptomatum, ejusdem in morbi stadiis diversis, — ac in *primo* quidem, ex stimulo, vasis secernentibus iniqua proportione admoto, — in secundo, ex aqua ab iisdem jam secreta, et in stamina nervosa ponderante, — in *ultimo* vero, tum ex lymphae, a sero separatae, tum ex utriusque, non modo copia continuo adauctae, sed qualitate simul mutatae, degenerantis actione perversa, ac demum ex viribus vitalibus, quovis momento magis magisque, sub febris, quasi *nervosae*, seu asthenicae, incessu, detritis, explicatur. Cum hac morbi truculenti idea, tam causarum inflammationis vix commemoratarum, prae aliis vero, infamis, hoc quoque titulo, *scarlatinae* actio, quam eorum, quae in cadaveribus post hydrocephalum acutum plerumque detecta fuerunt, indoles, apprime conveniunt; atque si phlogosis, aut lymphae coactae nulla aliquando in cerebro hydropico vestigia comparuerint; absens hoc phaenomenon, vel solam, absque inflammatione conspicua, *irritationem* ad secretionis opus morbosae suffecisse; vel serum, lymphatico suo principio (quod ad ce-

quagesimum utique frequentior, adeoque copiosior in *foeminis*, quam in *viris* esse consuevit: ut quinque mulieres, pro uno ex istis, hoc malo adfectas numeret *Angliae*, „de concretionibus biliosis" scriptor. Atque hoc saltem, homines laxioris compaginis, vitae sedentariae magis deditos, ac in iracundiam, aut vero moestitiam proniores, has ad concretiones magis esse praedispositos, ostendit; sed aetas, conditio corporis et animi, aut ratio vivendi nulla est, sub quibus hoc malum aliquando repertum non fuerit. Bilis ex hepate effluxus quacunque demum ratione interceptus, — longior hujus liquidi, suis in receptaculis stagnatio, et aucta continuò densitas, hùc maxime conferre videntur; et quae pars hujus amurcae, inter coeteras, prima inspissata fuit: haec ipsa, concretioni futurae pro nucleo est; reliqua, vel adpositionis lamellatae, vel crystallisationis a legibus pendent.

Prognosis. §. 916. Cum aliorum morborum vix non ubique *symptoma* sit icterus; haud aliam fere iste, quam illi, *prognosin* admittit. Ipsa interim bilis, ad sanguinem facta resorptio, quo brevius, aut quo diutius duraverit; quo minus, aut quo magis, et quo

rrofundius ea cruorem singulasque partes
ıturaverit; qua ratione febrem aut nullam,
ıt vero acutam, aut lentam, sibi sociam
ignoverit; quo facilius, aut quo difficilius
rimarii causae morbi auferri queunt; eo
itior, aut severior auriginis *prognosis* erit.
daequate igitur *Cappadox* medicus, „Si
ıllius visceris calefactio evidens fuerit, in-
ıit, plerumque sine noxa arquatus est,
ed diuturnior; si perseveraverit, atque in-
ıper viscus inflammatione vexatum fuerit;
aquam inter cutem, et malum corporis
ıbitum utplurimum desinit. Plerique et
me aqua inter cutem colliquati interiere.
l' malum adolescentulis juvenibusque fami-
ıre est, quibus et minus officit. Pueris
ıtem non admodum inusitatum, non om-
mo tamen innoxium." — „Difficile utique
acutis malum est icterus: quo non solum
ıte septimum apparens, sed etiam post
ptimum infinitos necavit, raro autem ad
tremum febrem bene judicavit; ipse vero
ud facile discutitur." Potiora vero prog-
ssis in ictero momenta jam *Hippocrates*
ıdidit: „In ictericis hepar durum fieri,
ılum est." — „Quibus in febre, septima,
ıt nona, aut undecima, aut decimaquarta

morbus regius supervenit, bonum est, nisi dextrum hypochondrium durum sit; alioquin non bonum." De febre biliosa inquit: „Ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens, solvit febrem; si vero sine rigore accedat, extra temporis accessiones; perniciosus est." — „Quibus sexto morbi die icteri fiebant: his dysenteriae (diarrhoeae) supervenientes morbum solvebant." — „Quibus in febre morbus regius supervenit ante septimum diem, malum est: nisi confluxus humorum per alvum fiat."

Hae interim divi senis sententiae, experientiis, maxime in *Graecia* captis, fundatae, nec alibi pro infallibilibus habitae fuerunt: unde jam historiae naturalis scriptor *romanus* se scire adfirmat: „Vixisse aliquos etiam ab hac desperatione;" et conspicuus inter *Arabes* medicus, contra *Hippocratem* monuit: „Reprobatum est experientia in omnibus nostris terris, etsi veniat (icterus) in quinto die, laudabile multum est, viva ratione et maxime in temporibus calidis: ut haec sententia collegiorum medicorum omnium *Persarum* et *Indiae* majoris." — Jam diximus vero, icterum nobis, in febribus vere *criticum*, etsi in multis hoc auriginis fe-

llis symptoma observaverimus, nunquam
venisse; atque dum, qualicunque die fe-
ium, arquatus se manifestaverit, exitum
nc bonum, nunc vero funestum obtinue-
mus; dicendum esse credimus: non tam
numero dierum, quam *ex causae*,
ae icterum acutis in febribus genuit, *cog-*
tione, symptomatis istius prognosin esse
mandam. Perfectam *icteri calculosi* sa-
tionem, cum facile hic morbus reverta-
, ne spondeat medicus! *Spasmodicus*
cerus saepe sat brevi tempore sanatur;
ii tamen ex capitis laesionibus comparet,
primos istarum post impetus disparue-
, ominosus est icterus. Aurigo, quae foe-
nam primis praegnationis a mensibus pre-
ndit: ea, sicut nausea, vomitusque gra-
arum, nisi aut vasorum plenitudo, aut
or in diaeta magis in causa sint, et aptis
mediis auferri queant; haud facile tolli-
.. *Icterus venenoso* animalis *a morsu*
rtus, deleto sat promte morbi fomite,
atur; nec tamen propria nobis hoc de
o experientia est. *Hepatici* icteri, cui
rrhus, vel suppuratio profundior pro fun-
mento est, sanandi spes nulla habetur:
lle potatorum aurigo, jecinoris aut ven-

triculi vitio organico tam saepe innixa, praecipue si aegri, non contenti, blanda et emolliente methodo morbum deliniri, remediis potentius resolventibus utuntur: plerumque citius letalis est. *Infantilis* icterus sat promtam sanationem plerumque admittit. *Intermittens* icterus, nisi ex classe perniciosarum, jam neglectarum febrium, sanationem felicem promittit. Quartana febris, ictero juncta, ob latens in jecinore vitium, autumnali imprimis tempore, medici etiam experti, curam subinde eludit. *Plethoricus* icterus, nisi neglectus ac hepatitidi vicinus, depletione vasorum et victu restricto, facili satis opera subigitur. Hinc fluentes haemorrhoides, antehac suppressae, ictericis saepe salutares. Si vero hae tardius atque copiosius fundantur: easdem perniciosas fore, maxime in melasictero, timemus. Sed hoc de ictero, jam *Hippocrates* dixit: „Icterici multum defoedati, pereunt: alba dejectio iis una secedit." Urina nigricans, vigorem morbi, — ubi vero et faeces nigrae secedunt: mortem facile indicant. Solvitur aliquando icterus per diarrhoeam biliosam, per urinas crassas, foetidas, stranguriosas, perque sudores viscidos, foetentes atque

croceos. Accedente ictero chronico febricula lenta: marasmus hunc, tympania, et hydrops exspectant.

§. 917. Nisi *curam* morborum fere omnium, ex quibus auriginem proficisci docuimus (§. 915.), hoc ipso in opere jam satis exposuissemus; longiore omnino, de ratione, huic vitio medendi, sermone hìc indigeremus; sed breviores nos esse concedunt ea, quae de *febribus gastricis* (§§. 50—65. 98—113.), — quae de *hepatitide* (§§. 245—250.), — quae de *impetiginibus* (*in genere*) (§§. 373—375.) ac, demum, quae de *retentionibus abdominalibus* (§§. 828. 830. 832.) tradidimus. Ad ista igitur, quotiescunque de icteri hac, vel illa specie aut varietate pertractanda quaestio erit, ne lectoribus, eorum haud jejunis, nauseam moveamus, provocabimus. Pauca quaedam artis praecepta, quae icterum *in genere* concernunt, illis, quae modo unam alteramve hujus morbi *speciem* respiciunt, hìc praemittimus. Cura.

Non semper absque injuria functionis corporeae, jam diu perspectae, alterius, quae noviter innotuit, celebrari et extolli solet, auctoritas. Apud Veteres, priusquam

circuitûs sanguinei cognitionem haberent, nisi major *jecinoris* dignitas, — saltem illâ *cordis*, haud minor fuit. Tam sanguinis, quam bilis fabrica, *hepar* apud illos fuit, ipsasque animi adfectiones, hoc viscus cum corde dividebat. Apud poëtas, „ab amore, jecur *torrebatur*;" — „Cum tibi flagrans amor saeviat circa *jecur ulcerosum*;" — „Si in jecore aegro nascuntur *domini* (adfectus);" etc. Iracundiae, — *bilis*, — morositatis vero, melancholiae ac furoris, — *atra bilis*, synonyma fuerunt: „Jussit quod *splendida* bilis;" — Meum fervens difficili bile *tumet* jecur;" — Uxor *atra bili* percita est;" — „*Atra* bilis curanda est, et ipsa *furoris causa* removenda" etc. Etsi vero de jure hepatico, cruorem praeparandi, in cordis favorem, recentiores plus aequo detraxisse nobis videantur; et licet, ad animi adfectus quod spectat, et cordi, et hepati nimis tributum fuerit; de bilis tamen in iracundiam, et istius in bilem et hepar, impcrio dubitari nequit. Quanta igitur, sub ictero, cura aegrorum requiratur, „ne fervens difficili bile tumeat, et ira saeviat ulcerosum circa jecur," vel sponte elucet. Nec minor sane tam ventriculi, et nervis,

et vasis, et positione hepati consanguinei, quam canalis cibarii, ne repleantur turgeantque nimis, et jecur aegrum comprimant, aut exstimulent, custodia ictericis imperanda est. Quare et vita, in aurigine chronica, nimis sedentaria, et corporis ad anteriora diuturna incurvatio, thoracis aeque ac abdominis, angustas per vestes coarctatio, cane magis fugienda sunt.

Sicut calculorum felleorum, nisi sub alvi excretione sese jam prodiderint, incerta diagnosis (§. 914.): ita et therapia perambigua est. Inscio saepe homine, concretiones tales minores per alvum secedere, jam diximus; quoties autem illae, ductuum excretoriorum diametro ampliores satisque durae sunt: oportet ut eaedem vel ante transitum solvantur; vel ut hi ductus, adpellenti calculo, per omnem tractum cedant ac, satis dilatati, eundem dimittant. Priusquam vero haec ita succedant; ductûs biliarii *diametro*, vel *normali*, vel *mechanice angustata*, vel *spastice* constricta, transituro hic calculo obicem ponet. Supposito autem, has conditiones, conjectura certe magis, quam sua in sensus actione, posse distingui! requireretur, ut hi canales, primis in Icteri calculosi.

casibus, per fomentationes emollientes, et similis naturae per balnea, unguenta, relaxarentur; sub ultima vero conditione, ut, praeter auxilia vix dicta, per illa, quae spasmos compescant, praepararentur ad calculi transitum.

Ad *solvendos* in hepate ac cystide fellea *calculos,* multa tentarunt. Ex observatione lanionum, constabat, quod in vesicula fellea *boum*, quousque haec animalia, a mense novembris ad martium, in stabulis detenta, foenu modo arido nutriuntur: calculi in illis saepius proveniant; quod vero, dum pascuis armenta viridibus vescuntur, hi calculi exsulent. Hinc succi recentes, extracta graminis, taraxaci, cichorei sylvestris, saponariae, gummi ammoniacum, salia media diversa, mercurius ipse, solvendos ad calculos adhibita fuerunt. Cum vero nec istorum, constante licet, sub usu, calculi saepius, quam et absque his remediis faciunt, ab aegris secesserint; meliora *chemicorum* solertia spopondit: et istorum experimenta, extra corpus humanum instituta, vel solo a calore intenso, hujus generis calculos colliquefactos, ab alcohole vero calido, a terebinthinae spiritu, et aethere,

solutos ostenderunt. Quotiescunque interim haec ultima, suam, *viventis* in hominis viscera actionem edebant: toties fere disparuerunt in istis promissa chemiae miracula; et siquid tulerunt solatii: alia haec longe, quam hermeneutica ratione, profuerunt auxilia. Tale quidem, anno 1783, in actis academiae *Divionensis* expositum, multisque celebratum fuit laudibus, remedium. Hoc nempe ex tribus aetheris sulphurici, ac duabus spiritus terebinthinae partibus, inter se commistis, compositum, praemissis, aliquot per dies, emollientibus ac solventibus, duos ad scrupulos, horis matutinis, cum sero lactis, aut solvente decocto, porrigendum esse, docemur. In solas ventriculi primorumque intestinorum in tunicas agere hoc genus remedii, nec per ductum choledochum ad hepar, aut ad cystidem felleam usque, ita, ut, immutatum, in calculos agere queat, pertingere, certum est. Aliquando et nos hoc usi sumus medicamine; sed, ob nauseam et ob ardorem, abinde exortum, aegri modo pauci, ut illud repeterent, induci potuerunt. Terebinthinae hinc, ingrato gustui, spiritu excluso, aetherem modo sulphuricum, tinc-

turae anodynae portioni moderatae nuptum, utiliter quidem porreximus; haud vero calculum solvimus.

Sub tanta igitur artis in solvendo calculo impotentia, nihil superest, nisi ut viae, per quas ipsi transeundum est, praeparentur; et ubi spasmi, quos vel ipse calculus, vel causae aliae inducunt, easdem angustant: iidem, his causis sublatis, sedentur. Quousque hujus morbi phoenomena, toties ambigua, haud urgent: tutius ab omni medicina, solius diaetae indicatae regimine contenti, abstinebimus; si vero dextri hypochondrii tensio, dolor, et alia calculorum felleorum symptomata opem efflagitent: ante omnia videndum est, num sanguinis circa hepar congestio, num primarum viarum repletio, impuritas, segnities, has turbas excitaverint? ac primo in casu, ad venae sectionem, vel saltem ad hirudines, hepatis regioni adplicandas, — altero vero, ad blandam, quae alvum sollicitet, medicinam, ex sero lactis cum tamarindis, ad enema emolliens, consilium dabimus. His praestitis, cataplasma emolliens ventri imponendum, hic ipse unguento simili illiniendus, vel et semicupium ordinandum est. Quo

casu haecce subsidia aegrum haud sublevant, nec tamen febris impedit; ad aetherem ac tincturam anodynam, vel ad emulsionem arabicam, cum laudani liquidi aequa portione, transibimus; et hac methodo, calculis, quousque artis medicae limites concedunt, vias pandemus. Si vero febris urgeat, et hepatitidis, a calculo inductae, symptomata subintrent; aetheris et opii usu omni seposito, sub anxia prognosi, praecepta pro illa jam tradita observabimus. De *acido nitrico* diluto, in ictero calculoso quibusdam ab *Anglis* commendato, experientiam non possidemus. A mercurio vero, ad salivationem usque porrecto, solutionem calculi, quam alter ejusdem nationis medicus vix non promittit, non exspectabimus. Quamvis autem calculos felleos et per vomitum a quibusdam rejectos fuisse, haud ignoraverimus; *emeticorum* tamen usum, ne partibus, ab illis occupatis, violentia, periculis plena, inferretur, nunquam adprobavimus.

Icteri spasmodici.

Icteri spasmodici, nisi evidenter complicati, cura, quaecunque aut evacuando debilitare, aut stimulo nervis infenso illos exasperare possent, omnino respuit. Hinc,

etsi oris amaror, et nausea et vomitus, abdominalis saburrae scenam luserint; aequivocis tamen his signis nulla fides praestanda est. Ipsa adeo *resolventia*, in ictero vix non omni praescribi solita, sub tantis nervorum turbis, noxia forent. Hac igitur sub rerum positione, illâ modo ex anodynis remedia, quae, parca, sed repetita frequentius, dosi porrecta, nec palatum ingrate adficiunt, nec sanguinem nimis exaestuant, indicata sunt. Haec inter, primum sibi locum vindicat *opium*: quod viginti circiter, tincturae anodynae sub forma, guttulis, aquae destillatae, cui mucilago arabica commista sit, unciis duabus superadditum gratoque syrupo edulcoratum, vel omni horae quadrante, ad quartam sui partem, donec mitescant symptomata, porrigitur. Qui volatilibus jam satis adsueti sunt remediis, neque febricitant, hypochondriacis, hystericis: sub invasione, spiritum cornu cervi, aetherem sulphuricum, aequa tincturae anodynae portione remista, guttatim, et intervallis sat brevibus, in florum chamomillae infuso, porrigimus. Praeter ista, enema emolliens, inunctio abdominis ope unguenti nervini, cataplasma ex seminibus

lini, vel similibus paratum, maxime vero semicupium tepidum, administranda sunt. Remotis jam ex ano, per enema emolliens, faecibus, clyster ex infuso chamomillae, aut asae foetidae, vitello ovi solutae portione, utiliter injicitur.

De *ictero ex morsu venenoso* agens *pergamenus Hippocratis* interpres, „Imperialium servorum quidam, inquit, viperarum venationi destinatus, cum a *vipera* morsus esset, aliquanto tempore medicamenta, quibus uti consueverat, potabat: cumque universi corporis color mutaretur adeo, ut porri colorem referret, accedens, singula nobis enarravit: cui, epota *theriaca*, quam celerrime color secundum naturam restitutus est." Decem licet per annos in *Italia*, ubi viperarum, scorpionum morsus haud est tam infrequens, commorantibus, nulla tamen nobis, icterum, horum animalium a morsu oriundum, observandi occasio concessa fuit; solius interim ratiocinii auctoritate suffulti, remedium, claro a viro, ex salis volatilis oleosi, drachma dimidia, laudani liquidi Syd. guttis quindecim, syrupi diacodii uncia una, propositum, et omni hora ad unciam dimidiam, **Icteri ex morsu venenoso.**

cum infuso theano, sumendum, nos quoque, oblato in casu, arriperemus.

Icteri intermittentis.

Ubi icterus, ut *febris intermittentis* symptoma, periodice recurrit; apyrexiae vero tempore evanescit: rarior quidem, sed a claro *Daniae* medico descripta, haec auriginis species, nisi primarum viarum per sordes complicata, atque ideo prius in febris simplicis naturam, per evacuationem saburrarum convertenda, secundum praecepta circa hanc febrem jam tradita (§§. 22—49.) pertractanda est.

Icteri ex capitis laesione.

Qui *capitis laesionem* pro causa agnoscit, icterus; ille majorem in calvariam, et quousque laesio istius procedat, quam in hepar, attentionem exposcit. In genere, hic frigida capitis fomentatio, hirudines, et alia, quae chirurgia suggerit, requiruntur auxilia.

Icteri praegnantium.

Rarissima, nec a nobis hucusque observata, *aurigo* est, quae foeminam, coeterùm sanam, *primis a conceptione mensibus* corripiat, et eandem, quam gravidarum plurimarum nauseae ac vomitus, scaturiginem agnoscat. Sicut vero communiora haec ultima praegnationis symptomata, a nullo artis conamine solamen habere, ple-

rasque tamen apud gravidas, absoluto dimidio fere praegnationis termino, vel sponte cessare solent: ita nec magna dissipandi, hac e causa venientis, icteri, spes nobis adfulget. Interim si juvenis, florida menstruisque copiosis antehac instructa mulier, a bile non parum suffusa, plenitudinis atque caloris majoris signa offerret; venae sectionem posse utiliter institui, judicaremus.

Icteri hepatici.

Post ea, quae de hepatitide, de suppuratione, induratione jecinoris (§§. 245 — 250.) — de retentionibus, tam in genere (§§. 694 — 700.), quam in specie de illis abdominis (§. 836.), jam docuimus, de *ictero hepatico* pauca modo nobis dicenda supersunt. Non omnes has adfectiones jecinoris, producendae aurigini pares esse, ex icteri spasmodici, gravidarum et infantum historia elucet; sed major saltem auriginis, maxime chronicae, numerus, ex hepatis infarctu et obstructionibus pendet. In hac igitur icteri specie, praeter externa, balnea, scilicet, saponacea, unguenta althaeae, calendulae, quibus pauca unguenti mercurialis, et camphorae portio superaddita fuit, clysteres resolventes, interna, sic dicta, resolventia, et quae alvum blande subducant, lo-

cum inveniunt. Hùc igitur pertinent: succi expressi herbarum, radicum lactescentium, taraxaci, cichorei, graminis, non crudi, sed in jusculo vitulino, aut sero lactis leniter cocti, extracta iisdem ex plantis parata, salis medii, ut terrae foliatae tartari, tartari solubilis, et rhei tincturae aquosae commista, sapo, gummi ammoniacum, extractis chelidonii majoris, saponariae, amaro, sub forma pilularum conjuncta, calomel, aquae Carolinae, Marianae, Egranae, Pyrmontanae. Saponem, nec tam larga in dosi, ac archiater *Austriae* quondam celebris laudavit, nec longo nimis tempore, ictericis,— quod eorum ventriculus plerumque non parum langueat, et quod sapo tam facile rancescat, praescribimus. Nec a *cicutae virosae* extracto, tantis quondam elogiis ornato, vel in hepatis obstructione, vel in visceris ejusdem, aut alterius, scirrho, aut carcinomate, emolumentum ullum experti sumus. Quod vero a magno quondam *Angliae* medico, in ictero hepatico, ad omnia rebelli, pluries satisfecit, vetulae Londinensis, ex *ovi recentis vitello*, in frigidae cyatho soluto, ter quaterve in die porrecto, remedium domesticum est. Sub usu istius, non

tam solius theoriae, quod scilicet ovi vitellum, saponis speciem offerat, quam experientiae viri clari repetitae, rationem habuimus. Multum quidem, ut icterus omnis hepaticus huic cedat remedio, abest; sed nullum sane auxilium, de quo hoc dici non debeat, cognoscimus. Quorundam aegrorum stomacho, ova haud competunt, sed ponderis calorisque sensum eidem inducunt; sed, his constitutionibus exceptis, alii hoc genus alimenti sat facile perferunt.

Haud raro superior arte medica, icteri hepatici causa est, et scirrhosa, steatomatosa jecinoris durities, nullo amplius solubilis remedio, exasperatur solvente ac evacuante a methodo, et aegri, quod antehac serius fecissent, celeriter tabescunt ac hydropici pereunt. Bono quidem signo, dispersa jam cutis, oculorum flavedine, urinis haud amplius adeo tinctis ac tingentibus, faeces quoque cinereum colorem deponunt, flavescunt, ac ab omni oppressione liberatur regio epigastrica. Sicut interim sat saepe medio sub ictero, excrementa nec alba, nec cinerea, sed sanorum illis sunt similia: ita quoque, soluta jam aurigine, quin morbus ideo revertatur, faeces, per tempus

adhuc cinereae redduntur, et aliqua in regione ventriculi sentitur tensio. Has, debilitatis reliquae turbas, potissimo amara, ut lene decoctum aut ligni quassiae, cum aqua naphae, aut trifolii fibrini, cui radix acori infusa fuit, aër rusticanus, equitatio, sensim sensimque dispellunt.

Icteri gravidarum serioris.

Serioris graviditatis morbum regium, ex compressione hepatis ab utero praemagno inductum, modo partus plerumque discutit; aliquando interim, apud succiplenas, congestio cruoris ad hepar, — apud illas, quae gulae indulgent, primarum viarum saburra, pro qua, ob uteri molem, vix locus in abdomine est, huic morbo ansam praebent. Investigata igitur una vel altera ex his causis: aut venae sectio, aut blandum remedium, intestina evacuans, indicabuntur. Quodsi peramplo ab utero solo producatur gravidarum icterus; cum interdum ab illo non tam hepar ipsum, quam ejus vesicula, ne bilis effluere queat, comprimatur, et haec igitur, bile supra modum extensa turgeat; ne ipso partûs sub opere ac sub nixibus ad illum ultimis rumpatur, quod exemplo, etiam nostro illustravimus, cystis fellea, periculum est. Non

nim in omni praegnante uterus, sub fine, ut in aliis, subsidet; sed saepe, vel ob mnii liquorem quamplurimum, vel ob foetus gemellos, vel ob prolis positionem perersam, superiorem uterus in abdomine regionem, ultimum partûs in diem occupare ontinuat, et repletae nimis vesiculae felceae pericula adauget. Ne talia contingant; isi venae sectio, enemata saltem, partum raecedant, oportet; et ipso sub partûs abore, leniter suffulcienda est regio cystidis.

Vel ipso sub partûs officio, aliquando ubnascitur icterus, plerumque spasmodius, ac turbis illius compositis, mox iterum olvendus. Non aliter viscera abdominis oetera, volumine nimis adaucta, repleta, istracta, hepar versùs compulsa, quam pse uterus praegnans, in jecinoris partem unc hanc, nunc illam, agunt: cujus rei xemplum illustre, de muliere, hydrope eritonaeali exstincta, adduximus (§. 743.). e intestini duodeni, quo loco eidem et holedochus, et ductus pancreaticus inseuntur, ex coalitu, induratione, calculis, torum ductuum vitiis, locuti jam sumus; t quam incerta, quam impossibilis saepe torum sit diagnosis, jam indicavimus; Icteri, ex culpa viscerum.

unde malorum similium, ante aegrorum obitum nec cognoscendorum, nec auferendorum, medelam nullam superesse, cuivis patebit.

Icteri infantilis.

Non tam frequentem, ac multi credunt, *infantum*, vix utero exclusorum, esse *icterum*, sed cutis flavedinem, quae apud proles robustas, a prima atmosphaerae impressione nascitur, ad *erythema*, cuticulae desquamatione terminandum, pertinere, nec oculorum, nec urinarum colorem croceum, pro comitibus habere, jam docuimus (§. 914.). Atqui normalis haec integumentorum, apud infantes vegetos, brevi post partum conditio, haud alio, quam fotûs, balnei tepidi, lactisve materni, nec cete vel electricitatis, frictionis, vel illorum, quae meconium evacuent, auxilio indiget. Sub eâdem rerum directione, si forsitan pusionis transpiratio, mox a partu suppressa, spasmos, — hi vero auriginem produxerint; therapiae satisfiet indicationibus. Quodsi meconii retardetur evacuatio, et ex illius retentione nasci videatur icterus; enemata emollientia, et medicina blanda, ex aquae foeniculi drachmis sex, tincturae rhei aquosae drachmis tribus, et syrupi

cichorei uncia dimidia, gradatim porrecta, sufficient.

In *plethorico ictero*, ubi haemorrhoidum, menstruorum suppressio praecesserit: sub victu tenui, hirudines ad anum, ad pudenda; aliàs, ad regionem hepatis; serum lactis cum tamarindis, aut calomel;—quodsi vero hepatitidis imminentis vestigia se prodant; ratio medendi, huic eventui opposita (§. 250.) indicata erunt. Icteri plethorici.

ORD. VI. GEN. III.

CALCULI URINALES.

Instituti ratio. §. 918. *Calculorum urinalium* considerationem, ab illa *felleorum*, ob magnam amborum, quoad sua principia, differentiam, consulte separavimus. Cum vero de illis hìc agendi necessitatem, praescriptus huic operi ordo nobis imponat: quo plura jam, a conspicuis aevi nostri scriptoribus, tam chemicis, quam medicis atque chirurgis, hoc de magno argumento exposita fuerunt: eo breviores nos esse, ne crambem recoctam offeramus, licebit. Quae juveni medico, illorum, quae chemia non minus, quam pathologia hunc docuerunt, haud immemori, necessaria esse credimus: illa, contracto sermone exposita, eidem hìc offerimus.

§. 919. Si concretionibus, sub forma lapidea, humano in corpore, prae aliorum animalium illo, repertis, hoc nomen satis competeret; veram illud *lapicidinam* vocari, nihil esset, quod prohiberet. Sic nulla pars, a cerebro, ad minimum pedis digitum usque, in homine est, in qua non subinde calculum anatomici reperierint, et jam ab *Hippocrate*, de *calculis uteri* mentio fit. Flebilem interim organa, secretioni urinae praefixa, miseriarum istarum primatum obtinent. Exceptis autem tum felleis, tum urinalibus calculis, coeterarum concretionum lapidescentium *analysis* (quod quidem dolendum, sed simul, ob haud numerosum adeo illarum proventum, excusandum est) non ea sedulitate et copia, quae *generalem de calculorum genesi doctrinam* locupletare multum potuissent, hanc usque in diem instituta fuit. **Calculorum urin. frequentia.**

§. 920. Ad nos quidem, calculorum urinalium, vel hoc vel alio sub coelo raritatem, aut vero frequentiam eruere, haud pertinet; hoc interim, quanti nempe interesset, ut omnium regionum cultarum medici atque chirurgi, quousque, et quibus sub positionibus, qua sub aetatis, sexùs, **Calculorum urin. natura endemica.**

ac vitae conditione, hujus mali atrocis imperium sese in quavis illarum extendat, inter se conferrent, nosocomiorum commentariis suas observationes insererent, medicisque collegiis quotannis communicarent, tetigisse juvabit. Rariorem quondam in principatu, tunc *spirensi*, calculorum vesicalium proventum esse, praetendebant illius provinciae medici; cura vero artis chirurgicae majore habita, et postquam vir hac in arte versatus, catheteris usum auditores docuisset: mox urinales calculos detegendi, haud infrequens occasio fuit. Ad *Italiam* transvecti, ubi nullum fere urbium, vel quidquam conspicuarum, nosodochium, absque experto lithotomo existit; vix unum ex aegris, vesicae morbo calculoso detentis, cognitioni medicorum subtrahi, admirantes, observavimus. Frequentior quidem in *Italia*, *meridionali* in *Gallia*, in *Anglia* et *Belgio* calculus urinalis, quam in *Germaniae* provinciis est; sed minorem longe istius differentiae proportionem dici oportuisset, si major quondam, in hac ultima, chirurgorum investigandos ad calculos sagacitas fuisset. Sic ipsa in *Austriae* metropoli, cum, 25 abhinc annis, dirigendo

nosocomio, quod quovis fere anno sexdecim circiter millia aegrorum suscipit, praefixi essemus: in isto, vix una, vel altera per annos, et quidem raro felici sub exitu, suscipi soluerat calculi sectio; a quo vero summus *Venetiarum* tunc lithothomus, hanc metropolim accesserat, nostrisque precibus, ut suam, secando in calculo, eximiam methodum, — primò quidem in cadaveribus, postea vero viventibus quibusdam dicti nosodochii in aegris, publicam redderet, amice satisfecerat; cum nostrorum quoque chirurgorum, hac in parte scientiae suae difficillima, dexteritas mirum quantum evoluta, ac major nunc temporis, vel unius, — quam antehac viginti annorum in spatio, aegrorum numerus liberatus fuit a calculis, antehac plerumque letalibus. Non minus in *Lituania*, priusquam institutum clinicum pro chirurgis, in academia *Vilnensi* floruisset, rari vesicales credebantur calculi, quos nunc saepe nimis catheter, ad artis praecepta adhibitus, detegit.

Non tamen ubique expertorum chirurgorum inopiâ, vesicae calculos, etsi praesentes, ignorari. *Goettingensis* agri exemplo docemur: in quo scilicet, calculi rena-

les, aut vesicales, inter omnes morbos, infrequentissimi numerantur. Ducenta et triginta cadavera humana, variae aetatis, sexûs, humilis, ut facile adparet, conditionis fere omnia, summus quondam physiologus, in illius Universitatis theatro anatomico secuerat; in eo tamen numero, duo tantum in viis urinariis calculi ipsi occurrerunt. Interim, dum viae urinales ibidem servantur a calculis liberiores: longe frequentiores illinc sunt *calculi fellei.* Inter *tropicos*, in viis urinalibus nullos reperiri calculos, *Angliae* medicus, qui multos per annos illo sub coelo artem exercuit, testatur.

Generalitas. §. 921. Nulli vero aetati aut sexui, urinales calculi parcunt. In embryonibus adeo, quinque, sex mensium, calculos renales, pene duros, detexit *batavus*, „de nephritide" scriptor. Vir, ex nostris in academia *Goettingensi* antecessoribus, celebris, in suo „de calculis natalibus" opusculo, duos infantes, quorum unus, duorum, — alter, octo dierum erant, sub exitu parvorum calculorum convulsos periisse adnotat. Cum vero infrequentior omnino *calculorum felleorum* in prima hominis aetate proventus sit; tenerorum infantum, calculis *urinali-*

bus adfectorum, exempla, nec in *Anglia*, nec in *Italia* rara sunt.

§. 922. Praecipue autem *arthritici*, calculosis a morbis detinentur prae aliis. Jam solae *podagricorum* urinae, cognationem inter arthritidem et calculum satis manifestant; ac in pluribus, qui podagram, ac tophos ex ista, patiuntur: et calculi renales aut alii occurrunt. Nos ipsi tamen, qui, absque labe haereditaria, per 33 jam annos, a pedum dolore, quotannis fere semel, crudeliter vexamur, nullos tamen *tophos* ad illos experti, etsi urinae, sub accessionibus, ab illis aliorum podagricorum haud differant, nulla calculorum signa hucusque dedimus. Solent autem saepius in illis, qui calculo urinali laborant, et aliis in partibus calculi reperiri. Eidem foeminae, et per cutis superficiem, et per vaginam, et per meatum auditorium, et oculorum per canthos prodivisse calculos, — ab his ipsis, et renes, et hepar, et pulmones, uno in aegro, occupatos fuisse docemur; unde, si calculorum istorum, eodem in subjecto, et intra vias urinales, et extra repertorum, una eademque analysis foret; non adeo *loci*, quam ipsius *urinae*, aut *utriusque si-*

Adfinitas arthritidis.

mul, vitio, calculos nunc hic, nunc alibi deponi, videretur.

Sedes calc. urinales.

§. 923. Concretionum interim, quibus, absque dubio, nomen *urinalium* competit, *sedes* est vel in *rene*, vel in *uretere*, vel in *vesica*, vel in *prostata glandula*, vel demum in *urethra*. His et sedibus, praegressa suppuratione, laesione, calculi vicinas interdum petunt, ac in illis commorantur. Sic ad *perinaeum*, a lithothomia, — ad *scrotum*, ab erosione, perforatione urethrae, — ex simili, aut ipsius vesicae foemineae laesione, ad *vaginam*, — congenita, vel diuturna sub phymosi, ex lotio, suo in effluxu, impedito, sub ipso *praeputio* interdum nascuntur calculi. Pars tamen major concretionum lapidescentium, in vagina, vel impurorum sub praeputio virorum, repertarum, alterius, quam urinalis, videntur fuisse indolis. Calculorum urinalium, forsitan plurimorum, incunabula, in *renibus*, et quidem in *sinistro* longe frequentius, quam in dextro, ponuntur. Fuit, qui hocce phoenomenon, in sua „de lithyasi, sinistro reni frequentius, quam dextro infesta" dissertatione, ex venae renalis sinistrae longitudine, ejusque super aortam ingressu

derivaverit; alii, majorem renis dextri a calculis libertatem, ex ejusdem, per hepar incumbens, ſotu et compressione repetunt. Qua vero ex parte rationum istarum, mechanices temporis acti principiis non parum innixarum, — an vero in nulla ex istis, — et in qua demum alia, stet veritas? tam quod in rebus, a natura prudenter ita dispositis, nihil mutare queamus, quam quod, inter multa alia, et hoc nos latere, non erubescamus fateri, nequaquam determinabimus. Nec tamen a calculis ren *dexter* prorsus immunis est, et, ne de aliis loquamur, jam primus instituti clinici *vindobonensis* celebris antistes, illorum ultra sex uncias in eodem detexit. Utriusque etiam ureteris, a calculis manifeste renalibus, obruti, exempla, non tam pauca, renem non modo unum, sed utrumque, hujus obturationis ut causam, accusant. Utrumque, eodem in homine, renem, a calculis obsessum, nos ipsi vidimus, ac in „Interpretationibus clinicis" nostris descripsimus.

§. 924. Quousque *pondus* calculorum urinalium interdum ascendisse refertur: nisi multorum, in diversis museis conservatio id evinceret; haud videretur verisimile. In **Volumen et pondus.**

Insubria, egregius nosocomii *Codognensis* medicus, vesicales nobis calculos, quorum major, triginta et quatuor drachmas ponderis habebat, amice (A. 1787.) communicavit. Docto *Cremonensium* medico, calculum vesicalem unciarum decem et dimidiae, debet *ticinense* museum pathologicum. Calculum vesicalem, ovi anserini volumen aequantem, ponderosum, cujus in medio invisibilis nucleus, quoties ille movebatur, sonum edebat, conspeximus. Tres adeo ponderis ad libras et ultra ascendisse hos calculos, constat. Calculi pondus ad aquam solet esse, ut 1 : 426.

C. ur. Forma. §. 925. Calculorum urinalium *forma*, tam ob variam *nuclei*, quo singulos, ubi serrâ dividuntur, pollere observatum fuit, quam ob *cavi*, quo primùm exorti sunt, figuram, diversa, atque nunc rotunda, nunc ovalis, nunc inaequalis, angulosa, nunc ramosa est. Quasi corrosum et perforatum in medio fere sui corporis calculum vidimus, qui vesicae in ostio positus, atque hoc ipsum claudi impediens, incontinentiae urinae locum dederat. Ab Ephemeridibus naturae curiosorum, exemplum magni calculi refertur, qui calculus, praeviis abdominis doloribus,

per *anum* excretus, et utraque ex parte foramine instructus, plures, per forum istud, ascarides lumbricoides, adhuc viventes, transmiserat. Superficies calculorum varia, atque nunc levis, nunc aspera, nunc tuberculosa, nunc vero, summo plerumque aegrorum tormento, prorsus spinosa est. Calculo ramoso, materies albida, vel alterius, pro urinae qualitate diversa, coloris, adjicitur circa nuclei corticem spinosum: qua demum ratione, cavitas, spinis interposita, donec calculus levis evadat, atque sic miseri, hoc ipso concretionis augmento, sublevantur, impletur, deletur. Plerique, sed certe non omnes, urinae odorem spirant. Durities calculi, recte sic monente magno quondam *Bataviae* chirurgo, ab ipsa urinae indole pendet, haud vero tempori debetur. Plures quidem calculi, saepius uno eodemque in cavo collecti, nec tamen, ut quondam (divisione scilicet illorum per serram non usi), credebant, in unum coagmentati reperiuntur. Calculorum *color*, pro ipsius urinae, ex qua prodierunt, conditione, non parum inconstante, diversus est: nunc scilicet stramineus, nunc profundior, — nunc ex griseo — flavescens, aliquando bruneus,

vel adeo nigrescens, aliàs cretaceus, vel ex albido griseus, vel ex griseo flavescens. Vel sola calculi ex vesica educti, aetas, colorem ejusdem permutat: quam nempe coloris sortem, et ipsae margaritae dividunt.

Calculorum nucleus.

§. 926. Pro *nucleo* calculorum inserviunt quaevis corpora solida. Haec nempe, dum cavo vesicae animalis viventis immittuntur ibique per aliquod tempus detinentur, mox crusta calculosa obducuntur: quae, licet urina haud sit vitiata, indies tamen augetur. Catheter flexilis, ob mictionis difficultatem, in cavo vesicae relictus, nisi ad minimum altero die educatur ac mundificetur; crustà calculosa circumdari incipit, quae retractionem specilli difficilem, ac saepe cruentam reddit. Festucam ligni, per aliquod tempus, vesicae, ab illa perfossae, inhaesisse, atque dum, ope sectionis, educeretur, jam conspicuis calculis fuisse cinctam, idem, quem vix citavimus, vir eximius, *batavus,* refert. Observavit hic idem, in vetulae vesica, dentem molarem, pro nucleo calculi inserviisse. Circa aciculas, globulos plumbeos, clavos ferreos, in vesica humana collectos fuisse calculos, innumera, quae hic adferri superfluum foret, exempla

testantur. Fit autem materiae calculosae adpositio ad corpora solida, eodem modo, quo spathum circa belemnitem, seu radiatim versùs centrum, et circulariter ductu parallelo ad superficiem nuclei. Ubi urina eandem indolem retinet: incrementum calculi manet aequale, lentum, substantia calculi eadem; ubi vero urina mutatur; contraria fiunt, ac tam coloris, quam duritiei differentia accedit. Quamvis autem cuivis calculo *nucleum*, et quidem *solidum*, concessum esse dicamus; non tamen ideo, aut *muco* aut *lymphae*, aut *grumo sanguinis* condensatis, urinarum arenulis commisto, obducto, constituendi nuclei capacitatem omnem abnegabimus. Etsi nempe multi satis calculi, ope serrae divisi, solidiorem ac fere indissolubilem exhibuerint nucleum; major tamen longe calculorum numerus, necdum ita divisus fuit, ut calculorum quorundam nucleos, formato jam et firmo satis cortice, temporis mora, posse arescere, aut in pulverem fatiscere, dubitandum esse censeamus. Saltem calculus urinalis ille, cujus, a nobis concussi, nucleum, in medio concrementi mobilem ac resonantem observavimus, tale quid indicare videtur.

Incrustatis. §. 927. Quae interim concretio, vivente in homine aliquando ab urina producta solâque forma a calculo diversa, *nucleo caret:* ureterum, vesicae ipsius, urethrae, tumoris aut scirrhi vesicalis per materiae calculosae strata, obductio, illi, quae ad matulam observatur, similis, seu *incrustatio* est. Quousque nempe haec organa, smegmate suo mucoso, normali, obducta sunt: eousque calculosae materiae adpositioni illa resistere, — quoties autem morbosa muci secretio, aut parietum uretericorum, vesicalium, forsitan siccitas, asperitas, excoriatio, inflammatio subintrant, et urina haec ad loca, sub longa corporis quiete, detinetur diutius: toties incrustatio talis timenda esse videtur. Sic internam, vesicae non minus, quam urethrae faciem, levi crusta, quasi calcarea, omni ex parte obductam observavit illustris „de corporis humani morbosi anatomia" scriptor *anglus.* Has interim conditiones haud ita frequenter junctas incedere, incrustationum similium raritas testatur.

Divisio. §. 928. Praematura, objecti scientifici, necdum satis intellecti, in libris scholasticis *divisio*, nisi solius ordinis gratia suscepta, juventuti, imprimis medicae, vel noxia, vel

saltem inutilis est. Hinc et calculorum urinalium, secundum *chemiae* veteris principia, ex causis illorum petita distributio, prorsus erronea fuit, et, quod effari gravamur, ne recentior (§. 935.) quoque claudicet, timemus. Haec etenim scientiae *hermeticae*, quamvis in multis utilissimae, sors est: ut vix non quovis decennio, comparente forsitan novi cujusdam astri lumine, haud raro deceptorio; vix erecti pars major aedificii corruat, suisque ruderibus, medicum, sub tecto istius, confidenter nimis, exstructum, domicilium oppleat. Pretii haud multo majoris, alicujus tamen, calculorum urinalium, secundum eorundem *colores*, ac ratione *sedis*, quam occupant, divisio est. Nec enim *extimum* calculorum stratum, quod radios lucis vel hos, vel alios, *solum* reflectit: stratorum internorum interpres semper fidelis est; nec ultima cujusvis calculi *sedes*, ejusdem incunabulum fuit. Hoc non obstante, calculorum, quoad loca, in quibus resident, distinctio (§. 923.), pro expositione symptomatum, unicuique ex illis specificorum, utiliter inservit. Calculi urinales, maxime in familiis, quas arthritis fixa tenet, aliquando, ut haec ipsa, *haereditarii*

sunt. De calculis, quibusdam in regionibus *endemicis*, mentionem jam injecimus (§. 920.).

Calculi occulti.

§. 929. Cum effectus tam crudeles calculi, plerisque in aegris, ab iisdem prehensis, exserere soleant; est sane, cur eosdem interdum *occultos* mansisse, ac modo post mortem in conspectum venisse, miremur. Talem concretionem renalem, ponderis unciarum octo, quatuor ac dimidii pollicum longitudinis, latitudinis autem duorum pollicum, *Lugduni Batavòrum* conservari legimus, de quo calculo, dum vixisset aeger, nec somniaverant quidem medici. Nunquam de renum molestiis conquesti fuerant duo homines, quorum tamen in renibus, post obitum, ingentes calculos reperit magnus quondam medicus *Romanus*. Ureterem dextrum, calculo refertum, quin ulla eundem symptomata prodidissent, descripsit summus *Helvetiae* physiologus. Calculum sine ullo incommodo, per triennium, in dextro *uretere* latuisse, observat celebris *Germaniae* anatomicus; ac plura hujus indolis exempla scriptores varii adducunt.

Atque hi quidem calculi, medicorum cognitionem, ob ipsius partis, quam occu-

pant, de illis altum silentium, fugiunt. Alia vero ratio est, cur vel molestissimi hominibus calculi, *occultatione* tutentur. Hae enim concretiones, vel in vesica urinali, vel in urethra defixae, vel *nudae*, in illis jacent, et specillo percipi queunt; vel in *cystide morbosa* nidulantur, et catheteris attactui immediato, etsi plures id negaverint, se subtrahunt. Villosa nempe vesicae tunica, et quae inter fibras ejusdem musculares proserpit, tela cellulosa, sub compressione, irritatione a calculo, consumta, absorpta, *foveam* calculo inter has fibras offert:- in qua fovea ille, mediam sui ad partem, quasi sepultus, haereat. Quodsi vero, hac sub calculi, forsitan asperi, positione, vesicae sequatur vel leve et chronicum incendium; *pseudomembrana* nascitur, quae calculum, haud ita magnum, amplectatur et obvelet. Aliquando, divaricatis vesicae fibris muscularibus, calculus intermedium ac profundiorem hunc locum sequitur, atque hunc ipsum in *crumenam*, aliquando peramplam, quae calculum recipiat ac celet, extendit. Tales *vesicas lacertosas* et alia, quae hùc spectant, in primo „Interpretationum clinicarum" volumine descripsi-

mus atque, adjectis iconibus, illustravimus. Princeps *polonus*, aetatis 54 circiter annorum, calculi vesicalis symptomata diu obtulerat; urinam quoque albam, copiosam, sedimento purulento, ponderoso, mox instruendam, semper et longis ab annis excreverat. Varii, tam *Varsavienses*, quam *Berolinenses* chirurgi, hunc aegrum pluries per catheterem exploraverant, atque eundem a calculo vesicae liberum declaraverant. Mense Julii 1804, hic princeps, *Viennae*, sub perpetuo singultu, vitae miserae finem imposuit. Sub sectione cadaveris, calculus, unciarum septem cum dimidia et drachmarum duarum, in sacco haerere conspectus est: qui saccus, a dextro vesicae urinalis latere formatus fuerat. Forma calculi erat similis pelvi renali. Utraque pelvis renalis, cum ureteribus, erat ampla. Ureter sinister, diametrum, normali sexies majorem, vesicae urinalis interna superficies gangraenam offerebant. Vel inter ipsas hujus receptaculi tunicas, internâ earum illaesa, calculi reperti fuerunt. Calculos duos, forti membranae inclusos, et prope sphyncterem adcretos, legimus in transactionibus philosophicis.

§. 930. Quae §. 258, de *nephritide* symptomata recensuimus: ea, excepta febre acuta, sub *calculo renali* aut majore, aut acuto, hispido, spinoso, vix non singula, et ita quidem obveniunt: ut eodem jam loco, calculorum istorum phoenomena, ob magnum nervorum renalium, cum illis ventriculi, intestinorum nexum, in dolore regionis renalis, in retractione testiculi, ac in torpore, stupore, spasmo, dolore, vel et oedemate cruris ejusdem lateris consistere, breviter diximus. Jam ipse *Hippocrates* haec calculi, in *renibus* latentis, phoenomena, pro artis medicae aetate, in qua cadaverum humanorum sectionem, si ullam, rarissime saltem, ac non sine vitae periculo, institui licuit, pulchre exposuit, dicens: „Dolor acutus in renem, in lumbos, in testem, ad renis regionem incidit, frequenter urinam reddit, et paulatim urina supprimitur, et cum urina arena exit, vehementem in urethra dolorem parit: cum autem ipsam cum urina ejecerit, remittit dolor; deinde rursus in iisdem jacet doloribus: cum vero urinam reddit, colem etiam prae dolore fricat. At plerique medici, ignorantes morbum, cum arenam videant,

Symptomata calculorum renalium.

vesicam calculo laborare existimant: Haec autem minime, sed *ren* calculo laborat." Nec tamen omni sine naevo hanc divi senis decisionem esse, aetatis posterioris culter anatomicus docuit. Calculi quidem in rene, simul et in vesica degentes, enarrata symtomata utique producent; ast vero, ubi in illo tantum, nec in ista, calculi latent: saepissime nec sabulum excernitur, nec urethra dolet, vel ardet, neque colem perfricandi, persentitur ulla necessitas. In procuratore quidem *Ticinensi* (quadringenti librarum homine) et renem sinistrum, calculis refertissimum, et vesicam urinalem, sine his, arenulis gravidam, et urethrae ardorem, dolorem observavimus; sed ad vesicae ostium abscessus, qui hos ultimos produxerat, latuit. Saepenumero sabulum in urinis copiosum absque ullo renum calculo conspeximus.

Nec tamen hoc diagnosis calculorum renalium, ex defectu arenarum in urinis, obstaculum, solum est, quod eandem saepe, praesertim ubi nullus unquam calculus excretus fuerit, reddat ambiguam. Non tam raro nempe lumbago arthritica, effectus, ab illis calculi renalis haud multum abludentes,

exserit, ac urinae, hoc sub morbo, copiosas simul arenas deponunt; nec dolores, in omnibus, solos ad lumbos limitantur; sed aliquando et ureteres infestant. Sic vir celebris hominem, antehac fere semper ab arthritide vexatum, vidit, qui, octo per dies continuos, dolores in lumbis vehementissimos persenserat, secundum ureterum descensum ad inferiora tendentes, urinas vero summe mucosas excreverat. Hunc vero aegrum, quasi spasmo arthritico ad musculum psoam laborantem, simplici anodyno ille feliciter restituit. Plures hujus indolis observationes, notatu dignissimas, in viri quondam illustris ac nobis amici dissertatione „de materia arthritica ad verenda aberrante," *Goettingae* (a. 1785.) exarata, quem libellum in „delectu opusculorum," *Ticini* recudi curavimus notisque propriis instruximus, legetis.

Opportet igitur non modo in unum, et hoc, obscuro saepe, in morbo, symptoma, sed in plurima simul, praecipue vero in causas praegressas, fiduciam collocari. Inter illa, *nauseae* eminent ac *vomitus*, quem renes, a calculo vexati, prae irritatione ex lumbagine sola, in pluribus excitant. Eodem

vero, vel et solius arenae, ex albo rubrae, copiosioris influxu, et spasmi, et atrocissimus intestinorum dolor, quem *colicam nephriticam* vocarunt, exoritur. Quibusdam, hacce sub colica, ex alvo mucus tenacissimus, albus et quasi lacteus, aut puri remistus exprimitur; aliis vero alvus pertinaciter supprimitur. Dolor vero ille extremus, a calculo renis inductus, continuus, stabilis, et uni loco adfixus est. Cum rarum sit, utrumque renem simul eâdem a causa adfligi, quo tristi sub casu, perfecta *urinarum suppressio* nascitur: in una parte lumborum, qua scilicet calculus residet, magis urget hic dolor. Aliquando decubitus hanc in partem, dolorem mitigat; in contrarium, adauget. Sub summo a calculis tormento, urinae pellucidae, aquosae minguntur. Hoc vero sub cruciatu, lateris adfecti *testiculus*, abdominalem versus anulum *retrahitur*, ac ejusdem lateris in *crure*, rarius in utroque (tam a consensu, quam a compressis, tumentes per renes, musculis, *psoae* sub nomine cognitis, per quos, nervos lumbales, ex quibus dein crurales exsurgunt, descendere novimus) *torpor*, aut *stupor*, aliquando et *dolor*, nascuntur. Quodsi vero aeger,

intervallo, quo symptomata mitius saeviunt, vel ab ingrato animi adfectu, vel curru super strata saxosa, inaequalia vectus, corpore concutiatur: dolor mox insignem ad gradum recrudescit, et non raro *mictus*, sub illo, *cruentus* insequitur. Vir *ticinensis*, quem a. 1786, calculo renum laborantem tractavimus, dum corpore erecto, urinas excerneret: eas, primò quasi *lacteas*, tardius vero *claras* mingere — ubi autem supinus et in dorsum decumbens, lotium redderet: non lacteum illud, sed *pellucidum* solvere solebat. Saepe interim urinae, sub calculis renalibus emissae, post aliquam in vase quietem, sedimentum album, puriforme, tenax et graveolens deponunt. Omnis vero symptomatum, hucusque recensitorum, congeries, calculi renalis praesentiam eo magis denotabit: si neque ab haemorrhoidali, neque ab arthritica adfectione, partem illorum majorem vindicari, suspicio fuerit, ac ubi *foetor urinae specificus*, suum diagnosi sigillum impresserit.

§. 931. Post ea, quae de *retentione urinae ureterica*, et de causis ejusdem, in sexti hujus operis libri parte I. §. 768, ac praecipue in ejusdem libri parte II. §. 839, **S. calculi ureterici.**

jam docuimus, atque post nostras, de eodem argumento, observationes ac epicrises, „Interpretationum clinicarum" volumini primo insertas, de *calculorum uretericorum* collectione, descensu, et symptomatis, retulimus, nisi ingrata et inutili jam dictorum repetitione utamur, nihil fere nobis dicendum superest, et paucis monuisse sufficiet: quod, ubi ex renum infundibulis, in pelvim renalem, ac ab ista, in ureterem, plerumque majore sub corporis nixu, transit calculus: dolores fere intolerabiles, ductum ureterum sequentes, horrores, spasmi, singultus, vomitus, retractio testis, torporque cruris plerumque observentur; quod, utroque uretere, ut jam „Acta physico-medica naturae curiosorum" adnotarunt, ac aliquoties nos ipsi conspeximus, obstructo, et urinae in vesicam descensu intercepto: hoc ipsum lotii receptaculum, immisso cathetere, reperiatur vacuum et, nisi calculus simul in istis resideat; nullus fere mingendi stimulus aegrum divexet; et quod ad latera vesicae, ubi inter hujus membranas ureteres oblique in cavum istius adperiuntur, majore calculis opposito obstaculo, hi ipsi canales interdum ad ovi diametrum di-

latati, anatomicis se obtulerint. Atque a calculi istius, inter vesicae, ureterem recipientis, membranas detenti, nulla chirurgo, per catheterem, perceptio conceditur. Virginis sacrae, nobilissimae, *cremensis*, cui ureter sinister, peritonaeo adcretus, a calculo ita perfossus fuit, ut, nato abscessu, per abdominis musculos viam sibi adperuerit, exemplum jam alibi retulimus.

§. 932. *Calculi vesicalis symptomata*, cum saepe morbi, ab illis prorsus diversi sub signis iisdem incedant; nisi per catheterem confirmata, sine exceptione ambigua sunt. Quo plura interim ex illis inter se conjuncta se offerunt: eo major latentis in vesica calculi nascitur *probabilitas*. Principalia inter haec symptomata sunt: dysuria frequens, periodica, vel continua fere mingendi cupiditas; pruritus ac dolor ad glandem penis, vel ad praeputium, ita ut aeger colem mulgendo continuò pertractet. Huic pruritui, vel durities membri, absque erectione penis copiosiore, et pollutiones nocturnae accedunt; dolor vesicae ac in regione pubis; urinae, apud viros, nonnisi corpore ad anteriora inclinato, vel decussatis cruribus, facilior quidquam excretio; fre- **S. calculi vesicalis.**

quens urinae stillicidium; urina nunc alba, aquosa et pallida; nunc vero rubra, sub ardore excreta, et sedimento mucoso, tenaci, crasso et longos in filos ductili; foetor hujus sedimenti, nec minus urinae ipsius, aliquando mox ab emissione alcalinae, summe nauseosus ac fere specificus; subitanea interdum urinae, inter mingendum, suppressio; ponderis ad perinaeum, molesta et fere continua sensatio; desidendi conatus frequentior; sed alvus globularis et parca; nausea saepe rediens, et inanis ad vomendum inclinatio, aut vomitus ipse. Corporis positio frequentior, et motus ejusdem erectus, fere continuus, ad formas calculi, in vesica contenti, non parum contribuere videntur. Quamplurimi enim cystidis urinalis calculi, extremo uno, versus ostium vesicae, et quidem ita inclinant: ut, inaequali ratione ibidem aucti, haud raro in ipsum hujus visceris collum, — aliquando vero prostatarum in sinum, penetrent, et ostiorum uretericorum vestigia retineant. Calculos renales, post suum in vesicam descensum, aut calculos, in ipsa vesica exortos, haud semper mox tam *duros* esse, ex eo deducimus: quod, ubi plures hoc in recep-

taculo sibi vicini haeserint calculi; vel in uno, vel in altero ex istis, *fovea* conspiciatur, ex cujus praesentia, extracto tali calculo *socium* in vesica fuisse, eundemque adhuc in vesica latitare, satis tuto concludi potest.

§. 933. De *glandulae prostatae* morbis potissimis, §§. 534, 770, maxime vero §. 843, ac in prima „Interpretationum clinicarum" parte, jam egimus; calculorum tamen hoc etiam in organo repertorum, mentionem, brevem licet, nec experientiae nobis propriae innixam, hunc in locum reservavimus. Frequentius, absque dubio, sicut aliis secretionum et excretionum in organis, ac ipsa seminali in vesicula, si magis sollicita foret anatomica eorum, a morte, investigatio, reperirentur calculi. Hos, a pluribus quidem repertos, et in dissertatione *Lipsiensi* „de prostatis calculo affectis," jam a. 1737 descriptos, accuratius nuper in *Anglia* exposuit ac, iconibus adjectis, illustravit, vir optime meritus et „Historiae calculorum chemicae" scriptor *Genevensis*. Cum vero diversae calculorum prostaticorum analyses haud inter se conspirent; dubium, num scilicet hi calculi **S. calculi prostatici.**

omnes, suam *urinae* (prostatam, proprio urethrae in canali, modo praeterlabenti) originem debeant? nobis permittimus. Exigui ac fere lineares, aliquando pisiformes, vel et nucem avellanam aequantes fuerunt calculi, hac in glandula (et quidem mox in lobulo laterali, vel uno, vel altero, vesiculae in speciem dilatato, — mox vero in ipso prostatae parenchymate, membranula propria obvelati) ab anatomicis reperti.

A prostatae tumore quovis alio, canalem urethralem angustante, nemo facile, in homine vivente, illum, qui ab his calculis pendet, distinguet. Quod aliorum experientia hucusque docuit, est: quod nulla interdum, hac à causa, nisi plures fuissent calculi, in viis urinariis difficultas exorta sit; quod vero aliis in casibus, haec utique major, vix interim alia, quam illa, quae prostatae morboso volumini adscribi potuisset, observata fuerit. Sub urethrae laesione, sub excoriatione ejusdem, vel sub ulcere venereo, aut alio, quo loco huncce canalem suscipit prostata, exortis, vel per ductus istius excretorios, ubi urinae effluxus hoc in canali obstaculum experitur: lotii in glandulam prostatam infiltratio, et calculi ex

isto generatio, facile concipiuntur; ac tale quid in viro bajulo, cujus urethram, violento sub coitu, in prostae vicinia, laceratam fuisse, ac urethrorrhagiae ominosae ansam dedisse narravimus (§. 637.), locum habere potuisset; quocunque interim alio, urethrae illaesae, in casu, calculorum ad prostatam glandulam genesin, *urinalem* vix esse, suspicamur. In genere, glandulae prostatae forma vitiosa, calculorum in vesica diagnosin difficilem reddit.

§. 934. Ad forum magis chirurgicum, quam medicum, calculorum, tam *prostaticorum*, quam *urethralium* symptomata, diagnosis, et therapia pertinent. Quam facile autem ab inexpertis chirurgis, et hoc urethralis genus vitii praetervideatur: ex laudati „Historiae calculorum chemicae" scriptoris relatione, urethrae scilicet calculum, pro ejusdem canalis *strictura* habitum, ac lapidis ope infernalis pertractatum fuisse, docemur. De calculis, qui, aut e vesica urinali expulsi, aut ipsa in urethra nati, utroque vero in casu, a praeterfluente lotio indies aucti, hoc in canali, maxime *virili*, utpote, prae muliebri, longiore magisque angusto, ad longas interdum mise- **S. calculi urethralis.**

rias, stagnare ac defigi solent, jam §. 770 hujus operis egimus. Effectus peregrini, durioris, ac saepe asperi hujus corporis, ductum humoris acrioris excretorium plus minus obturantis, praevideri haud est arduum: dolor nempe canalis tam sensibilis, ab extensione, aliquando summa, crudelis, inflammatio ejusdem, interdum suppuratio, parietum sacci urethralis morbosi, major densitas ac, praevia urinae, in ipsa vesica, hinc et in ureteribus, et ipsis in renibus, retentione, subinde gangraena. Sub casu suppuratae, aut diruptae urethrae, calculus viam morbosam, saepe fistulosam, subintrat, et ipsum in scrotum nonnunquam delabitur. Calculi urethrales, nisi antea expulsi, excissi, insigne aliquando volumen adquirunt. Inter plura hujus eventûs exempla, quae exstant, modo pauca hìc adducimus: Ad ovi gallinacei magnitudinem adscenderat calculus, quem incomparabilis „de corporis humani morbosi anatomia" scriptor *anglus*, in urethrae sacco ampliore et condensato haerentem, detexit. Quinque unciarum, drachmae unius et dimidiae pondus habebat calculus, urethrae infixus, quem alio a medico repertum fuisse legimus.

Calculi, uncias novem ponderantis, *Wittembergae*, a puero, ex perinaeo ac scroto exclusi, exemplum refert dissertationis, „de insolita calculi ingentis per scrotum exclusione" scriptor. Exemplum duorum calculorum, ex parte in urethra, ex parte in vesica haerentium, atque per sectionem, super calculos factam, cum catheter adplicari non potuisset, extractorum; narratur ab alio viro egregio. Ex urethra *foeminae*, magnae molis calculos sat facile excretos, vel, absque artis chirurgicae tanto labore, extractos fuisse, ob illius canalis brevitatem non minus, quam diametrum majorem, haud adeo mirabimur; sed *virilem* etiam urethram, calculis, ad magnam satis molem adauctis, viam, quam vel sponte permearent, adperuisse: hoc certe fidem, nisi experientia et istud docuisset, vix non omnem superaret. Qui manu inexperta et rudiore catheterem urethrae intrudunt, chirurgi, ac eandem non modo sauciant; sed aliquando quoque perfodiunt, ac specillum per vias non suas aberrare cogunt: ii has ipsas non minus urinis adperiunt, ac non modo fistulis, sed concretionibus quoque ex lotio, et quidem extra parietes urethrae,

occasionem porrigunt. Primo quidem adspectu, impedimentum urinae, ex urethrae calculo natum, pro hujus canalis *strictura* haberi facile poterit; sed, accuratiore sub examine, tam ex gradu doloris, haud sola urinae adlisione ad locum semper eundem recrudescentis; quam ex tumoris durioris ratione, nec minus ex specifico specilli, sub attactu calculi, sensu, rectior eruetur diagnosis.

Catheteris ipsius fallacia.

§. 935. Cum vero, nisi jam calculos aeger cum urinis excluserit; omne de illis judicium, ex signis hucusque expositis petitum, ambiguum esse monuerimus, ac soli *catheteri,* de calculi, in vesica urinali praesentia pronuntiandi, auctoritatem concesserimus; ne tamen huic digito metallico fiduciam aequo majorem adjudicemus; illa, quae §. 929, de *calculis vesicae occultis*, et §. 927, de *incrustatione* membranae illius, ac urethrae internae, jam diximus, in mentem revocanda sunt. Exempla hinc et nobis aliqua ipsius lithothomiae, ex nimia in catheterem fiducia, quin calculus vel unquam exstitisset, a viris, hac licet in operatione haud parum versatis, susceptae, nota sunt. Frequentior interim ca-

theteris in eo latet vitium: quod ille, quamvis repetitò adplicitus, a calculo, nulla licet in cystide aut crumena vesicae, aut inter istius parietes sepulto, saepe aberret aegrisque securitatem, qua semper carebunt, promittat. Apex scilicet catheteris, monente jam praeclaro quondam *Bataviae* chirurgo ac „demonstrationum anatomico-pathologicarum" scriptore, in vesica circa calculum arcte constricta, quae, dum in altum ascendit, calculum simul secum elevat, *infra* hunc ultimum facile procedit, atque vesicam protrudens, quominus illum distincte percipiat, impeditur." Sic et calculus, praecipue in sexu potiore, in sinu posteriore, — sequiore vero, praesertim ubi magna est vesica, in lateralibus hujus visceris cavis haerens, specillum facile fugit. Summa hinc jubet necessitas, ut, sub calculi vesicalis suspicione, non solius catheteris, sed digiti simul, per anum, aut per vaginam explorantis, utamur testimonio. Est etiam, ubi calculus vesicae, minoris adhuc molis, vel plurimo tenacique a muco circumvallatus, catheterem evitet.

§. 936. Terrent nos vestigia illorum, qui, aevo suo, in *causas calculorum* in- **Calculorum causae.**

quirendo, pro omni laboris peracti praemio, nisi jam filiorum, — saltem nepotum illo, vel commiserationem, vel risum moverunt. Ad *externam* testaceorum, ostrearum, limacum, cancrorum, protectionem, provida mater, natura, *succos*, ad operimenta et quasi scuta, vel periodice, vel pro necessitate formanda, reparanda, secernendos, — ad animalium majorum ipsiusque hominis fulcrum *internum*, trabes osseas, ad confringendos, conterendos cibos, cuneos, his fulcris duriores ac fere adamantinos, illis ipsis e succis, qui solida semper mollia efformant, generandos indulsit. Quodsi vero haec ipsa, vel uno, vel altero animalium in genere, modo inverso absolvantur; ac margarita in ostreis, aut concretio, ossibus adfinis, lapidescens, in hominis visceribus generentur; morbus est. Atqui, cum nec *physiologi* quidem, secretionum normalium, uno eodemque ex fonte, tam diversarum, rationem reddere queant; — quid *pathologorum chemicorumque* a ratiociniis, aut experimentis, omni ex parte ambiguis, exspectandum sit, cuivis patebit. Vel ipsa ossa, partes solidae molles, in rachitide, siphylide, scorbuto,

emolliuntur, morbose solvuntur, ac vix non diffluunt; nec istius quidem phoenomeni rationes intelligimus; — intelligendi tamen conamen laudabile est.

Hoc zelo jam *Hippocrates* animatus, calculorum causas, in lactis, aut casei vetusti abusu quaesivit. Animalium testaceorum, ut quorum succi lapidosi sint, ingluviem, — aquas, terris calcareis, spathosis, quarceis, multum praegnantes, potusque acidos, austeros, a quibus urina saturata magis et acrior generetur, accusarunt alii. „Nullum zythopotum, — oenopotas plurimos, a se ob calculum sectos fuisse, celebris quondam lithothomus, — oenopotas *armenos*, calculum pati, quo *persae* hydropotae, immunes sint, clarus *Galliae* geographus, testantur. Pathologia veterum de calculis.

Haec argumenta, illustris quondam *Londinensis* medicus confutare adnisus est, monens: *animalem materiam* esse calculos, hinc minime aquis, calcarea, vel alia materia terrea impraegnatis, hoc posse adscribi. Ac revera, nec *Bado-Badenses* aquae thermales, quae omnes canales, per quos fluunt, crusta terrea densiore obducunt, et quas tamen ab harum incolis, ad

coquendum, et ad ipsum etiam panem conficiendum, quin ideo calculis laboraverint, adhibitas fuisse, per annos nos ipsi vidimus; — nec aquae *Carolinae*, quae tubos ligneos non minus incrustant, calculos generant; nec demum aquae *Goettingenses*, quae tamen spatho omnes scaturigines inficiunt, aut renibus, aut vesicae inimicae sunt.

Non tamen *animalis* tantummodo *indolis* esse calculos, ex eo judicavit clarus *Angliae* medicus: quod nempe illi *terram absorbentem* saepe in se contineant; quae terra in corpore animali haud producatur; sed per potum et cibos ingeratur: cujus copiam scilicet *aquae*, sic dictae, *durae* habeant. Calculos vero haud raro *terrae calcareae* participes esse, experimentis institutis comprobare, idem hic scriptor conatus est. Non prorsus improbabilem hanc opinionem fuisse, ex eo quoque deduci poterat: quod illud ipsum, quod *materia animalis* vocatur, non aliunde, nisi ex illis veniat, quibus nempe vescimur; licet variis oeconomiae animalis praeparationibus ita mutata sit calculorum materia: ut aliis a terris videatur differre. Hoc etiam hujus

viri opinioni favere, videri posset, quod, sicut alios ad morbos, — ita et producendos ad calculos, *praedispositio* requiratur; et quod in illis etiam regionibus, in quibus *endemici* sunt calculi; numerus tamen incolarum vel maximus, quaecunque causa generalis endemico calculo subfuerit; immunem a calculis vitam degat. Si aquae similes, haud similem ubique effectum ėdiderint; ab alia vivendi ratione, causam eandem reddi hìc inertem, alibi activam, notum est. Quodsi etiam *calculi renales*, apud *Hannoveranos* rariores sint; non rari tamen apud illos *calculi fellei* sunt. Quamvis nempe haud exigua, inter istos et illos, intercedat differentia; calculosi tamen homines, ex una eademque praedispositione, utrosque facile calculos producunt. Accedit his et istud: quod illa ipsa, quam *animalem* adpellant, materia, et ex qua, maxima ex parte, calculi constitui dicuntur, per urinas iterum ablegari soleat. *Vehiculum* vero illud, quo hanc terram animalem, ab ossibus solidisque a partibus abrasam, absorptam, suscipi, ac ad vesicam deferri oportet, in *aqua* consistit. Sinite nunc hanc aquam, particulis terreis jam nimis

abundare! poterit illa omnino ex hoc jam minus apta videri ad materiam illam animalem in se recipiendam, et per urinas evacuandam. Omnes certe aquae *durae*, quae multum terrae continent, *legumina*, quae in iis ebulliunt, vix solvunt satis et coquunt; dum aquae *molliores*, ut dicunt, hoc opus longe perfectius absolvunt.

xperimen-
a chemica.

Fateamur interim, quod, jam ab anno 1776, per summi tunc temporis chemici *Sueci* industriam, singulae, de generatione calculorum hypotheses antiquae prorsus corruerint. Nostri haud est, viri illius clari, mox confirmatam ab altero, ejusdem nationis, chemico illustri, doctrinam, utpote ab aliis jam satis repetitam, in longum hìc exponere, sufficitque breviter notasse: quod *acidum* ille urinalibus hominum in calculis detexerit, quod *lithici* nomine ab eodem insignitum, mox *urici* illo (jure, ut et nos opinamur, haud magno, cum et in tophis ad *arthriticorum* articulos nasci solitis, nec certe ab urina productis, hoc idem reperiatur acidum) donatum fuit. Hoc igitur acidum peculiare ac fere indissolubile, ab illustri quondam *Galliae* chemico, ejusque, haud minus bene merito, a socio,

pro vero *acido borussico*, a quo scilicet, solius hydrogenis et oxygenis copia minore differat, declaratum, nullam in calculis concretionem *terream*, ut vulgò credebant, agnoscere ac, sali ammoniaco junctum, calculos constituere, definitum fuit. Ipse interea *Sueciae* chemicus alter, quamvis detectum *acidum lithicum* pro frequente calculorum principio admiserit; concretiones nihilominus urinales haud paucas, quae modo in *phosphate calcareo* consistant, reperiri observavit. Qui jam anno 1797 hanc speciem calculi, a *lithico*, seu *urico* diversam, perspexit, celeberrimus *Angliae* chemicus fuit: ut cujus experimenta circa vesicae calculos felicia, primatu suo spoliasse, accusatus fuit vir quondam eximius, nec certe alienae indigens gloriae. Praeter haec acida vero, *lithicum* scilicet, ac *phosphaticum*, tandem et *oxalycum* et *oxydum vesicae*, aliquando formationi calculorum intervenire, — haec singula etiam acida, praeter albuminis et muci, condensatorum, materias, ut quae pro vinculo inserviant, nunc *ammoniam*, nunc *calcem*, nunc *magnesiam*, nunc autem *silicem*, sibi pro basi eligere, — quidquod

vel unius ejusdemque calculi diversis in stratis, interdum coire, repertum fuit. Continuatis interea chemicorum laboribus, hancusque in diem, calculorum urinalium species inter se diversae, ut ex viri eximii *Genevensis*, „Morborum calculosorum historia chemica," *Londini*, a. 1819 edita, comparet, praeter paucas alias, necdum satis perspectas, non minus, quam *novem* descriptae suisque caracteribus insignitae fuerunt. Atque haec nobis, quantum, in cognitione calculorum, experimentis *chemicorum* debeant medici, quantum vero simul inconstantiae et hujus doctrinae principia patiantur, laconice hic loci monuisse, ne opus hoc nostrum, jam adeo extensum, luxuriet, sufficiant!

Theoria aliorum. Jam fere quatuor abhinc lustris, *Angliae* medicus conspicuus, in opere „de calculorum origine atque principiis," theoriam de his concretionibus aliam, quam *chemicam*, nec certe tam inconcinnam condidit, quin illam, decem post annos, vir *Germanus* et chemicus celebris, in suo „de Pathologia enchiridio," arriperet, suisque ratiociniis ornaret. Partem ille, in calculis formandis, modo exiguam, saepe adeo

nullam, *urinas* sibi assumere; sed vix non omnes hujus indolis concretiones, ex *membranae mucosae viarum urinalium secretione morbosa*, per stimulum, nunc hunc, nunc illum, hic omni vesicae, illinc modo parti istius, illatum, inducta, pendere defendit. Istius doctrinae rationes petuntur ex calculis, inter parietes ureterum, vesicae, in glandulae prostatae parenchymate, vel in saccis, appendicibus cystidis, quousque urinae haud penetrant, nidulantibus,— ex tanta hinc inde vesicae incrustatione, ut illi, absque laceratione, ab ista separari haud queant, — ex vesicae irritatae effectibus, stimulo illius specifico, v. g. arthritico, similibus, nec obsoletam *metastasis* per hypothesin amplius interpretandis, — ex calculorum symptomatis, non solo a pondere illorum, sed organorum simul urinalium a statu morboso derivandis, — ex lithothomiae, errore diagnosis, quin calculus adesset, institutae, ac nihilominus aegris proficuae, quibusdam exemplis, — ex eo, quod alcali causticum, haud paucis, qui calculos nunquam excreverant, aut quorum calculi, forsitan excreti, nullum solutionis vestigium exseruerant, profuerit.

Causae calculorum remotae.

His vero argumentis adduntur et alia: quod scilicet *albuminosa*, quae nullibi corporis deest, *materia*, superaccedente eidem *oxygenio*, indurari ac in calculum converti facillime queat; — quod phosphorus, ex albumine, hydrogenio remisto evolutus, oxygenium vero albumini maxime infixum, concretionem promoveant, et quod causae calculorum remotae, maxime in *mucosis* abdominis et viarum urinalium congestionibus, apud infantes, senes, apud homines, vitae sedentariae deditos, valetudinarios, arthriticos, haemorrhoidarios, scrophulosos, obstrictioni urethrali, tumori prostatae, indurationi, aut ulceri vesicae subjectos, consistant.

Proxima?

Etsi vero haud solas ad *membranas mucosas* restringatur calculorum generatio; ac licet paucae concretiones hujus indolis, suae scaturigini arcte adhaereant; nec multi, sicut praetenditur, calculi absque nucleo reperiri soleant; plura tamen sunt, quae nobis, *morbosae secretionis effectu calculos nasci*, opinionem obtrudant. Corpus scilicet quodcunque peregrinum, cavo animalis viventis vel huic, vel illi (quin de *vesica urinali* hìc loquamur) aut casu, aut

arte intrusum, nisi promtius extractum, expulsum; post pauca minuta, ab humore, in coagulum prono, quem id ipsum, novi hujus hospitii vivis parietibus inimice elicuit, expressit, in istorum defensionem, cingitur, involvitur. Continuatis in longum injuriis, novae humorum albuminosorum copiae trahuntur in subsidium, novumque hosti infenso, nisi hic aedes, quas occupat, incendio destruxerit, vallum circuminjicitur. Hac igitur ratione suffulti, haud alia *urinarias*, quam alterius generis *concretiones*, nasci supponimus; ac sicut hae omnes, non adeo normali, quo adluuntur,— quam morboso humori, irritata per organa secreto, suam originem debent: ita quoque unus idemque calculus, pro mutata secretionis morbosae ratione, plura et saepe diversae indolis strata, quae unico sano e fonte haurire non potuit, offert. Urina quidem vel sanissimi hominis matulam, nisi sollicite repurgatam, jam paucos post dies crusta obducit; non tamen ideo similia receptaculis uriniferis, *vita* instructis, nisi vel siccitate, vel incendio, vel excoriatione, vel herpete, aut sic dicta vesicae scabie, vel ulcere peccaverint, contingunt;

sed, exceptis canalibus, qui calculos, innocente cessione, transvehunt, *ipsum, quod istos genuit, organon, priusquam hunc partum monstrosum ederet* (absque alia *lotii* culpa, nisi quod suum morboso humori, vix secreto et adhuc liquido, sedimentum commisceat, et, facto hoc glomere, mox condensando, eundem humorem morbose secretum, ac pro ratione stimuli percepti varie mutatum, — interdum adeo sanguinis portionem, eidem urinae sabulo intime combinatum, nucleo centrali per intervalla adglutinet), *morbosum fuit*. Vel ipse, qui calculos ex urinae solius diversis elementis construi, cum aliis docuit, novissimus „Historiae morborum calculosorum chemicae" scriptor, ab *ureteribus*, nisi antehac morbo detentis, nullum unquam produci calculum, fassus est; ac idem omnino de *renibus* ac *urinali* de *cystide* dicendum esse videtur. Sicut *podagrae*, — ita et *calculorum accessionibus*, ventriculi languor, nausea, oppressio, ructus, borborygmi praecedunt, easque comitantur. Sub illius invasione, pedis dolor, mox tensio, rubor, tumor, et completa, plerumque asthenica, *reticuli* mucosi et

cutis subjectae inflammatio. Ex his ipsis, apud podagrae veteranos, *concretio* quasi calcarea, vel ipsi *acido urico* juncta materia, urinali hinc a calculo, nisi majore duritie forsitan, aut forma, haud multum distincta, nascitur. Vesicae urinalis *membranam mucosam*, arthritis fixa, quae pedis ad pollicem, concretionem calcaream genuit, corripiat! . . . cur illo in viscere, jure aequali, calculorum mater non fieret?

Testetur igitur, pace nostra, de calculorum principiis chemicis, ac ista *urinis* adscribat, retorta! nec etenim inutilem prorsus et hanc naturae investigationem esse praetendimus; sed, ne illam, quae et prima ad calculum fundamenta posuit, et quae urinae particulas, modo sibi, adhuc fluidae, loco mortarii, commisceri permisit ac amplectitur, praetervideat, et hoc modo, *accessoriam* calculo materiam, pro fabricae istius principali elemento proclamet! Sub ratione medendi, chemicorum hypothesibus innixa, minores aliquando cum urinis secedunt calculi; atque fatebimur, *alcalinorum* sub usu, frequentius illos excerni, aut illorum saltem, nisi malum jam nimis increverit, symptomata sopiri; sed

qua ratione talem effectum remedia, quae et aliis in morbis chronicis, calculorum generationi saepius praeviis, prodesse novimus, praestare soleant? de hoc quidem sub judice lis est; et nulli certe scientiae, nisi medicae, hypothesium imperium infensius esse, experientia nimis jam docuit. Huic igitur magno ac soli rerum magistro, et nostram, de ortu calculorum, opinionem, absque omni ejusdem praedilectione, donec lux clarior adfulgeat, submittimus.

Prognosis. §. 937. Qui jam primis infantiae annis vexantur a calculis, huic aetati ac puerili prae alia infestis: ii, vel doloribus, convulsi succumbunt; vel, sub vita longiore ac misera, vix unquam ab illis liberantur. Immanes hoc a morbo cruciatus, adulti diutius perferunt; sed, vel aucto indies concretionis volumine, vel positione calculi, effluxum urinae prorsus intercipiente: in primo casu, viarum urinalium inflammatio, suppuratio, aut callositas, — in secundo, ex urinae retentione, vesicae paralysis, gangraena extimescendae sunt. Nulla vero, sub calculo jamjam majore ac duro, nisi a *chirurgia*, recuperandae salutis spes, — et haec saepe dubia, superest. Qui calculis urinalibus

subjecti vivunt: ii haud raro et felleis simul laborant. Si viros frequentius foeminis calculosos esse, experientia doceat: id potissime ex eo, quod sexus sequior breviore simulque largiore urethra instructus, eosdem promtius atque felicius expellat, venire videtur. Calculum, uncias duas totidemque drachmas ponderantem, a foemina, quin dolor et haemorrhagia, tantae peregrini corporis moli respondissent, excretum fuisse, in „Transactionibus philosophicis" legimus. Alterum calculi vesicae, uncias duodecim et drachmam ponderantis, sponte tamen, et superstite vita, a muliere excreti, exemplum Ephemerides naturae curiosorum conservarunt; ac spes adeo superest, recentiorum sub methodo, urethram foemineam dilatandi, meliore minusque dolente,— lithothomiae, hoc in sexu suscipiendae, necessitatem non parum imminui. *Arenas* haud pauci homines, quin calculosi reddantur, mingunt; ac illae, solae, vix majorem in renibus, aut in vesica calculum produnt. Sabuli scriptorii loco, arenas ab aegro redditas, huic ipsi inserviisse, apud gravem „de colluvie serosa" scriptorem reperimus. Minores interim calculi, vesicae ad ostium

ſacilius delapsi, majoribus frequentius urinae effluxum cohibent. Ubi sub calculis, urina plurimum mucosa simulque purulenta ac foetida excernitur: de viarum urinalium suppuratione, vel scirrhositate suspicio, haud facile injusta, nascitur. Renes utrosque rarius simul infarciri a calculis, ac tali sub casu, vel ipsam urinae secretionem, letali effectu suspendi, jam diximus. Utroque interim in uretere, calculi pari fere frequentia reperiuntur, quod satis ostendit: in rene dextro aeque ac in sinistro, calculos nasci; sed eosdem, e dextro, promtius in ureterem hujus lateris detrudi. Frequenter ex renis sinistri calculis, mole majoribus, ipsius hujus visceris substantia quasi resorpta, saepius a suppuratione, et quidem ita consumta: ut, praeter cystidem et calculum, de illa nihil supersit, observatur. Casu satis infrequente, calculus renem una cum lumbis attollit, et ex rupto, vel inciso istius abscessu, ille, — fistuloso, ac tardius tandem letali ulcere relicto, prorumpit, vel educitur. Simile quid *ureterico* etiam a calculo a nobis observatum fuisse, jam §. 931 retulimus. Uretere a calculorum transitu, crudeli dolore stipato, jam satis dilatato,

ulterior illorum, nisi jam majorum, descensus facilior, dolorque sub eo aut minor, aut fere nullus est. Saepe non unus modo, sed plures calculi, vesicam urinalem, ut renem ejusque ureterem, occupant: atque in uno, vel in altero ex illis, haud raro *foveola*, eidem, a propinquo sibi, dum adhuc mollesceret, socio impressa, supermanet. A conatu, calculos e vesica pellendi, magno ac fere perpetuo, haemorrhoidum turgor, summusque dolor, intestini recti, ipsiusque uteri prolapsus observantur in multis. Calculum vesicae, ejusdem parte postica, per inflammationem, intestino recto adcreta, ac tandem suppurata, per alvum fuisse excretum, haud inauditum est; ac ipse *pergamenus Hippocratis* commentator, libro „de locis adfectis," inquit: „Quod a forti excernendi conatu, praecedente dolore vehemente, aliqui lapides callosos *ano* dejecerunt, illis, qui in vesica nascuntur, haud absimiles: id quod ego neque vidi, neque alium, qui viderit, unquam vidi." Quodsi tamen tres illi aegri, quorum historias, in „Oratione academica, de vesica urinali ex vicinia morbosa aegrotante," jam a. 1786 *Ticini* recitata, publicavimus, quorum

nempe vesicas, exulceratas, in rectum intestinum ita hiasse observavimus, ut ſaeces ac flatus aegri per urethram excreverint, sua in cystide urinali simul et calculos gessissent: horum certe per alvum exitus, haud fuisset difficilior. Ipsa interim intestina, rariore, in homine, quam in equo, exemplo, concepisse calculum, non minus docuit observatio.

Cura calculorum.

§. 938. Post tanta, vel unum ad morbum debellandum, chemiae et artis salutaris conamina, rationem medendi, si *chirurgicam*, tam severam, quam ominosam, solique urinae vesicâ extrahendae, et calculis ejusdem secandis circumscriptam, excipias, per tot saecula, modo parum provectam ſuisse, animum deprimit. Erigebant hunc pridem, pathologiae humoralis, de *causis* hujus morbi, ac therapeuticorum, de efficacia *lithonthrypticorum* insomnia; his interim, tam rationis, quam experientiae luce tandem dispulsis; ars medica, vix egestatis propriae conscia, et hoc ipso securioris ineundae viae capacior: a nova splendidaque (*solvendorum* scilicet, vivente in homine, calculorum, quos in phiala inanimi, certis a menstruis colliquefieri atque

diffluere cernebat) chemiae hypothesi se abripi passa est.

Hac longe prius docuerat experientia: calculos minores haud raro, vel absque medicamentis, cum urinis secedere; et hoc ipsum, quo majore copia minusque aquosae aut spasmodicae hae fluerent: eo facilius contingere. Cum vero, secretionis urinalis augendae gratia, *diuretica*, sic dicta, in auxilium vocassent; docuerat iterum haec ipsa rerum magistra: a potentioribus ex istis, a salibus, a balsamicis et acrioribus, mox augeri morbi symptomata, ipsumque haud raro sanguinem renibus exprimi; a potu vero liquidi, blandius in istos agentis, copiosiore, nec tamen ventriculo molesto, sicut a balneis, modo tepidis, frequentius obtineri solatium. Jam sine ulla medicorum admonitione, aegri calculosi observaverant: quietem, qua interdum a calculis sat longa gaudere illis licuerat, toties turbari, ac ventriculum, aliunde jam languidum, et colluviei mucosae acidaeque obnoxium, cibis vel nimis copiosis, vel subactu difficilibus, acribus, onerassent; aut potu spirituoso, irritante usi, aut animo violenter commoti fuissent; aut veneri incaute sacrificas-

sent, aut corpus quocunque modo exaestuassent; aut vitam nimis desidem duxissent. Accessit his et altera, medicorum scilicet observatio: praeter haec diaetae praecepta, praeter potum blandum, satis uberem, — victum, exclusis vegetabilibus, parum nutrientibus, flatulentis, facile fermentantibus, animalem eumque sobrium, praecipue illa, quae ventriculi functiones, absque majore stimulo secundarent, quae pituitosam acidamque in illo crambem corrigerent, alvumque liberam servarent, maxime conduxisse. Ad lenia hinc remedia, stomacho amica, antacida, et alvum blande subducentia, sub magnis vero a calculo spasmis, ad anodyna subsidia, nec non ad clysteres, fomentationes emollientes, magno satis fructu confugerunt. Nec observandi occasio defuit medicis, aegros scilicet a calculis obsessos, haemorrhoidibus haud raro, — aliquando urinis sanguinolentis laborare, vel in renum inflammationes, vel in colicas nephriticas, vel in vesicae urinalis incendium pronos esse, redeunte vero fluxu haemorrhoidum, aut menstruo, non parum sublevari. In hirudines proinde, vel ad renis adfecti regionem, vel ureterum circa decur-

sum, saepius ad perinaeum, vel ad venas ani adplicandas, vel in ipsam venae sectionem, suam, his in casibus, fiduciam posuerunt.

Per saponem.

Tam cautis medicorum conaminibus, foeminae sat felix audacia empyricae accessit: quae arcano diu, tandem vero a. 1740, a supremi *Anglorum* Gubernii munificentia, decem aureorum millibus ducto, ex testis ovorum calcinatis, et ex sapone veneto aut hispanico constante remedio, majorem conaminibus medicis adplausum obtinuit quidem; sed post paucos jam annos, experientia, nulli opinionum auctoritati subjecta, calculosorum aegrorum non paucorum salutem, ab ipso hoc pingui, facile rancido, et non parum acri remedio, laesam, ac haematuriam provocatam fuisse, testata est.

Per aquam calcis.

A combinato interim saponis cum *aqua calcis* usu, majora nunc promiserunt; ac ab ipso, qui primus instituto clinico *Vindobonensi* praefixus fuit, magni nominis medico, saponem venetum, aegro, septem per menses, quotidie ad unciam integram in pilulis porrectum, aquae vero calcis vivae, quatuor libras, aequali cum lactis portione, quin ullum ab his damnum perceperit, quidquod calculorum symptomata toto

hoc tempore cessaverint, propinatas fuisse, legimus. Fatetur interim hic vir, non minus veridicus, quam doctus, perseverantem calculi in vesica praesentiam a fido nimis cathetere semper detectam ſuisse. Per annos quatuordecim, vir calculo vesicae adfectus, adsumserat quotidie saponis unciam dimidiam, et aquae calcis libras tres. Per omne hoc tempus, symptomata quidem minuebantur; post obitum interim, calculus ponderabat adhuc uncias undecim.

Saponis tandem usu in morbis calculosis vix non seposito, et illo *aquae calcis* non parum restricto, fiduciâ medicorum majore, *aër*, ut tunc vocabant, *fixus*, seu *carbonicus* potitus est. Ad hunc, sine temporis jactura obtinendum, medici *angli* consilio, *salis alcalini vegetabilis fixi* drachmas duas in aquae destillatae unciis duodecim solvebant suoque numero signabant. Quantitate vero *acidi sulphurici*, ad salis alcalini illius perfectam saturationem necessarii, reperta, hanc ipsam cum aquae destillatae libra medica miscebant, suoque signo muniebant. His ita dispositis, omni bihorio, solutionis alcalinae vasculum dimidium,— mox vero ab isto, eandem medicinae

Per gas carbonicum.

acidae portionem propinari jubebant. Cum vero idem hoc principium carbonicum, in aquis soteriis, salis alcalini mineralis portione simul impraegnatis, plus minus abundet, et *aquarum carolinarum*, tam hepatis, quam viarum primarum, et urinalium diversis in morbis efficacia, a longo jam tempore innotuisset: tum in istas, tum *selteranas*, *fachingenses* ac similes in aquas, maxime vero in illam, quam *alcalino-mephiticam* vocarunt, spem omnem collocarunt. Eâdem ratione *sodam carbonatam*, in aqua destillata, selterana, aut acidula alia solutam, bis terve in die aegris propinandi, usus invaluit.

Experientiae saeculi dimidii, et quod excedit, innixi, fatebimur: nos medicamentorum vix expositorum, imprimis ultimorum, utpote longe blandiorum, sub usu, urinarum secretionem ipsiusque in iis arenae copiam, sat multis, sed certe haud omnibus, in aegris, non parum adauctas, lotii quoque mittendi ardorem, aliaque calculorum incommoda plura, per dies saltem aliquot, sat saepe imminuta, — *calculorum interim, nisi natura sua friabilium, solutionem nunquam observasse.* Nec no-

strae dissimilem, virorum, in arte medendi clarorum, experientiam fuisse novimus. Exigui quidem calculi et istorum sub administratione interdum secedunt; sed iis etiam illi, ab aegris, qui, aut solis *diureticis* mitioribus, largo satis potu comitatis, seminibus dauci sylvestris, cynosbati, ligni juniperi, radicis ononidis spinosae decoctis, aut uvae ursi, vix diureticae, infuso aut pulvere, — aut adeo nullo prorsus remedio, usi sunt, non minus secesserunt. Conclusio ex floccis, aut foveolis asperis, in superficie externa calculi excreti, aut in cadavere reperti, obviis, ad remedii porrecti virtutem solventem ducta, ex eo, quod facies, calculo, ante remedii usum, propria, observatorem necessariò fugerit, ad minimum hypothetica et arbitraria dicenda est, ac idea menstrui, solvendo calculo paris, a vasis lacteis impune suscepti ac, licet per sanguinis torrentem in immensum divisi aliisque cruoris principiis varios in modos combinati, suam nihilominus, calculum solvendi, potentiam intactam conservantis, sanae rationi, si quid aliud, repugnare videtur.

Per injectiones.

Senserunt hoc in *Gallia* viri primi nominis chemici, atque hinc menstrua, sol-

vendis calculis cujusvis speciei paria et, cavi oris judicio, satis, ne ipsam vesicam laederent, diluta, hoc in urinae receptaculum injicienda, laudabili quam maxime zelo, proposuerunt. Sed, *primò*, haec menstrua, principale calculorum in emporium, *renes*, quidquid in illos *vesicae* praestarent, haud agerent; *secundò*, cum sensatio ab illis, etsi non parum dilutis, oris cavo impressa, sensibilitatis, quae cystidi urinali *specifica* est, judicem satis competentem, minime constituat; *tertiò*, cum nec ſorma, nec color calculi, sat fidum de ejus compositione testimonium suggerant, unus vero idemque calculus hinc inde vix non ex singulis principiis, quae diversas aliàs inter se concretiones distinguunt, conſletur, et hinc plura sibique propria menstrua requireret; cum, *quartò*, injectio, ut quidquam sponderet, multoties per diem et per menses, depleta prius vesica, instituenda, menstruumque injectum, aliquo saltem tempore, retinendum, aegris, jam solo a calculo tam infelicibus, miserias, siquas ferre ultra valerent, majores superadderent; ac saepius vesica, circa calculum, ita, ne pro ulla injectionis materia spatium supermaneat, con-

tracta sit; cum, *quintò* denique, aegro cuique, ad vesicam calculoso, medico-chirurgum, qui septies octiesve per nycthemerum, et plures per menses, injectiones, saepe haud parum laboriosas, institueret, et qui in chemico calculorum examine non minus, quam in menstruorum, unicuique ex istis adaptatorum, selectu, satis versatus esset, adsignari opporteret; — quid de proposito hoc novo artis subsidio exspectandum sit, facile satis comparet; nec ullus, quod hucusque nec ipsa in *Gallia*, nec alibi locorum, quod sciamus, eodem quis uti tentaverit, mirabitur. Oleum quidem lini, aut aliud, a pluribus, sub summis ob calculos vesicae doloribus, huic ipsi, interdum non sine aliquo symptomatum levamine, injectum fuit; sed hoc opus magis ad obducendam et fovendam vesicae internam superficiem, quam ad calculi dissolutionem, de qua hìc sermo est, susceptum fuisse, intelligitur. Qui aquam calcis, vesicae, calculo praegnanti, injiciunt: ii, praeterquod propositum sibi solutionis finem vel minime attingant; receptaculi istius superficiem, a calculo ipso jam nimis vexatam, ac inflammationi vicinam, magis adhuc exstimulant,

et vesicae parietes, ad strictiorem circa calculum contractionem, excitant.

Brevem eorum, quae contra *lithiasin* hucusque tentata fuerint, mentionem fecimus, et ex illorum historia, medicae artis, hoc in morbo, *radicitùs exstirpando*, inopia jam nimis eruitur. Sub deploranda hac situatione, si saltem nossemus, in quo *praedispositio*, calculorum ad genesin, consistat? solatio id foret, ac melioris quondam successus spem nobis inspiraret; sed, excepta *causarum remotarum*, quae, hac opportunitate praesente, calculorum evolutionem promoveant, et jam evolutorum effectus exasperent (§. 936.), caligant oculi. Si tamen hos angustos scientiae medicae inter limites, miserorum sortem sublevare, nobis haud raro concessum sit; *chemicorum* hoc minus, quam *Hippocraticae*, illorum, quae aegris, omni ab aevo, aut nocuerunt, aut profuerunt, observationi tribuendum est. Qui praeterea lithonthrypticorum, communem aetate elapsa in calculis usum et secuta abhinc damna consideraverit; qui aegrorum trium historias, a claro quondam viro relatas, perlegerit: quorum scilicet primo, *guttularum Goddarti* (ex

spiritu salino, ope ignis, ex *scrico* elicitarum) ter in die, uncia integra, eo effectu propinata fuit: ut sequente jam die, haematuria, sub horrendis doloribus convulsiones, ac mors demum ipsa, accederent;— quorum reliquis duobus, cum spiritum terebinthinae, plures in dies, ad scrupulos duos hausissent, inflammato mox abdomine, letalis gangraena successit: ille certe, tam perversam calculosis medendi methodum tandem aliquando exsulasse, non aegris modo, sed et arti medicae, cui, nunc temporis, blandiorum longe medicaminum selectio facilis est, gratulabitur.

Prima certe ac principalis *indicatio*, apud illos, qui vel ex parentibus arthriticis, aut calculosis descendunt, aut qui calculorum quaedam signa jam exseruerunt, in strictiore corporis et animi regimine, ac in causarum remotarum, a quibus, apud praedispositos, facile evolvi calculos diximus (§. 936.), fuga consistit. *Altera cura*, in eo ponenda est: ut stimulus ab arena, vel a calculo promotus, quousque licet, auferatur, aut saltem sedetur. In superioribus jam satis monuimus: calculorum urinalium dolores saepe per intervalla quiescere atque,

sub morbo necdum nimis provecto, periodice quasi redire; sed mox, aut abundantis, aut nimis commoti a sanguinis aestu, a cruore menstruo, haemorrhoidali, retento, a potu spirituoso, vel aliis rationibus, inducto, magna sub ferocia evigilari, atque mox renum, mox vero ureterum, vesicae, inflammationem ejusque effectus minari. Hoc igitur in casu, antequam de promovenda calculorum evacuatione cogitetur, ad venae sectionem, vel ad hirudines, quo loco dolor maxime urget, aut quo sanguis coërcitus, vasa nimis expandit, nec minus ad regimen debilitans, transeundum est. Sic etiam ab errore, in ciborum assumtorum quantitate, qualitate, commisso, saepe renovantur a calculo dolores, qui sibi enemata, et blanda, quae sordes collectas, aut forsitan simul vermes inquietos, intestinis educant, evacuantia, non tamen salina, requirunt. Frequentius, perturbato violenter ab animo, calculorum revocantur furiae, quas demulcentia et lenia, ex antispasmodicis, ac opio ipso, remedia compescunt. Haud raro tamen et absque causis, saltem cognitis, vel a sola partium per calculos irritatione, crudelia istorum nascuntur symp-

tomata: sub quibus, oleosa, tam extùs, quam intùs adhibita, emulsio arabica, decoctum radicis salep, althaeae, saturatum, ſomentatio, semicupium emolliens, ac opium, cauta quidem, non tamen avara nimis, manu porrectum, solatium saepe indulgent. Ad *tertiam* indicationis therapeuticae partem, difficillimam sane, ut quae in concretionis per urethram promotione versatur, absolvendam, remediis locus est, quae lotii, calculorum naturalis ut vehiculi, secretionem, sine magno stimulo, augeant, simulque in membranae villosae ventriculi, effectum, tunicae quoque mucosae vesicae urinalis amicum, exserant. Hùc certe mitiora, quae supra recensuimus, subsidia, aquae calcis, acidulae, alcali simul fossili gravidae, *carolinae, selteranae*, alcalino-mephitica, natrum, soda carbonata, illis in vehiculis propinata, pertinent. Haec saltem remedia (quod nequidem illi, qui calculos, his a remediis chemico processu dissolvi praetendunt, negabunt), haud raro vel antequam vesicam urinalem attingere, vel suos effectus in calculos edere potuerint, dolores ac mingendi difficultatem diminuunt. Haud alia saltem ratione, quam in

primas vias, et ex istis, in omne corporis systema operando, secretiones muci morbosas, a ventriculo longe distantes, in medorrhoeis chronicis, pthisi pulmonum pituitosa, vesicae catarrhis, sanandas adgredimur. Ad *quartam*, quam aliqui, illis, quas hìc exposuimus, adjungunt, *indicationem* quod spectat, „ut scilicet nova calculorum praecaveatur generatio": fatebimur candide, *specificam*, quae hanc calculorum reproductionem, a *praedisposito* homine avertere valeret, a nobis ignorari. Quae vero *convalescentibus*, ut remanentem, ex morbo vix superato, adynamiam dissipent, — quae *sanitate* coeterùm florida instructis hominibus, ut hunc vitae thesaurum diutius conservent, praecepta incumbant: ea hìc loci repeti, superfluum foret.

Quodsi exposita hucusque, calculis medendi, imperfecta, eheu! methodus, atrocia ex iisdem symptomata haud mitiget: ne tantam illi aliquando ad molem, quae eorum e vesica extractionem, per sectionem chirurgicam, ambiguam et arduam reddere, nec non vitia tam vesicae ipsius, quam alia, nulla amplius arte auferenda, producere posset, augeatur: ad *lithothomiae*, omino **Lithothomia.**

sum quidem, sed nostris diebus non parum excultum, subsidium, perveniendum est. Sectio *renalis calculi*, non videtur unquam profuisse, ac pro nimis crudeli habita fuit, quamvis ab ipsa natura calculos renales, excitata ad istos suppuratione, ejectos fuisse, exempla non desint. Quae vero *chirurgicam* calculosorum *curam* respiciunt; ea vobis ab aliis exponentur subsidia.

Corrigenda:

Pag.	Lin.	Errata.	Corrigenda.
4	13	tandam	tandem
6	23	dirissimos	dirissimo
39	2	vocebant	vocabant
59	4	momente	monente
87	6	retentiones	retentionis
122	3	existius	ex istius
134	11	stimulas	stimulus
135	14	conjucta	conjuncta
146	27	distorsorum	distortorum
224	9	si plures his	si plures ex his
226	14	promoverunt, negari	promoverunt, observationem negari
278	3	coeci copioso	coeci in cavis copioso
279	27	extractus	extractum
297	20	divisiones morbo	divisiones morborum
321	17	ductûs	ductus
328	14	ctyptae	cryptae
332	26	foemine	foeminae
358	14	illâ	illa
366	7	cete	certe
401	13	zythopotum	zythopotam
408	7	oxygonium	oxygenium

London School of Hygiene and Tropical Medicine
LIBRARY
21 JUNE 1935

aRF
22.vi.33